


Lienur

FRIDERICI SAMVELIS BOCK,

SAC. REG. MAI. PRVSS. IN SENATV ECCLESIASTICO CONSIL. S. THEOL. DOCT. GRAEC. LITER. IN ACADEMIA REGIOMONTANA PROF. ORDIN. ET BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTI PRIMARII,

# HISTORIA ANTITRINITARIORVM, MAXIME SOCINIANISMI ET SOCINIANORVM

QVORVM

AVCTORES, PROMOTORES, COETVS, TEMPLA, MINISTRI, SCHOLAE, PRAECEPTORES, OFFICINAE TYPOGRAPHICAE, BIBLIOTHECAE, COLLOQVIA, SYNODI, SECTAE, PACIFICATIONES, STVDIA IRENICA, INDOLES, DISPVTATIONES, FATA PROSPERA ET ADVERSA, SCRIPTA TYPIS EXPRESSA PARITER ATQVE INEDITA, NEC NON OPERA ILLIS OPPOSITA,

EX

*FONTIBVS*,

MAGNAMQVE PARTEM

*MONVMENTIS* ET *DOCVMENTIS MSSCCTIS*

RECENSENTVR.

---

## *TOMI PRIMI*, PARS I.

*REGIOMONTI* ET *LIPSIAE*,

IMPENSIS G. L. HARTVNGII. 1774.



# LECTORI BENEVOLO
## S. ET O.

Nec inutilem, nec leuem ſaepiusque antehac ab aliis tractatam in me ſuſcepiſſe operam, cum *Antitrinitariorum*, *maxime Socinianiſmi et Socinianorum plenam* adornare *hiſtoriam* conſilium ceperim; ſed rei ſacrae ac litterariae proficuam, et a quam paucis particulatim, a nemine toto ambitu, idque accurate et fideliter expeditam, me perſuaſum habeo. Hiſtoriam dogmatum, ſiue haec diuinae veritati reuelatae ſint conſentanea, ſiue aduerſa, qui exponere allaborant, in eamque quouis modo illuſtrandam ſtudia ſua collocant, vniuerſae diſciplinae ſanctiori inſignia exhibent commoda. Haec, cum ſit communis virorum in coeleſti ſapientia celeberrimorum ſententia, quam vſus et experientia confirmant, vt exemplis et rationibus eandem demonſtrem, opus omnino non videtur. In ſpecie ex hiſtorica *Antitrinitarii* erroris et *Socinianiſmi* tractatione intelligitur,

quot, quantisque machinationibus atque confiliis, coeleftis de Myfterio SS. Trinitatis et aeterna atque effentiali Chrifti Deitate veritas, in fanctioribus paginis reuelata ac ftabilita, a qua quam plurimi alii articuli fundamentales indiuulfo nexu pendent, impugnata fuerit; quam mirabiliter autem diuina eam feruauerit prouidentia, ftrenuosque difciplinae Chriftianae propugnatores fpiritu ac virtute ad eam tuendam exornauerit, quae ipfa coeleftis tutelae recordatio ad firmiter tenendam orthodoxae fidei anchoram nos follicitare poteft. Non parum confert ampla et documentis fuperftructa familiae huius hiftoria, ad ipfas controuerfias, quae de hoc fundamentali momento et olim a primis Chriftianismi faeculis, et recentiori tempore agitatae funt, exactiori ftudio tractandas. Adfert eadem ad confirmandam doctrinam orthodoxam firmiffima munimenta, notitiamque cuiuis Theologiae operam folide nauanti fubminiftrat neceffariam, de origine, incrementis et praetextu errorum, a doctoribus recte fentientibus folide profligatorum, et de confiliis, decretis, difputationibus ac libris, quibus caufae aduerfae hyperafpiftes rem fuam ftabilire funt conati, nec non de veritatis diuinae praefidiis ac propugnaculis, quae illis fortiter funt oppofita; qua ipfa notitia, de his omnibus rite ac fobrie iudicandi vnicuique infigne fuppeditatur adminiculum.

Qui hiftoriae Theologicarum fcientiarum literariae, praefentem faciem ac ftatum nouit, fub-

ſubſidiaque libraria, quibus hiſtorica haereſium ac hereticorum explanatio inſtructa eſt, recolit, meum hoc opus non ſuperfluum, ſed exoptatum iudicabit; ſiquidem memorabilia *Socinianorum acta*, toto ambitu ex ipſis fontibus, domeſticisque familiae huius ſcriptis expoſita inter deſiderata ſanctioris diſciplinae et orbis eruditi merito ſunt referenda. In tanta enim librorum omnis generis, quibus rei Chriſtianae fata tam proſpera, quam aduerſa hiſtoriae ſacrae ſcriptores explanarunt copia, defuit ad praeſens vsque tempus *accurata* totius familiae recentioris *Antitrinitariorum hiſtoria*, quae rerum ab illis, duobus abhinc cum dimidio ſaeculis, per plurimas *Europae* regiones geſtarum expoſitionem vno opere literario complecteretur. Multi equidem, et innumeri Chriſtianae religionis Antiſtites aduerſus *Antitrinitarios*, et in ſpecie *Socinianiſmum* arma geſſerunt, ſed qui *Socinianiſmi* et *Socinianorum* praecipua fata, acta, conſilia arcana et ſcripta, per omnes annorum decurſus, vno opere ac pleno complexu enarrauerit, nemo adhuc nominari poteſt. Quantum enim ad *Hiſtoriam Socinianiſmi gallice* ſcriptam et anno ſaeculi huius XXIII. *Pariſiis* 4to. luci publicae commiſſam attinet, ex vulgaribus eadem libris, teſte Illuſtri Moshemio in H. E. T. II. ſaec. XVI. p. 302. congeſta eſt, plenaque non modo errorum, ſed etiam multarum rerum, quae ab hiſtoria gentis et religionis Socinianae valde aliena ſunt. Huic iudicio ven. Bavmgartenivs, arbiter in hac parte om-

omni exceptione maior, *in Recenſ. libb. memorabb.* T. I. p. 381. calculum ſuum adiecit, qui inquit Die zu Paris 1723. herausgekommene *Hiſtoire du Socinianiſme* machet die Arbeit einer Geſchichte der Socinianer nicht unerheblich, ſondern vermehret eher die Nothwendigkeit derſelben.

Defectum hunc hiſtoriae literariae et ſacrae, iam antea magni nominis viri notarunt, atque inter hos ven. BVDDEVS, in *Iſagoge hiſt. theol. ad Theol. vniv.* L. II. c. VII. p. 1347. his verbis: *Plena et accurata Socinianiſmi hiſtoria merito adhuc deſiderari poteſt*, et *ven.* MOSHEMIVS l. c. p. 361. inquit: *Deſideratur adhuc plena et adcurata hiſtoria, non modo ſectae illius, quae* SOCINOS *ſequitur, ſed etiam* LAELII et FAVSTI SOCINORVM, *et qui ſecundum hos in conſtruenda et ſtabilienda hac familia plurimum diligentiae poſuerunt. Nam quae* IO. HORNBECKIVS — ABR. CALOVIVS, — CHRISTOPH. SANDIVS — STAN. LVBIENIECIVS — SAM. FRID. LAVTERBACHIVS — *de hoc genere et eius praecipuis doctoribus referunt, ſitim eorum, qui accuratius cuncta cognoſcere cupiunt, non reſtinguunt.* Allegari equidem in hoc hiſtoriae Eccleſiaſticae et haereſiologicae campo nonnulli poſſunt, qui res ad *Socinianiſmum* ſpectantes hiſtorice expoſuerunt; ſed vel carptim, et per compendium eas tantum notarunt, et fragmenta quaedam, familiae huius hiſtoriam generatim illuſtrantia tradiderunt, vel eius ſpecialiora acta et fata in particulari terrae tractu vel vrbe quadam, publicae luci commendarunt: totum vero *Socini-*

*anis-*

*anismi* circulum, documentis ac subsidiis instructi necessariis, non sunt emensi. Neque admodum mirum videbitur cuiquam, quod nemo hactenus, operi huic non vno nomine votis expetendo manum admouerit vel potius illud aliquo modo perfecerit; cum non tantum per se arduum et molestum, sed etiam propter adiumentorum inopiam, raramque documentorum copiam, difficillimum sit ac salebrosum, imo haud paucis, quod aegerrime dixerim, nostra aetate perodiosum. Fuere tamen aliquando Viri, ad sustinendum hoc opus grauissimum non vulgari subsidiorum adparatu, vt credimus adiuti, qui quoque certissimam concinnandi eius spem erudito orbi fecerunt, hacque ipsa significatione satis comprobarunt, non actum agere laborem, qui sibimet induxerit eiusmodi conscribendi argumentum, quorum vero promissis complementum nondum respondit.

Celebratur inter hos a IOANNE MOELLERO in *Cimbriae Literatae* T. II. p. 369. IOA. HENR. HORBIVS, cuius *Historia haereseos Vnitariorum Francofurti* a. 1671. 4. in lucem proditura in catalogo librario nundinarum Lipsiensium eruditis praenuntiabatur, quique ipse in praefatione *Historiae Origenianae, Francof.* 1670. 4. praemissa, opus hoc pollicitus erat, quod tamen nunquam lucem adspexit. Eandem spem publicae rei literariae fecit Vir quondam Illustris ac mirandae eruditionis MATVRIVS VEISSIER LA CROZE *Seren. Bo-*

*russ. Regis, Primarius olim Bibliothecae Berolin. Praefectus*, in *Dissertt. histor.* T. I. p. 142 sed *Vir* inter literatos vere magnus, et praestando huic labori omnino par, promissis stare praematura morte praecludebatur.

Hoc inter coelites collocato, idem opus adgredi constituit *ven.* ANDR. GOTTL. MASCHIVS, qui consilium suum *de adornanda historia literaria controuersiae cum Socinianis* peculiari monito, *Halae Magdeb.* 1752. pl. ½ aperuit. Constituit nimirum *Vir. S. R.* tribus eiusmodi opus expetendum complecti voluminibus, in quorum PRIMO nouam editionem *Bibliothecae Antitrinitariorum* SANDII, non tantum emendationibus ac animaduersionibus, verum quoque additamentis et supplementis ad nostra vsque tempora, vna cum lustratione illorum, qui inter *Mennonitas* et *Anglos* huic sectae adscripti, et librorum ab his editorum recensione instructam adornare; in SECVNDO *Bibliothecam Scriptorum Antisocinianorum* ordine Alphabetico; et in TERTIO, praeter adpendices, SANDII opusculo adtextas, varia scripta minora nondum typis vulgata, in specie IOACHIMI, CHRISTOPHORI et PETRI STEGMANNORVM in publicum producere animo meditatus est. *Viri* huius celeberrimi et de republica literaria pariter ac Ecclesia optime meriti insignis fama et ven. BAVMGARTENII iudicium, qui de opere praesignificato eiusque *Auctore* eruditissimo in *Recens. libb. memorabb.* P. IV. p. 381. inquit: An dem Beyfall solcher

Arbeit ist gar nicht zu zweifeln, wenn dieser Vorschlag auch nur nach und nach vollzogen, und anfänglich bloß der erste Theil geliefert würde, zu dessen glücklicher Bewerkstelligung es dem Urheber desselben, weder an Fleiß und Arbeitsamkeit, noch Geschicklichkeit und Kenntniß fehlet, plurimorum tanti Syntagmatis cupidorum excitauit desiderium, quod tamen in hunc vsque diem exsatiatum non animaduertimus.

Quod *ven* MASCHIVS in primo operis annuntiati volumine praestare apud se constituit, iam ante ipsum, susccepturum se esse pollicitus est *Celeb.* PETR. ADOLH. BOYSENIVS, qui SANDII *Bibliothecam*, supplementis, notis, emendationibus, nouisque accessionibus auctam, orbem literatum exspectare iussit, cui id Io. VOGTIVS in *catal. libb. rarr.* p. 519. et GABR. WILH. GOETTENIVS in *Europa erudita* P. I. p. 456. significarunt; sed et hoc propositum successu peroptato caruit.

Innumerae illis superandae sunt difficultates, qui eiusmodi opus historicum aliquo modo completum, luci exponere publicae sibi proponunt, quae sine dubio omnes, maximos alioquin viros, qui ad illud perficiendum laudabili conamine animum adplicuerunt, in progressu inchoati laboris, ab hoc consilio reuocarunt. Agri vel nunquam vel rariuscule arati atque fulcati, maiorem agricolae primum arua subigenti procreant molestiam, quam saepius et quotannis culti, et qui historiae campum, cui vel nemo vmquam, vel saltim perpauci se-

mina mandarunt, primus agricolatur, pluribus ſemet circumdatum ſentit moleſtiis ac impedimentis, quam qui ab aliis cultum accedit. Tantus eſt in hoc, quod extricandum molitus ſum argumento, librorum, qui fontium vices habent, defectus, quantus vix in vllo alio. Qui ſpeciales accuratosque ſectae huius, vni oppido vel prouinciae infeſtae expoſuerunt annales, quales praeter *ven.* Gvst. Ge. Zeltnervm, ratione *Cryptoſocinianiſmi* in *Altorfina Academia*, vix vnus atque alter concinnarunt, incredibili ſtudio et moleſtia documenta conquiſiuerunt, et ne quidem horum omnium copiam nanciſci potuerunt. Ex his facile aeſtimari poteſt, quanta illum cura ac moleſtia in conquirendis hiſtoriae huius crypticae documentis premat, qui generalem *Socinianiſmi* per omnes Europae regiones hiſtoriam contexere adgreditur, nec vulgaria tantum et omnibus nota recenſere ſtatuit, ſed ſpecialia et paucis comperta, eaque ſi fieri poſſit, ex fontibus, actis nimirum et monumentis fide dignis, quae a ſingulis, in quorum manibus ſunt, circumſpecte cimeliorum adinſtar cuſtodiuntur, et difficillime cum aliis, copiam eorum ſibi expetentibus, communicantur. Ad has difficultates accedit, librorum plurimorum in hoc themate typis exſcriptorum ſumma raritas, qui difficulter vno in loco ſimul reperiuntur, atque vix, praecari admodum, ab vno ſcriptore comparari poſſunt. Accenſendum quoque his eſt non minus obſtaculum, linguarum in qui-

quibus vel libri iſti, vel documenta, vnde ſolida *Antitrinitariorum hiſtoria* petenda eſt, concinnata ſunt, diuerſitas, quales praecipuae ſunt Polonica, Anglica, Belgica, Gallica imo et Italica, in quibus, cum nemo facile omnium gnarus ſit, interpretes in auxilium vocandi ſunt, quorum tamen adiutorium haud raro fallax eſt atque ambiguum, niſi antea hi ipſi praecipua familiae huius cognitione fuerint imbuti.

Haec, aliaque impedimenta meum qualecunque propoſitum, non retrogradum fecerunt; ſed quodam quaſi calcare addito, remittentem me aliquando in hoc ſtudiorum genere exſtimularunt, vt pro uiribus conniterer, quantulumcunque hoc ipſo opere, hiſtoriae Eccleſiaſticae adferre ſupplementum. Horruit quidem animus ſuae imbecillitatis conſcius, tantum ſyntagma, tot vndiquaque difficultatibus praepeditum; ſed *Celeberrimorum Virorum*, conamina mea probantium ſuaſoriae ac excitatoriae, qui non indignum laude meum eſſe propoſitum teſtati ſunt, validum mihi ſuppeditarunt incitamentum, deſignatum mihi ſtadium percurrendi.

Expoſitis enim a me publicae luci ſuſcepti laboris primitiis, edita anno huius ſaeculi LIV. HISTORIA SOCINIANISMI PRVSSICI *maximam partem ex Documentis Mſcpt.* in qua ſimul totius operis hiſtorici concinnandi et prelo committendi ſchema quoddam generale deſcriptum exhibui, non tantum minima haec *hiſtoriae Socinianae* particula, licet manca et imperfecta

fecta, eruditorum calculo probata eſt; ſed ſtudium quoque meum vndiquaque, inprimis a Celeberrimis *Nouor. publ. liter. Goettingenſium* (a. 1754. N. 91. p. 786. ſeqq.) *Hamburgenſium*, (e. a. N. 38.) *et Act. hiſt. eccleſ. Vinar.* (T. XVII. p. 881. et *additam. ad ead* T. III. p. 760.) *ſcriptoribus*, *aliisque* prouocatum eſt, vt quantum in viribus meis eſſet poſitum, labori, cuius in praefatione opuſculi allegati fidem orbi literato feceram, quam primum perficiendo, ac in lucem emittendo, curate ſtuderem. Cumque, aliquot poſt hasce excitationes bonae ſpei de me conceptae plenas anni, in quibus nihil plane quod ad hoc argumentum ſpectat, diuulgatum a me eſt, praeterlapſi fuerint; *celeberrimi nouorum theologicorum Gedanenſium* auctores (Part. LXVIII. p. 600.) me iterum promiſſi olim dati admonuerunt, eiusque complementum beneuole urſerunt.

Quae igitur per quinque luſtra, de hoc ſyntagmate aſſidua collegi et tractaui opera, quae non ſine ſollicita cura, pluribus ſumptibus factis, inſtituto olim hanc ob cauſam ad *Vnitarios*, in Poloniae terminis itinere, ac copioſo literarum commercio, e tot libris rarioribus, necnon documentis, vix vlli Socinianae Familiae non adſcripto, cognitis, a me in conſilium adhibitis, reſciui, inter quae haud pauca ipſi Lvbieniecio et Sandio vel ignota, vel ab his, aliisque non expoſita ſunt, luci committere publicae felici iam ſidere aggredior. Vt integrum ſubſidiorum, quibus in uniuerſo opere con-

contexendo vſus fuerim, indicem hoc loco conſtruam, minus videtur neceſſarium. In ipſa hac Bibliotheca Antitrinitariorum data occaſione facta eſt illorum mentio, et qui extra Antitrinitariorum aciem, ad illuſtrandam Socinianiſmi hiſtoriam editis in lucem ſcriptis hiſtoricis aliquid contulerunt, alio loco a me pluribus ſignificabuntur.

Praeter *Acta Synodalia*, quae in deſcribendis ciuitatis huius memorabilibus palmarium ferunt momentum, alia rariora per Poloniam aliasque regiones diſperſa ac ſitu obducta, vel in Bibliothecis publicis, vel in eruditorum, noſtratum praecipue, Cimeliis latitantia ſcripta MICH. GITTICHII, SAM. PRZYPCOVII, SAMVELIS et PAVLI CRELLIONVM, IO. PREVSSII aliorumque complurium calamo excepta, et ex parte autographa et legere et poſſidere mihi contigit. Quaedam opuſcula SANDII *Bibliothecae* adtexta, locupletiora et diffuſiora, quam ibidem comparent, ad manus meas peruenerunt; inter quae etiam *narratio compendioſa eſt*, quam SANDIVS l. c. ANDREAE WISOWATIO tribuit, cuius auctorem potius IOACH. STEGMANNVM fuiſſe arbitror, quam manu nitide deſcriptam, longe plura, praeter textum SANDII libro appoſitum exhibentem, poſſideo.

Totum opus, quoad ſingula capita, quae in praefatione *Hiſtoriae Socinianiſmi Pruſſici* praefixa, praenuntiaui, mutato ſaltem pauliſper ordine olim delineato, vt ſucceſſu temporis et

par-

partialiter in publicum prodeundi periculum faciat, paratum eſt. Cui antea vltimum deſignaueram locum, volumen, iam primum comparet, ſeruata interim reliquarum ſectionum ſerie, antehac expoſita. Vniuerſum hiſtoriae huius ſyſtema, quod, vt mihi probabile videtur, quinque voluminibus comprehendi poterit, in totidem *Partes generaliores* a me diſtributum eſt. Harum PRIMA *Bibliothecaria* et *literaria* eſt, ac *Bibliothecam Antitrinitariorum, maxime Socinianorum*, exhibet, cuius *prior Pars* oculis ac beneuolo eruditorum iudicio iam ſubiicitur.

SECVNDA, ipſius hiſtoriae *praeliminaris* quaſi eſt et praeluſoria, habetque tria capita:

I. *De Socinianiſmo ante* LAELIVM *et* FAVSTVM, SOCINOS, *ſectisque quoad palmaria errorum momenta cum illo comparandis;*

II. *De primis Antitrinitariorum recentiorum in Germania, Italia et Heluetia initiis;*

III. *De primis diſciplinae Socinianae Auctoribus,* LAELIO *ac* FAVSTO, SOCINIS, *nec non de ſcriptis, ab vtroque vel prelo ſubiectis, vel calamo deſcriptis.*

TERTIA, Acta et Fata Antitrinitariorum, in ſpecie Socinianorum per Poloniae regnum et Magnum Litthuaniae Ducatum, ex *Actis ſynodalibus MSSCC* in extenſo inſerendis, exponit, atque hisce IV. abſoluitur capitibus:

I. *De primis Antitrinitariorum et Socinianorum, in Polonia et Litthuania initiis obſcuriori-*

*rioribus atque arcanis, usque ad Comitia Petricouienſia*, a. 1565.

II. *De actis et fatis poſt ſchisma factum*, usque *ad* Favsti Socini *aduentum* a. 1578.

III. *De actis et fatis Socinianorum, poſt* Favsti Socini *aduentum in Polonia, usque ad excidium Racouianum*, a. 1638.

IV. *De illorum ex toto regno expulſione, nec non in ſpecie de praecipuis coetibus, ſcholis, Patronis, Miniſtris, Officinis Typographicis et Bibliotheca publica.*

Qvarta Pars, Hiſtoriam Antitrinitariorum, maxime Socinianorum, in reliquis Europae regionibus totidem capitibus complectitur, nimirum:

I. *De ortu et progreſſu Antitrinitariorum, praecipue Socinianorum in* Hvngaria *et* Transsylvania.

II. *Hiſtoria Socinianiſmi* Prvssici, quae olim quidem a. 1754. diuulgata, ſed nouis iam emendationibus ac ſupplementis duplo magis aucta.

III. *De Socinianiſmo* in Germaniae Svperioris et Inferioris *prouinciis.*

IV. *Acta et fata Socinianorum in* Anglia, Helvetia, Gallia, Dania, Svecia, &c.

Qvinta Pars, totidem capitibus abſoluitur, quorum haec praecipua ſunt argumenta:

I. *Syſtema Pſeudo-Theologiae Socinianae*, item, *de eorum pugnis et certaminibus, indole*

*ac*

*ac moribus ad pietatis speciem compositis &c.*

II. *De illis, qui relicto Socinianorum coetu, errores conceptos recantarunt, nec non de caussis tristium olim huius ciuitatis fatorum, et quam ob rationem nostro tempore fauentium eidem numerus mirum in modum augeatur, &c.*

III. *De Eruditis, Socinianismi vel merito vel falso suspectis,*

IV. *Bibliotheca Antisociniana, in qua recensentur scripta Euangelico-Lutheranorum, Reformatorum et Pontificiorum generalia, specialia et singularia, in quibus disciplina haec vel in vniuersum, vel maximam partem, vel denique quoad singulos errores refutata animadvertitur.*

Haec est totius systematis adumbratio, in quo, quid speciatim praestitum fuerit, praefatio singulis Voluminibus praemittenda, exponet. In *genere* significandum in limine operis arbitror, non *Socinianorum* tantum, sed *omnium*, qui maxime duobus cum dimidio abhinc saeculis sanctissimum de Trinitate dogma, articulosque cum eodem indisiunctim copulatos impugnarunt, historiam a me esse expositam, quorum alii grauius, alii leuius, vt videtur, a vero aberrarunt, omnes autem in eo, non esse tres eiusdem essentiae diuinae, eiusdemque dignitatis personas, consenserunt. In horum classem praeter *Neo-Photinianos*, seu *Soci-*

*Socinianos* referendi ſunt, *Bideitae*, *Tritheitae*, *Ariani*, *Subordinatiani*, *Sabelliani*, *Modaliſtae*, aliique huius generis a puriore doctrina deflectentes. Ipſius hiſtoriae ſectiones quantum fieri potuit, iuxta filum chronologicum proſequutus ſum, a qua tamen regula aliquando diſcedendum putaui, vbi accuratiorem temporis obſeruationem, variis obnoxiam incommodis animaduerti.

Omnis hiſtoria teſtium nititur auctoritate, proinde ſcriptorum teſtimoniis id efficere ſtatui, vt de veritate narrationum ipſi lectores aequi iudicare poſſint. Nihil excogitaui, ſed ab aliis relata cum iudicio ac inſtituto examine expoſui. Nihil propterea mihi ipſi tribuo, niſi collectionem, diſpoſitionem et ordinem enarratorum, quae, ſi male ſunt collecta, diſpoſita et enarrata, id mihi vitio verti poterit. Omnia ex numeroſa librorum, quos repetitis quoque vicibus allegaui et documentorum copia, integra fide digeſta, imo ipſiſſimis auctorum verbis plerumque a me commemorata ſunt, ne quis alienum me ſcriptoribus adfinxiſſe ſenſum, accuſandi praetextum habeat. Lapides tantum ac ligna, totamque materiem vndiquaque diſperſa collegi, et ad aedificium, architecti vicibus fungens diſpoſui. Nihil ex ingenio proprio protuli, quod hiſtoricum dedecet, qui ex monumentis fide dignis profert, quaecunque enarrat, nec ideo minimi faciendus ac ignobilior aeſtimandus, niſi vbique obuia, omnibus nota, ſaepiusque

trita apposuerit, quorum non facile aequus ac prudens rerum arbiter me postulabit.

Testes generatim quos adcitaui, auctores sunt, aetate rebus in hac familia gestis coaeui; qui iterum vel ciuitati huic addicti, vel eidem adversantur. Priores, cum nimium fauore indulserint ciuitati, cui nomen suum professi sunt, data occasione diligenter examinaui, an vera professi fuerint. Posteriores haud raro nimio contradicendi ac aduersarios vel calumniandi vel vincendi studio ducti sunt, vt, quae parum veritati sunt consentanea, nec facile argumentis stabiliri queunt multa, de Socinianorum coetu, cogitatis ac intentione effinxerint, quae a relatione mea remouere studui. Sicubi igitur testes inter se dissentientes inveni, quod haud raro contigit, quae mihi praeuio examine veriora visa sunt, significaui, absque addita prolixiori aliter sentientis, conuitiantis vel falsa testantis refutatione, qua particulariter instituta, opus in maiorem molem ac plura volumina excrevisset, si vel vnius *auctoris Galli* in historia Socinianismi iudicia et in omnibus paginis mendose narrata refellere ac falsi conuincere voluissem.

In allegandis scriptis rarioribus, nec facile obuiis, quae oculis vsurpare meis licuit, quantam potui, adcurationem obseruaui. Horum plenos titulos adscripsi, locum et tempus impressionis, nec non numerum plagularum, imo et paginarum quandoque notaui, haud raro quoque sectionum et capitum inscriptiones significaui, et formas eorum, qui-

bus

bus in quaterna, aut octona vel duodena folia complicantur, numeris 4 8. vel 12. indicaui. In *ſpecie* id dictum ſit, de hac ipſa *Bibliotheca Antitrinitariorum*, in qua praeterea, quae ad librorum recenſitorum hiſtoriam, ſuppeditatamque auctoribus occaſionem ſpectant, plerumque ipſis vel auctorum vel editorum verbis retuli.

Saepius me per errorem eſſe lapſum, ac omiſiſſe, quod neceſſarium videri poſſit, et tractaſſe, quod nemo facile deſiderauerit, ſi fuerit neglectum, imo quae ſibi vel ſunt oppoſita, vel ita videntur, aliquando narraſſe, meae imbecillitatis maxime conſcius, facile largior. Solertiſſimus quisque aliquando hallucinatur, qui in conficiendo opere hiſtorico tanti ambitus viae duces et Anteceſſores animaduertit nullos, nec omnibus, quotquot opus fuerunt monumentis inſtructus, horum tantum reliquiis et lacunis, hinc et inde diſperſis vſus, Amanuenſibus praeterea, collectoribus ac cooperariis deſtitutus, ipſe omnia perficere coactus, imo ſaepe ad perficiendum impeditus, multisque paſſim publici muneris negotiis auocatus et in narrationis filo pertexendo adeo turbatus eſt, vt per integros menſes, ne dicam annos, ne lineam quidem in inchoato opere ducere potuerit, omniumque, quae antea ſcripſerat, fere immemor, ſe iterum ad ſcribendum accinxerit. Quacumque grati animi teſſera, me amice et libere admonitum illorum beneuolentiam ſuſcepturum eſſe, polliceor, qui mihi errores commiſſos monſtrauerint, meque rectiora et veriora docuerint. Cenſores ab aequita-

te alienos, qui aliorum ſtudia nihili faciunt, rogatos volo, vt meliora proferant. Zoilorum morſus parum curo, cum id ſemper mei fuerit inſtituti, quod Celeb. THOMAE CRENIO, parum, quid peſſimus quisque de me ſentiret, curare. Omnibus operam meam acceptam fore nunquam ſperaui. Homines ſententiis et guſtu tantum a ſe inuicem diſcrepare noui, vt difficile ſit librum inuenire, qui placiturus et diſpliciturus ſit omnibus.

Arcana atque intricata hiſtoria, qualis eſt *Antitrinitariorum* et *Socinianorum* vix, ac ne vix quidem adornari poteſt prima vice, vt non indigeat emendationibus ac ſupplementis. Qui proinde imperfectum me opus, et multis modis locupletandum in publicum emiſſurum iudicat, memet ipſum ſecum habet conſenientem, cui melius viſum, quae poſt tot annorum decurſum in promtu erant, typis committere, quam ad blattas ac tineas ablegare, quae non absque cura et moleſtia fuerunt conquiſita. ZELTNERI *hiſtoriae Cryptoſocinianiſmi Altorffini*, quamuis incredibili ſtudio concinnatae, cui innumera fere documenta vndiquaque communicata ſuppetias tulerunt, ſupplementa adiungi potuerunt in analectis, operi in ſuo genere conſummato adpoſitis; imo et nos ipſi aliquando in hiſtoria *Socinianiſmi* Germaniae ſuperioris poſt meſſem, ſpicilegium quoddam acturi, et in lucem protracturi ſumus haud pauca in commercio epiſtolico cum SONERO aliisque Altorffinis Cryptoſocinianis, ipſi *Ven.* ZELTNERO ignota. Illuſtris MOSHEMIVS hiſtoriae

riae *Serueti* alteris iam curis maximoque ſtudio a ſe adornatae ſupplementa nonnulla addidit, cum poſt maioris voluminis publicationem ab eruditis communicata obtinuiſſet, quibus opus abſolutum emendari potuit. Horum veſtigiis incedam, opusque meum ſupplementis aliquando et analectis inſtruam, ſi in exteris regionibus Fautores atque Amici labori meo qualicumque bene cupientes, mecum communicare non grauaturi ſint, quae adhuc in rerum publicarum *Archiuis* et *Bibliothecarum* ſcriniis deliteſcunt, quam beneuolentiam mihi enixe ac officioſe expeto.

Nec dubium eſt vllum, quin Viri publicam rem litterariam laudabiliter iuuantes, operi huic aliquando allaturi ſint ornamenta et ſupplementa, cum poſt editum tenue *hiſtoriae Socinianiſmi Pruſſici* ſpecimen, quidam huius fauoris ac beneuolentiae documentum mihi vltro iam obtulerint. Inter hos grato animi adfectu a me nominandus praecipue eſt S. R. *Celeberrimus* IOANNES RVDOLPHVS KIESLINGIVS, *Academiae Lipſienſis quondam Profeſſor* LL. SS. poſt *S. Theol. Profeſſor et Paſtor Erlangenſis*, et actorum Theologico-litterariorum, quibus titulus eſt: Neue Beyträge von alten und neuen theologiſchen Sachen, *Director*, qui in his ipſis actis a. 1757. p. 47. literis ad me Lipſia d. 6. Ian. 1757. datis, beneuole me certiorem fecit, *Virum venerabilem ac Celeberrimum* Philologorum noſtri ſaeculi Principem IOANNEM IACOBVM BREITINGERVM, *Canonicum* et *Profeſſorem Tigurinum*, de re litteraria et diſciplinis

ſanctioribus egregie meritum, non tantum meum *hiſtoriae Socinianiſmi Pruſſici* ſpecimen et totius hiſtoriae aliquando proditurae ſciagraphiam ſuo probaſſe ſuffragio; ſed quoque ipſum *Ven.* KIESLINGIVM monuiſſe, vt me epiſtola quadam ad telam ſtrenue pertexendam fortiter excitaret, hisque notitiam adderet, in *ſcriniis Tigurinis* litterarum LISMANINI, WENCESLAI *ab* OSTROG, IO. A LASCO, OCHINI, TRECII aliorumque extare copiam quae hanc, quam delineandam ſuſcepi *Socinianiſmi* hiſtoriam excellenter illuſtrare poſſint. Iam diu idem eram ſuſpicatus, non parum ſupplementorum hiſtoriae Antitrinitariorum ex Heluetiae Bibliothecis adferri poſſe, cum praecipui, erroris renouati auctores primum his in regionibus ſuum ſpargere ſemen ſtuduerint, quod in Heluetiae, Poloniae ac Tranſſyluaniae agris ſuccreſcens, impediendum, *Theologi Heluetici* ſollicitam conuerterunt curam.

Gratias igitur, quas mens grata concipere poteſt, maximas habeo *Viro* S. R. KIESLINGIO, qui de *Venerabilis* BREITINGERI parato ſuppetias ferendi animo me certiorem reddere non grauatus fuerit, veniamque longae cunctationis meae ad debitas perſoluendum gratias, quam his ipſis in me improbare potius, quam pluribus excuſare fas duco, ſummopere exoro. Rationes tamen a me quaedam allegari poſſunt, quare beneuole oblatum doctiſſimi BREITINGERI opitulatum adhuc nondum debite expetierim, quem ab iſto tamen tempore apud me gratus colui et cariſſime aeſtimaui. Occupatus

patus adhuc fui circa adornandam hiſtoriam ex documentis et ſubſidiis, quibus me ipſum non parce inſtructum ſenſi, ac veritus ſum, ne in plura opus meum volumina diffuſum, unquam lucem viſurum ſit, ſi omnia in extero-rum ſcriniis latitantia, hancque hiſtoriam ali-qua ratione concernentia ſcripta congererem, cum ea, quae ad *Poloniam* et *Pruſſiam*, ex par-te quoque ad *Tranſſyluaniam* ſpectant, non exiguae molis opus iam expleant. Facilius huic mercatorem librarium ſumtus facientem me conciliaturum putabam, ſi intra limites me continerem, nec omnia, huic argumento in-ſeruitura e longinquo conquiſita hiſtoriae meae insererem; ſed aliis potius vel meſſem, vel ſpi-cilegium relinquerem proferendi aliquando in publicam lucem *MSSCC.* quae in *Heluetia*, ali-isque regionibus, ad illuſtrandam Socinianae ciuitatis hiſtoriam facientia latent. Praeter hanc alia, intermiſſarum adhuc de communicandis me-cum ex aliis diſtrictibus ſubſidiis precum ratio in cenſum venit. Conſtitui primum indicem fon-tium ac ſubſidiorum, ex quibus hiſtoriam meam concinnaui diuulgare, quod in hac ipſa *Bibliothe-ca Antitrinitariorum* praeſtiti, ex qua, quae mihi auxilio fuerunt ſcripta, et quibus adhuc careo, cognoſci ab omnibus poſſunt. Cumque praeterea animo contenderim, proxime poſt hanc *Biblio-thecam*, et totius Syntagmatis partem praelimi-narem, *hiſtoriam Socinianiſmi Polonici, Tranſſyl-uanici et Pruſſici* iſto ordine, quem ſciagraphia paulo ante exhibita ſignificauit, in publicum pro-ferre; hinc, quae ad hiſtoriam *Socinianiſmi Hel-*

*uetici*, *Belgici*, *Anglicani* &c. posthac luci committendam, spectant documenta ac rariora subsidia, a Fautoribus ac Amicis obtinenda, quod precibus meis iam efflagito, suo adhuc loco commode inseri aliquando poterunt. Inprimis historiae nostrae ornamento ac praesidio foret, si *Viro Vener.* FRIDERICO EBERHARDO BOYSENIO ita visum fuerit, mecum beneuole communicare scripta inedita, olim in Bibliotheca *Illustr. Comitis* DE SCHWERIN, *Administri Status et belli intimi Borusso-Brandenburgici*, reperta, quae iam in illius manibus sunt, quaeque operi suo cui titulum fecit, Allgemeines historisches Magazin, incorporanda statuit.

Satis iam *de toto opere*, ab hoc tempore successiue oculis et iudiciis eruditorum subiiciendo exposui; de *Volumine* eius *primo*, quod iam quoad priorem partem lucem visendi periculum facit, pauca supersunt monenda. Cum exarandae historiae huic mentem et calarum adplicarem, deprehendi, incommodum fore, si vitae et fatorum familiae Socinianae Auctorum, qui editis praecipue scriptis inclaruerunt, expositio, vna cum prolixiori librorum ab illis editorum recensione, ipsi systemati, quod publica totius sectae acta memorabilia et fata complectitur, intexerentur, sicque filum historiae publicae, priuata auctorum et scriptorum narratione turbaretur ac discerperetur. Maxime id incommodi in *Historia Socinianismi Polonici*, *Transsyluanici* et *Prussici* obseruabam, quam prae caeteris, *actis Synodalibus MSSCC.* instructus paulo fusius enodare constitue-

tueram. Neceſſitatem hinc mihi impoſitam ſenſi, peculiare volumen Scriptorum in his regionibus celebriorum hiſtoriae et librorum recenſioni deſtinare, ſicque nouum *Bibliothecae Antitrinitariorum Sandii* editionem, vel potius *nouam* adornare *Bibliothecam*, in qua *ſpecialis* auctorum et miniſtrorum Socinianorum, licet non omnium, tractaretur *hiſtoria.* Hanc quidem olim in fine totius operis, adpendicis inſtar adtexendam ſtatui, quam nunc potius illi praemittendam et in primo limine collocandam iudicaui, vt virorum in tota hac hiſtoria commemorandorum nomina, fata et ſcripta ſtatim in principio cognita reddantur, quibus ad vmbilicum operis remotis, vniuerſus rerum expoſitarum ambitus luce quadam priuatus mihi videbatur. Accedit, quod ex hac *Bibliotheca* in ingreſſu ſtadii poſita, paulo accuratius, quibus vſus fontibus ac inſtructus monumentis fuerim, perſpiciatur. Non me integram atque completam in hoc volumine inſtruxiſſe *Antitrinitariorum Bibliothecam*, fugitiuus eiusdem intuitus docet; nec vnicum volumen capere potuiſſet omnia, quae eiusmodi Bibliothecam plenario abſoluerent. *Serueti* igitur, *Ochini*, *Dauidis Georgii*, *Campani* aliorumque hiſtoriam voluminis ſecundi caput II. *Laelii* quoque ac *Fauſti Socinorum* fata et ſcripta eiusdem voluminis caput III. aliquando ſunt exhibitura. *Socinianiſmi Arminiani* qui accuſantur, in hoc cenſu meo pauciſſimi comparent, quorum hiſtoriam *voluminis* IV. *caput* III. ſibi vindicabit; nec *Arianiſmi Anglicani* aucto-

res et propugnatores in hac Bibliotheca recen- fiti reperiuntur, quorum fata et fcripta *voluminis* IV. *caput* IV. enarrabit. Haud paucos quoque indice hoc exemtos *voluminis* V. *caput* III. in fcenam producet. *Catechifmi Racouienfis*, caeterorumque operum catecheticorum, nec non vtriusque verfionis librorum N. T. polon. et german. obiter quidem in hac *Bibliotheca* mentio facta, in recenfu auctorum, qui operibus illis adornandis ftudia fua dicarunt; fed plenior illorum hiftoria, Socinianifmi Polonici monumentis inferta reperietur. Haec proinde *Antitrinitariorum Bibliotheca*, quam primo loco in publicum prodire iuffi, extra nexum et collationem cum vniuerfo hiftoriae huius fyftemate, manca eft et incompleta, et nifi illi ex omnibus fere operis noftri partibus adiungantur fupplementa, quae facile volumen, huic mole fua aequale, imo maius caperent, vix titulum, quem prae fe fert, tueretur.

In digerendis et collocandis auctoribus, non ordinem *Chronologicum*, quem *Sandius* fibi praefixum habuit; fed *alphabeticum* praeoptaui, qui prae caeteris commodus eft, ad inueniendum facile, de quo quaeritur. Seriem temporum, qui in fcriptis huius generis meliorem iudicat, facile fibi abacum chronologicum conftruere poteft, quem, fi defideraretur, facile aliquando adpofiturus fum. Qui Antitrinitarios iuxta nationum ordinem, quem *ven.* CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in *Hift. theol. litter.* P. II. p. 340. feqq. fequutus eft, difpofitos luftrare cupit, eosdem in hiftoria noftra,

ſtra, quae *Socinianiſmum* ſingulis regnis ac populis infeſtum exponit, in conſpectum protractos animadvertet. In ſcriptis ſingulorum auctorum recenſendis, temporis, quo in lucem ſunt emiſſa, ordinem plerumque tenere volui, quamuis eundem me aliquando neglexiſſe deprehendam. Auctorum vita ac fata, quorum narratiunculae apud *Sandium*, quamplurimum ieiunae ac praetruncatae ſunt, plene a me, aliquando etiam copioſe ſunt explicata. Librorum, quorum ipſe copiam nactus ſum, plenum tradidi titulum, quod in illis etiam curaui, qui *Bibliothecae FF. PP.* ſunt incorporati, quorum antiquiores et ſeorſim euulgatas editiones in conſilium vocaui, notatis tempore, impreſſionis loco, officina typographica et plagularum, imo paginarum, quandoque numero, editionibusque repetitis. His quoque hiſtoriam, palmaria momenta et ſectionum capitumque epigraphas haud raro addidi. Libri partim editi, partim inediti et MSSCC. quorum ipſe inſpectione oculari carui, vel ex *Sandio*, vel aliis rei litterariae ſcriptoribus allegaui.

In recenſendis libris polonicis, quorum haud exiguus in hoc volumine conſpicitur numerus, opera vſus ſum *Viri celeberrimi ac doctiſſimi* SAMVELIS THEODORI SCHOENWALD, *Gymnaſii Thorunenſis*, dum viueret, *Prorectoris et Profeſſoris optime meriti*, cuius libellum ineditum, qui titulum prae ſe fert: Schriften der in Polen bekannt gewordenen Socinianer, in quam plurimis in conſilium atque auxilium vocaui. In quibusdam e polonico in latinum ſermonem transferendis mihi beneuole praeſto fuit, Vir S. R. GEORG. CHRISTOPH. PISANSKI *S. Theol. Doct.* et *Lycei Cathedralis*, quod Regiomonti eſt, *Rector meritiſſimus*, qui etiam pro ſuo in omnem rem litterariam ſtudio, et in me beneuolo adfectu, ſecundum plagularum ectypon correxit, et vt tituli librorum polonici absque Typothetae mendis exſcriberentur, opem tulit, quod grato mihi animo hoc loco commemorandum erat. Nec praetereundum hac occaſione eſt, quod in vertendis Actis MSSCC. Synodalibus lingua polonica conſcriptis, mihi

mihi operam ſuam permagni a me aeſtimatam ante complures annos commodauerint, *Viri plurimum Reuerendi atque doctiſſimi* MICH. HERM ROSTOCK coetus *Benckhemenſis in Dioeceſi Angerburgica Paſtor* fideliſſimus et DAVID STERLING, *Diaconus*, dum viueret, *ad coetum Polonicum Regiomontanum*, quorum praeſtitum mihi in conficiendo hoc opere adiumentum gratus recolo.

Haud pauca SANDII Bibliothecae me attuliſſe ſupplementa, inſtituta vtriusque operis collatio vnumquemque facile docebit. Hoc ipſo PET. BAILIVS erroris notandus eſt, qui *Operum* T. I. p. 75. vix extantiora additamenta *Sandiano* operi adnecti poſſe, cum Socinianus coetus iam careat ſcriptoribus, virisque ad publicanda ſcripta inſtructis, praeceps enunciauit. Non procedit SANDII opus vltra annum 1684. adeoque vere ſentiente REIMANNO in *Catal. Biblioth.* p. 127. omnino ſupplendum. Improbandam a SANDIO, partium ſtudio excitato multis illatam eſſe iniuriam, quos propter leuem Socinianiſmi ſuſpicionem, imo ſuſpicionis vmbram in Antitrinitariorum numerum intruſerit, vt copioſiorem in publicum produceret exercitum, haud pauci perhibuerunt, et inter hos quoque auctores *Obſeruat. Halenſ.* T. VII, *Obſ.* XXV. p. 218. ſed nemo exemplis et rationibus euictum dedit, multis iniuriam eſſe factam. Id ſane omnino ſentiendum, non omnes Socinianis ſenſu ſtrictiori eſſe accenſendos, quos *Sandius* nominauit, ſiquidem non pauci eorum a *Socino* et Socinianorum diſciplina multum diſcrepant, imo ab ipſis Socinianis conſortio ſuo excluduntur. Alii ex his *Bideiſmo* et *Tritheiſmo* fauent, alii *Socino* in articulo de Trinitate et Deitate Chriſti, non pariter de ſatisfactione adhaerent, alii *Arii* haereſin renouarunt, alii ſpecie tantum a *Socino* differunt. Nihilo tamen minus et hi et alii *Antitrinitariorum* claſſi merito ſunt accenſendi, quamuis diuerſimode a tramite veritatis aberrauerint. Vnum atque alterum inique in hunc ordinem eſſe collocatum, quosdam etiam cum Antitrinitariis rem primum communem feciſſe, ſed meliora

edoctos

edoctos horum vexilla deseruisse, suo loco notaui; horum tamen nomina ex indice a *Sandio* constructo eliminare nolui, ne quis ab hoc notata, in opere meo pluribus supplementis adaucto frustra quaereret. GODOFR. sane ARNOLDVS plures, alii ANDR. DVDITHIVM; SALIGIVS inprimis praeter alios *Bernhard. Ochinum*, cuius scripta omnia et commendat, et digna, quae iterum luci publicae exponantur, in Hist. A. C. T. II. p. 421. iudicat, hac Bibliotheca eximi iuberent, quibus tamen obtemperandum veritate reluctante nefas putaui, quamuis ab *Ochino* multa in asceticis ac moralibus esse scripta, optimo iure commendanda, non negauerim. Est haec *Bibliotheca*, non *Antitrinitaria*, nec omnia scripta in eadem allegata, erroribus aduersus Mysterium S. Trinitatis confarcta; sed *Antitrinitariorum*, in qua, qui ab his euulgati fuerint libri, recensiti sunt, quamuis non vbique doctrinam orthodoxam de Deo Trinuno impugnauerint.

Pluribus Antitrinitariorum libris *antidotum* adposui, quod insigni studio auctores orthodoxi pararunt, qui plerumque singulos aduersariorum libros sub examen vocarunt ac refutarunt. Maiorem *scriptorum Antisocinianorum* numerum, Vol. V. cap. IV. historiae nostrae allegabit.

Praeter scriptores, haud paucos adcitaui familiae Socinianae sine omni dubio adscriptos, qui tamen vel nihil typis exscriptum reliquerunt, vel de quibus nondum certo constat, quo scripto rem communem iuuerint, qui tamen muneribus Ecclesiasticis ac scholasticis inter *Socinianos Polonos*, *Transsyluanos* et *Prussos* functi, coetui huic sua praestiterunt officia, vel quorum nomina inter alumnos, in spem et emolumentum totius ciuitatis publicis stipendiis, quae pro temporum istorum conditione sat ampla fuerunt, sustentatos in *Actis Synodalibus* obseruaui. Hoc respectu non tantum *Bibliothecam*, sed quandam ex parte *Presbyterologiam Socinianam*, saltem quoad *Poloniam*, *Transsyluaniam* et *Prussiam* me adornasse mihi videor; quamuis numerosiorem et Patronorum et ministrorum

et

et Praeceptorum ſcholaſticorum catalogum ipſa hiſtoria aliquando ſuppeditatura ſit.

Firmiter apud me propoſitum quidem fuit, *Bibliothecam* hanc totam, adeoque *primum volumen* vniuerſe, non partialiter ac diuiſim, luci commendare publicae, ſiquidem illa non tantum, ſed integrum quoque opus prelo iam paratnm eſt; quia vero officina typographica, quae libri huius imprimendi ſumtus facit, laboribus nullam moram admittentibus impedita, iam per biennium et quod excurrit impreſſionem huius voluminis intermiſit, quod alioquin iam a. 1772. in conſpectum prodiiſſet, malui libri partitionem concedere et vt *pars* eius *prior* in publico compareat, pati, quam totius diuulgationem per integrum adhuc annum prolatare. Fides interim mihi facta eſt certiſſima, non tantum alteram *Bibliothecae* huius *partem* proximis nundinis lucem eſſe viſuram, ſed quoque hanc ſingulis annis nouum, idque integrum volumen inſequuturum. Mendas typographicas, in parte hac prima grauiores, quae ſenſum turbent, nullas offendi; annus p. 6. mendoſe apud *Sandium* poſitus 1665; potius legendus eſt 1565. Parti interim poſteriori praeter indices primo volumini inſervientes, et *emendanda* et ſupplenda quaedam ſum adſtructurus.

Caeterum et totum opus, et in ſpecie priorem voluminis primi partem, illius quaſi *Prodromum* aequo *Lectoris beneuoli* iudicio et fauori commendo, *Deumque* ſupplex veneror, vt veritatem tot aduerſariorum olim centuriis impugnatam, et noſtra quoque aetate compluribus *Socinizantium* cohortibus turbatam, in Eccleſia intaminatam benigne tueatur, ac vbiuis locorum, coeleſti ſapientia inſtructos purioris diſciplinae Chriſtianae vindices ac aſſertores excitet, qui aequali adfectu et *pacem* et *veritatem* et ament et ſtabiliant. *Vale*, amice Lector et nobiſcum precare Deum, vt id ratum eſſe, iubeat. *Dab. Regiom.* Ipſis *id. Martii*, a. o. r. MDCCLXXIV.

---

BIBLIO-

# BIBLIOTHECA
# ANTITRINITARIORVM,
MAXIME
# SOCINIANORVM.

Siue

*Recensus eorum, qui ex hac familia, duobus abhinc saeculis cum dimidio, celebrem famam, vel* Scriptis *editis atque ineditis, vel munere ac negotiis in commodum coetus sui praestitis, sunt consecuti; quorum vita, fata, munera, labores*

EX IPSIS FONTIBVS, ET EX PARTE ACTIS SYNODALIBVS MSSCCtis;

*Libri vero, vel impressi, vel calamo excepti, quam plurimi ex oculari inspectione allegantur, horumque, praecipue* rariorum *argumenta exponuntur, additis accuratioribus Eruditorum iudiciis, variisque obseruationibus literariis; qua opera non tantum*

CHRISTOPHORI SANDII, *Iun.* BIBLIOTHECA ANTITRINITARIORVM

*emendata, supplementis aucta et continuata, verum etiam quodammodo*

PRESBYTEROLOGIA SOCINIANA

*per* Poloniam, Transyluaniam *et* Prussiam *exhibetur.*

---


AVCTORE

FRIDERICO SAMVELE BOCK.

PARS PRIOR.



# ACTA SYNODALIA MSSCC.



Hunc prae ſe ferunt titulum Polonicum: *Sprawy Synodowych Concluſie*, i. e. *Decreta actuum Synodalium.* Continent ea Synodorum a familia Sociniana in *Polonia* ac *Tranſyluania*, et poſt exilium polonicum in *Sileſia*, *Marchia Brandenburgica* et *Boruſſia* celebratarum argumenta et potiora conſilia. Primis tamen temporibus, cum peculiarem nondum coetum conſtituerent Antitrinitariismum amplexi, inſerta quoque ſunt acta Synodorum ab Euangelicis in Polonia habitarum, quibus illi haud raro interfuerunt. Aliquando etiam, quae in diſputationibus publicis, cum Pontificiis inſtitutis, geſta ſunt, in iisdem exponuntur.

Conſcripta ſunt quoad maximam partem lingua Polonica, admixtis tamen aliquando, quod Polonis vſitatum eſt, phraſibus ac terminis latinis. Scriptores ſunt, ANDREAS LVBIENIECIVS, IOACH. RVPNOVIVS, IONAS SCHLICHTINGIVS, PAVLVS RINIOVICIVS, aliique Scribarum ſparta ex publico coetus ſtatuto defuncti, acta et concluſiones ſynodorum annotarunt, et deſtinato ad id volumini inſcripſerunt. Acta publicorum conuentuum

ab anno 1555. ad an. 1607. in religionis negotio habitorum complectuntur libellum formae octauae, suntque partim idiomate polonico, partim latino concinnata. Aliud exemplar, antiquiorum synodorum acta exhibens, videre contigit, quod vero schedulis pessime scriptis, nec facile legendis, imo maculatis et laceratis absoluitur, nec continuam synodorum seriem exponit. In vtroque exemplari acta breuissimis verbis et in compendio sunt notata, ita vt aliquoties vix sensus expositorum ob mutilatam et contractam rerum et consiliorum enarrationem colligi possit. Synodorum post annum 1607. habitarum acta duobus voluminibus maioris formae comprehenduntur, quorum alterum synodorum ab anno 1608. ad a. 1627. alterum reliquarum ab hoc tempore acta et decreta continet.

In his ipsis actis commemorantur, qui eadem in publicis conuentibus calamo exceperunt. Primus omnium nominatur Andr. Lvbieniecivs. Videtur tamen iam ante ipsum, alius quidam momenta ab antiquissimis synodis in consilium vocata paucis annotasse. Lvbieniecivm a. 1623. defunctum, quis immediate in hac sparta Scribae Synodalis sequutus fuerit, certo a nobis determinari nequit. Suscepit tamen eam a. 1628. praevio synodi statuto, Andr. Lvbieniecii gener Ioach. Rvpnovivs qui pariter ac successores in hoc Notarii officio, pro annuo stipendio accepit 10. floren. quod rationes expensi actis insertae comprobant. Rvpnovio a. 1641. defuncto in synodo Siedliscensi Pavlvs Riniovicivs Synodorum scriba constitutus est, cui in synodo Czarcouiensi a. 1642. demandatum, vt constitutiones ab antecessore suo collectas, libris collectionum generalium insereret. Harum duo volumina ab Alexandro Czaplicio seruabantur, cui per conclusum consessus Dazuiensis, a. 1648. habiti,

in-

iniunctum eſt, vt illa proximo conſeſſui exhibeat. Ionam quoque Schlichtingivm circa hoc tempus aliquando, licet praeter ordinem in Synodis acta et concluſa calamo excepiſſe, obſeruatum animaduertimus. Moleſtiarum haud parum huic officio adhaeſiſſe, ex actis Conſeſſus Raſzcouienſis a. 1649. conſtat. In his Riniovicio facta ſpes legitur, liberatum eum hoc onere quam primum iri; quo etiam anno proximo 1650. propter ingraueſcentem ſenectutem ſolutum et ſcribae publici munus in Georgivm Dvroscivm devolutum eſſe, ex actis conſeſſus Raſzcouienſis eodem anno celebrati cognouimus.

Circa vniuerſalem totius familiae Socinianae e Poloniae terminis proſcriptionem, cum ſynodi raro admodum celebrarentur, ordinarium hoc officium ceſſaſſe, et in ſingulis ſynodis peculiari cuidam viro impoſitum videtur. Hac ratione in ſynodo Rutouienſi, quae in Boruſſia a. 1684. coacta, et *generalis* adpellatur, Sam. Stano Notarii ſynodalis munere functus; et in conuentu Selchouiae in Marchia Brandenburgica a. 1687. inſtituto, Pavlvs Schlichtingivs.

Haec ſynodorum acta admodum circumſpecte a Socinianis Boruſſis ad Poloniae terminos cuſtodiuntur, nec facile cuidam ad inſpiciendum et tractandum commodantur. Imo iam inde ab iſto tempore, quo Socinianorum res in Polonia mirum in modum amplificatae, decrementa et triſtiſſimos caſus pati coeperunt, magna cum cura aliorum oculis ſubducta eſſe legimus. Cum in Conſeſſu Raſzcouienſi a. 1650. concluſionum generalium in ſynodis ſtatutarum exacta obſeruatio vnicuique miniſtro commendaretur, ac decerneretur, vt illae proprio ſumtu a ſingulis deſcriberentur; in quem finem exemplar iſtarum concluſionum Moszovio exhibebatur a conſeſſu, vt illud

pluries deſcribendum curaret; huic ſimul caeterisque miniſtris ſerio iniunctum eſt, ne illud cum aliis extra coetum communicarent, neminique facile tractandi illud copiam concederent.

Ne ipſe quidem CHRISTOPH. SANDIVS, *iun.* tantum non omnia Synodorum acta legit ac tractauit, quamuis eadem aliquando allegauerit; e. g. in *Biblioth. Anti-Trin.* p. 41. ſub PETRO GONESIO, et in *Adpendice ad Nucl. hiſt. eccl.* p. 91. quo loco commemorat, acta ſynodi Secemimenſis et Breſcienſis, in libro MSCto polonico legi, quo omnes ſynodi fratrum, Polonorum dictorum, continentur. Quaedam actorum iſtorum particulae et argumenta animaduertuntur in Epitome STOINII, *Bibliothecae Anti-Trinitariorum* SANDII adtexta, et in LVBIENIECII *hiſt. reform. Polon.* Quam ZELTNERVS in notis ad Diarium VAL. SMALCII p. 1158. commendauit ſollicitudinem in exquirenda Socinianarum ſynodorum hiſtoria, ab ANDR. LVBIENIECIO inchoata et a genero eius IOACH. RVPNOVIO ad a. 1668. continuata, (quod omnino corrigendum, RVPNOVIO iam a. 1641. vita defuncto) nobis quoque habuimus commendatam, vt actorum Synodalium copiam nanciſceremur. Hisque iam obtentis experti ſumus, ab auctoribus allegatis, qui aliquando iisdem vſi ſunt, non ſpicilegium, ſed meſſem potius nobis eſſe relictam, qui proinde acta haec ex Polonica lingua in latinam translata, *hiſtoriae Socinianismi Polonici* in extenſo inſerenda ſtatuimus.

Quo vero ſpeciale illorum argumentum pateat, et quae momenta ſub *actorum* forma, ſaltem in quam plurimis operis huius MSC. ſectionibus exhibeantur, breuem de Socinianorum ſynodis conſpectum hoc loco delineamus. Fuerunt iſtae vel anniuerſarii, vel frequentiores, omnium, ſaltem

ſaltem plurimorum Miniſtrorum, Seniorum ac Diaconorum huius ciuitatis per Poloniam, imo aliquando per vicinas regiones conuentus, in quibus ſtatui ſuo eccleſiaſtico in communi quoad externa et interna prouidere allaborarunt. Primum duo Synodi moderatores, vnus ex miniſtris, alter ex politicis, communibus ſuffragiis eligebantur, qui conuentum dirigebant, materias tractandas proponebant, et vt omnia decenter et ordine perficerentur, proſpiciebant. Praelegebantur deinde litterae, vel a priuatis, vel a Patronis coetus, abſentibusque miniſtris, aliisque ad Synodum miſſae, in quibus plerumque materia deliberandi ſubminiſtrata eſt, ad quas deinde Synodus praeuiis conſultationibus reſponſorias dedit.

Deliberabant vero in iis de coetuum iam inſtitutorum conſeruatione, nouorum plantatione et ſectae ſuae in aliis quoque prouinciis propagatione, praecipue de inſtituenda cum Euangelicis et Mennonitis communione eccleſiaſtica, cuius rei frequentiſſima tentamina deſcribuntur. Commodiſſimae miniſtrorum translocationes in his conuentibus ſtatuebantur, ſingulisque coetibus peculiares, quantum fieri potuit, pro cuiuscunque conditione adſignati, iidemque officio eccleſiaſtico in hac ſollemni panegyri conſecrati ſunt. In miniſtrorum mores, et an munere ſuo debite fungantur, inquiſitum eſt, idque in diſciplina Paſtorum, quae vna cum Senioribus et Diaconis ſub finem cuiusuis ſynodi peracta legitur. Conſtituti quoque ſunt in his ſynodis priuati nobilium Paedagogi, ex Alumnorum praecipue numero, et ſcholarum publicarum praeceptores, quarum cura quibusdam Scholarchis, itidem publice electis, commendata erat, qui Synodo de praeceptorum et diſcentium eruditione ac moribus examine inſtituto expoſuerunt.

Qui in priuatis coetibus non expediri potuerunt ſpeciales caſus, grauioris indolis viſi, in his conſeſſibus ſub examen vocabantur et definiebantur. Aerarii porro publici habebatur cura, ad quod quisque pro facultatibus ſuis in Synodis conferebat. Ex illo Synodus miniſtris, ſcholae Rectoribus et collaboratoribus, publicisque perſonis certa decreuit ſtipendia, nec non alumnis in ſpem functionis vel eccleſiaſticae vel ſcholaſticae vnanimi conſenſu, idque ſumtibus coetus educandis. Viduis quoque ac orphanis, praeſertim miniſtrorum bene de hac ſecta meritorum, itemque miniſtris emeritis, vitae alimenta determinauit, et tandem exſulibus et peregrinis, ſuum Socinianismo adfectum teſtantibus, nec non per incendia, depraedationem et captiuitatem ad incitas redactis, pro cuiuscunque neceſſitatibus beneficia diſtribuit.

Deliberatio quoque inſtituta de libris in commodum coetus vel concinnandis, et emendandis, vel communi conſenſu, impenſisque publicis imprimendis et diuulgandis; praeterea quoque de mittendis quibusdam viris idoneis in diſſita loca ad ſementem haereſeos faciendam. *Diaconi generales* Synodo expoſuerunt inuentaria tum ſummarum publicarum, ad vniuerſam ciuitatem ſpectantium, tum coetuum ſingulorum, in quae bene adminiſtranda et ſi fieri poſſit, augenda, conſilia ſua conuertit Synodus. Huic quoque ſignificabatur, quantum quisque coetus ad neceſſitates publicas miſerit, quod, addito ex publicis ſummis prouentu diſtributum, rationesque accepti et expenſi exhibitae ſunt, quarum haud exigua pars in actis ipſis expoſita reperitur. Denique in his ſynodis ſollemnis S. Coenae celebratio inſtituta, et recenter ad coetum collecti, per actum baptismalem eidem ſunt inſerti.

Fuſio-

Fusiorem capitum, quae in omnibus in genero synodis tractata ac deliberata sunt, vel in consilium vocari et peragi debeant, enarrationem instituit Petrvs Morscovivs in *Politia eccles.* L. III. c. VII. p. 312-332. Volumina interim MSSCC. quae allegauimus, CLVI. synodorum Acta exponunt, quamuis non omnia aequali industria et accuratiore studio sint concinnata; in quibusdam enim praesertim antiquioribus, palmaria tantum argumenta, et ne haec quidem aliquando sufficienter et vt plene intelligi possint, sunt notata. Digna interim haec familiae Socinianae monumenta, quae luci publicae exponantur; nec, facile solida atque amplior illius historia iisdem carere poterit.

## IOANNES PAVLVS ALCIATVS.

Nobilis Italus e Pedemontio, secundum Bezam vero in vita Io. Val. Gentilis *ex actis*, Mediolanensis, medicinae ac militiae operam dedit. Vel iis, qui Collegia in agro Vicentino a. 1546. instructa visitarunt, vel saltem peregrinantibus Italis accensendus, qui in exteris regionibus suos in articulo de mysterio S. Trinitatis errores disseminarunt. Relicta patria *Geneuae* commoratus, ibidemque arctissima Georgii Blandratae consuetudine vsus. Inde a. 1562. vel paulo ante, vna cum Io. Val. Gentile in Poloniam contendit; hinc circa a. 1563. Gedanum, quo loco 1565. teste Rvaro in ep. ad *Calovium* mortuus. Plura de eodem in historia nostra expositurі sumus. Vid. Baylii Diction. Rvari Epp. Cent. I. ep. 47. Sandii *Bibliotheca Anti-Trinitariorum* p. 27. Sagittarii *Introd. in hist. Eccl.* p. 853. Kortholti *hist. eccl. saec.* XVI. p. 785. Bezae Epp. N. 82. Ern.

Sal. Cyprianvs *de mortibus Socin.* in diſſ. varii argumenti, *Coburgi* 1755. 4. p. 85. ſeqq.

Plures ſunt Homonymi in hiſtoria literaria inclyti, et inter hos Terentivs Alciatvs, *Romanus* patria, familia nobilis, Societati, quae Ieſu nomen praefert, addictus, Philoſ. et Theol. in Collegio Romano Profeſſor. *Vid.* Rollivs *de nobilibus Theologis* p. 319. Andreas Alciatvs, *Mediolanenſis* ICtus non incelebris, qui primus omnium iuris diſciplinam, variis diſceptationibus et barbaro dicendi genere inuolutam priſtino nitori reſtituere et ad genuinos reuocare fontes ſtuduit, cuius quoque haud pauci libri ab a. 1537-57. editi et opera Lugd. 1560. Voll. III. fol. et VII. Tomis diſtincta *Baſil.* 1571. fol. extant. Prodierunt eadem iterum Tomis IV. Francof. 1617. fol. Vid. Pancirollvs in ICtis. L. II. c. CLXIX. Melchior Alciatvs, itidem ICtus, qui commentatus eſt in Caeſ. Conſtitutiones ſtatus Mediolanenſis. Vid. Ghilini *theatr. litter.* T. I. p. 171.

Scripta:

1. *Epiſtolae II.* ad Gregorivm Pavli, a. 1564. et 65. *Huſterlitzii* datae, quibus hunc abducere conatur a ſententia, quod Chriſtus extiterit, antequam ex Maria naſceretur. Vid. Lvbieniecivs l. c. L. II. C. V. p. 109.
2. Plura, quae praeter haec de ſimili materia ſcripſit, notante Sandio p. 28. allegauit Bvdzinivs in Comment. c. XXVII. et Andr. Dvdithivs in ep. ad Theod. Bezam. Ex hac tamen Dvdithii epiſtola, verbisque quae Sandivs l. c. p. 62. allegauit, minus certe colligi poteſt, quae vnquam Alciatvs ſcripſerit, cum ne vnici quidem ſcripti mentio ibidem iniiciatur.

ANONY-

# ANONYMORVM SCRIPTA.

Exposuit SANDIVS l. c. p. 172. seqq. indicem scriptorum, quorum auctores vel ignoti fuerunt, vel qui isto tempore in viuis existentes nomina sua non vulgari maluerunt (*). Ex his scriptis quam plurima vel auctoribus suis indubitatis loco suo in hoc ipso opere nostro vindicauimus, vel data occasione, quinam singulorum librorum a SANDIO inter anonymos scriptores allegatorum probabiliter auctores reputandi sint, indicauimus. Prodierunt autem post haec tempora in lucem haud pauca Anti-Trinitaniorum scripta, quaedam etiam calamo tantum excepta ad nos peruenerunt, quorum auctores certo resciri non potuerunt. Ex horum numero quaedam saltim hoc loco allegamus, cum reliqua scripta, quibus auctorum nomina praeposita non sunt, qui tamen non ignorantur, vel in hac ipsa *Bibliotheca* sub singulis auctoribus, vel alio loco in historia Socinianismi ipsa notauerimus. Monendus praeterea lector est, ne plura scripta praecipue in *Anglia* et *Germania* inferiore, absque praefixo auctorum nomine in lucem emissa, quorum insignis extat numerus, vt peculiaris Bibliotheca ex illis adornari queat, sub hoc *Anonymorum* titulo quaerat, quae vel in *historia Socinianismi Anglicani et Belgici*, vel in capite, de *scriptoribus Socinianismi merito suspectis* exhibituri sumus:

I. *Scripta Anonyma* a SANDIO p. 172-180. notata.

p. 172. 1. *Epistola agens de vulgo recepto dogmate Trinitatis etc.* Vid. sub PETRO STATORIO, *sen.* N. 8.

2. *Disputatio, seu colloquium cum Trinitariis, Petricouiae* 1665. *habitum.* Vid. sub IO. CAZANOVIO, N. 3.



(*) Quod peculiare opus de *Anonymis* promiserit SANDIVS, p. 105. adfirmante id REIMANNO in *Catal. Biblioth.* p. 127. ibidem non lego.

p. 173. 1. *Epistola Ecclesiarum Transsyluanicarum, ad Ecclesias Polonicas de Baptismo etc.* Vid. sub PALAEOLOGO N. 2. et BLANDRATA, N. 25.

2. *Conclusiones, quod Baptismus non successerit circumcisioni, in Polonia scriptae:* quas a. 1567. 25. Iulii refutauit BENED. ARETIVS. Qui Paedobaptismum in Polonia oppugnarunt a SANDIO, notantur; quis vero eorum, auctor fuerit CONCLVSIONVM, cum eodem ignoramus; coniecturam interim habemus, id ipsum esse PETRI GONESII *aduersus Paedobaptismum* scriptum, quod in Synodo Brestiensi a. 1558. d. 15. Decemb. publice praelectum est, testantibus *actis MSSCC.* De ARETII refutatione. *Vid. hist. Socin. Polon.*

3. *Sententiae aliquot Doctorum de Vno Deo Patre, et de vno homine Christo Iesu, Filio Dei etc.* Vid. sub BLANDRATA, N. 9.

4. *De Ecclesia Iudaica sub Lege et Christiana sub Euangelio etc. polon.* Vid. sub GREGORIO PAVLI, N. 21.

5. *Explicatio quorundam locorum S. Scripturae V. et N. T. quae Antichristus Trino Deo et Christo ficto, quem ante Iesum extitisse statuit, difficiles reddidit etc. polon.* Vid. ibidem N. 8. A quam plurimis Socinianis eiusmodi explicationes difficilium, vt vocant S. Scripturae locorum, quo titulo testimonia S. Scr. pro mysterio S. Trinitatis, et Deitate Christi notant, esse concinnatas, haec ipsa Bibliotheca comprobat. Tenuit olim DAN. ERN. IABLONSKI *Bibliotheca*, teste eiusdem Catalogo Berol.

1742.

1742. 8. p. 381. N. 26. MSC. *Socinianum* ſub tit. *Explicationes locorum S. Scr. difficilium,* it. *Diff. de loco Hebr. I.* 10. quod IOACH. STEGMANNI vel *Sen.* vel *Iun.* foetus fuiſſe videtur.

p. 174. 1. *De Paedobaptiſmo breuis relatio etc. polon.* Vid. ſub MART. CZECHOVICIO, N. 9.

2. *Dialogi de inuocando I. C. in precibus etc.* Vid. ſub GREG. PAVLI, N. 15.

3. *Articuli familiae amoris, Londini* 1579.

4. *De Chriſto legislatore. MSC.*

5. *Quaeſtiones de fine huius mundi. MSC.*

6. *Quaeſtio, an omnia Deo ſint praeſentia? MSC.*

7. *Rationes, quod Angeli ſint mundo antiquiores. MSC.*

8. *Scriptum contra* ANDR. VOLANI *Paraeneſin:* cuius mentionem facit F. SOCINVS in praefatione libri contra VOLANVM.

9. *Confeſſio in Synodo Lublinenſi edita a.* 1593. Vid. ſub PETRO STATORIO, *Iun.* N. 3.

10. *Colloquium Racouienſe a.* 1601. 7. *Martii habitum etc.* Vid. VAL. SMALCIVS, N. 47.

11. *Colloquium Racouienſe alterum a.* 1602. *die* 7. *Octobr. inchoatum etc.* Vid. ibidem.

p. 175. 1. *Colloquia, ſeu potius Exercitationes Theologicae in Aedibus* VAL. SMALCII *habitae etc.* Vid. ſub MATTH. RADECIO, N. 10.

2. *Leges Scholae Racouianae. Typis* STERNAZII *Racouiae.* Vid. *Hiſt. Socin. Polon.* et in ſpecie *Scholae Racouianae.*

p. 176. 1. *Problemata tria Theologica etc.* Vid. IO. SONERVS, N. 13.

2. *Breuis relatio Martyrii* IOANNIS TYSZCOVITII, *calumni-*

*calumnia obruti, quod ſuper lignea crucifixi imagine, aut Trino Deo iurare recuſauerit: atque hinc crudeli mortis ſupplicio ſublati, Warſaviae* 1611. *MSC. Polon.* Rem ipſam in *hiſt. Socin. Polon.* expoſuimus.

3. *Argumentorum de Doctrina Triadis ſolutio, tradita a.* 1620. *Claudiopoli in Tranſyluania. MSC.* Notante SANDIO, MART. Z. THALYAEVS, in epiſtola dedicatoria libri: *Anatome Samoſatenianismi etc. Lugd. Bat.* 1634. 8. dicit: "malle ſe nomen auctoris de induſtria plane diſſimulare, quam macula nominis illius chartam inficere."

4. **Kurtzer Discurs von der zu Leypzig** *anno* 1631. *menſe Martio* **angeſtelleten Religions-Vergleychung, zwiſchen den Churſächſiſchen und Churbrandenburgiſchen, auch Fürſtlichen Heßiſchen Theologen,** 4. pl. 3. Auctor SANDIO et nobis prorſus ignotus, quem neque BAVMGARTENIVS in *Recenſ. Biblioth. Hal.* T.VI. p. 175. praeſumtione quadam aſſequi potuit. Videtur tamen ſcriptum anno circiter 1632. vel 1633. Racouiae adſpexiſſe lucem, hinc quoque Volumini ſcriptorum Socinianorum, quae ibidem circa hoc tempus prodierunt, quodque *Bibliotheca Regia Regiomontana* tenet, ligatura adiunctum eſt. Complectitur tractatus 30. §§. in quibus Theologi Euangelici reprehenduntur, quod 1) Absque praeuio examine ſuppoſuerint, omnes Eccleſiae pontificiae poſitiones, in principio ſuſceptae reformationis damnatas, reuera eſſe erroneas, cuius rei contrarium euincere auctor conatur reſpectu meriti et bonorum operum neceſſitatis ad ſalutem;

tem; et 2) Quod non paucas doctrinas tanquam indubitatas papatu egressi seruauerint, quae tamen traditione, hominumque saltem opinione, vt auctor arbitratur, nituntur, disertis vero S. Scripturae oraculis demonstrari nequeunt, imo adeo his aduersantur; quod respectu articulorum de Mysterio S. Trinitatis et I. C. Seruatore locum habere perhibet, quos eo, quo orthodoxi illos proponunt habitu ac modo ex S. Scriptura, absque traditionibus euinci posse inficiatur. Speciminis loco §. XI. et XII. exhibemus:

" §. XI. Damit wir demnach insonderheit sehen, wie es die h. Theologen anstellen, so wollen wir mit ihnen kürtzlich die Articul der Augspurgischen Confession durchlauffen: da sich den ausweisen wirdt, wie sie in vielen stücken entweder mit den Papisten unter einer Decke der Traditionum oder Auffsätze der Kirche noch liegen; oder zur Vngebür von ihnen abgetreten. Woraus den vnwiedertreiblich folgen wirdt, das dieselbigen mittel so sie gebrauchen, darzu nit alleine nicht dienen, das man dem Bapsthum, welches sie ihnen fürgenommen, desto besser abbruch tuhn könne; sondern vielmehr, des Bapstes reiche mächtiglich befordern helffen. Den so der Papisten Traditionibus in etlichen vnd zwar in den fürnemsten stücken, auff die Beine geholffen wirdt: so hat man ja richtig verspielet. Den warumb solten sie in andern stücken nit eben so wol gelten? zum wenigsten wirdt dasselbe falsch werden, was wir sonsten wieder die Papisten vrgieren, das alles was zur Seelikeit vonnöthen in H. Schrifft verfasset sey, entweder ausdrücklich, oder das es mit richtiger conseqventz daraus könte geschlossen werden.

Sol

Sol aber dieses wahr bleiben: so wirdt man alles dasselbe, was nur alleine auf Traditionibus beruhet, müssen fallen lassen. In den stücken aber darinnen man vom Babstumb mit vngebür getreten, thete man ja besser, das man seine irrige meinungen enderte; als das man wieder die Warheit streiten wolte."

" §. XII. Was nun demnach den ersten Articul der Augs. Confes. anlanget, so bekennen sie, das Gott einig sey im wesen, aber dreyfaltig in personen. Nun kan ihnen aber nit verborgen sein, was zu Regenspurg gehöret wardt: das keinerley ketzer, unter welchen auch die Arrianer und andere, welche die Dreyfaltigkeit der personen in dem einigen göttlichen Wesen nit zugeben, insonderheit gemeinet werden, jemals mit der H. schrifft allein, ohne hülfe der Traditionen, seind wiederleget worden. Daraus den folget, das dieser Articul nit könne ohne Traditiones vertheidiget werden. Welches auch andere in öffentlichen schriften ausgegeben. Alldieweil nemlich alle die Oerter der H. schrift, welche man solches zu beweisen anführet, einen andern verstand leiden: vnd deswegen nit notwendig vnd unzweiffelhafftig dasselbe, was man will, daraus könne geschlossen werden. Als zum exempel, wenn befolen wirdt zu tauffen (Matth. XXVIII. 19.) auf den nahmen des Vaters, vnd des Sohnes, vnd des H. Geistes: so werde zwar bewiesen, das gewisse ein Vater vnd ein Sohn vnd ein H. Geist sey. Das aber ein jeder, sonderlich der H. Geist eine Person: vnd das sie alle eines wesens, könne daraus ohne kraft der Traditionen nicht gefolgert werden. Also das drey sein die da zeugen im Himmel, der Vater, das Wort, vnd der H. Geist, welche drey eines sein: (1 Joh. V. 7.) könne von der einigkeit des zeugnisses,

nisses, welche alsbald drauff von Wasser, Blut vnd Geiste gesetzet wird, verstanden werden. Wie dasselbe etliche Protestirende Theologen selbst gelehret haben. Wiewol es auch sonsten ohne Traditiones schwer fallen wirdt diesen spruch in der Bibel zu erhalten. Weil er weder in der alten Griechischen, noch Syrischen, noch Arabischen, noch alten Lutheri Teutschen exemplaren gelesen wirdt. Besihe Erasmi *Annotat.* vber diesen ort: vnd Bvggenhag. *in Iona exposit.* pag. d. 8. seqq. Im gegentheil stehet ausdrücklich das der Vater allein der warhafftige Gott sey: das wir nur einen Gott haben, den Vater von welchem alles: (Joh. XVII. 3. 1 Cor. VIII. 6.) das Christus desselben Gottes Sohn sey: das der H. Geist desselben Gottes Kraft und Gabe sey: vnd dergleichen viel. Daraus zu sehen, das man, so man die Traditiones fahren lesset, solchen articul von der Dreyfaltikeit der personen in dem einigen göttlichen Wesen nicht behalten könne. So man ihn aber behalten wolle, das man die Traditiones nicht verwerffen müsse. Wie wil man den hier mit den Papisten zurechte kommen?"

p. 177. 1. *Exemplum literarum Equitum Palatinatus Pomeraniae, Vnum Deum Patrem, eiusque Filium Vnigenitum, cum Spiritu S. confitentium, quos vulgo* Arianos, *quanquam iniuria vocant, ad* Gerardvm *Comitem* Doenhoff, *Palatinum Pomeraniae, scripta in Buscouiis, Calend. Martii* 1644. Fortassis ipse Rvarvs calamum suum commodauit litteris concinnandis, caussam Socinianorum *Gedanensium* a Magistratu, ciuium suorum fidei prospiciente adflictorum de-

defendentibus, cuius etiam *Centuriae* 2. epp. ex edit. ZELTNERI p. 660. ſeqq. inſertae ſunt.

2. *Supplicatio Eccleſiarum Polonicarum ad* WLADISLAVM *Regem, cum annexis grauaminibus, a.* 1645. *MSC.* Vid. ſub PRZYPCOVIO N. 30. et STAN. LVBIENIECIO, *Iun.* N. 4.

3. *Inſtructio ad recte orandum, vna cum explicatione Orationis Domini noſtri I. C.* 1647. 12. *Belg.*

4. *Lapis Lydius, ad quem infallibiliter probari poteſt, quemnam pro Fratre in Chriſto debeamus agnoſcere, ne rei ſimus ſectarum erectionis: extractus ex Commentario* F. SOCINI in 1 *Io.* V. a. 1652. 4.

5. Von der Gnugthuung Chriſti. Vid. ſub FLOR. CRVSIO, N. 9.

6. Oeffentliche Glaubens-Bekänntniß von der unbetrüglichen Erkänntniß Göttlicher Dinge. Vid. ibidem, N. 11.

7. *Explicatio capitis XIII. Epiſtolae S.* PAVLI *Apoſtoli ad Romanos: in qua demonſtratur, non poſſe ex hoc loco probari, licere Chriſtianis Magiſtratum Politicum gerere. MSC.* Argumentum hoc a quam pluribus tractatum eſſe, ex hac ipſa Bibliotheca conſtat, inter quos etiam MART. CZECHOVICIVS.

8. *Breues rationes, ſeu potius gradus ad veram Religionem aſſequendam, contra Atheos. Pol. MSC.* Plures inter Socinianos ad pugnandum aduerſus Atheos, ſtipendiis eſſe inuitatos, *acta* nos docent *Synodalia.* Horum in numero quo-

quoque fuit FLORIANVS CRVSIVS. Vid. ſub hoc N. 15.

9. *Vera Religio.* Carmine Polonico. *MSC.*

p. 178. 1. *Probatio, quod antiqui Patres Filium Dei ipſum ſummum Deum eſſe, non crediderint. MSC.*

2. *Teſtimonia ex S. Scriptura de Domino Ieſu, filio hominis, filio* DAVIDIS, *vero homine, quod is, et non alius, ſit Chriſtus Dominus, Servator noſter, et in ſaecula Deus benedictus. Pol. MSC.*

3. *Cauſſae ob quas pius et prudens homo, a communi et per multa ſaecula inueterata opinione, de aeterna Filii Dei et Sp. Sancti diuinitate, recedere teneatur, ſalutis ſuae gratia. Pol. MSC.*

4. *De fide Neo-Catholicorum etc. Polon.* Vid. ſub SAM. PRZYPCOVIO, N. 38.

5. *Commendatio et clara demonſtratio, Religionem Chriſtianam, quam iniuſte Arianam vocant, veram, et a Deo eſſe: vna cum collatione eiusdem cum caeteris eam perſequentibus religionibus. Pol. MSC.*

6. *Rationes, cur libertas circa ſacra permitti Vnitariis debeat. MSC.* Vid. ſub FLOR. CRVSIO, N. 2.

7. *Rationes, cur Eccleſiae Romanae Antiſtites, non adeo deberent eſſe infenſi, Fratribus polonis etc. MSC.* Vid. ſub MART. RVARO, N. 3.

8. *Explicatio aliquot locorum difficiliorum Apocalypſeos. MSC.*

9. *Synopſis totius religionis Chriſtianae, ex S. literis breuiter collecta. MSC. pol.* Plures eiusmodi tentamina ad fucum faciendum ſuſcepiſſe, haec ipſa *Bibliotheca* monſtrat; cuius

foetus is sit, quem SANDIVS notat, inscii sumus.

10. *Rationes, quod Angeli mundo sint antiquiores. MSC.* Idem sine dubio libellus, qui p. 174. N. 7. per errorem denuo repetitus.

11. *De Ecclesia Christi, eiusque potestate.* Vid. sub IOACH. STEGMANNO, *iun.* N. 13.

12. *De praescientia futurorum contingentium.* Vid. sub eodem, N. 12. et ANDR. WISSOWATIO, N. 41.

13. *Breuis relatio Colloquii charitatiui, in caussa religionis inter Romano-Catholicos et Christianos Vnitarios, (vulgo Arianos dictos) Roznoviae habiti etc. MSC.* Vid. sub ANDREA WISSOWATIO, N. 60. et ANDR. WENGERSCII *Slauonia Reformata*, p. 538. seqq.

14. *Descriptio vnius Dei, et Filii eius I. C.* 1664. 12. *Belg.*

p. 179. 1. *Explicatio* 53. *capitis* ESAIAE, *per* THEOPHIL. ELEVTHERIVM, *Belg.* Vid. FL. CRVSIVS, N. 13.

2. *Colloquium ad Mensam, Amst.* 1671. 4. *Belg.*

3. *Cantilena in afflictione, a.* 1671. 4. *Pol.* Auctore Z. M.

4. *Quonam pacto homo habitum peccati superare possit. MSC. Pol.*

5. *Speculum Christianum, carmine Polon. MSC.* Vid. ANDR. WISSOWATIVS, N. 46. 47.

6. *De praeexistentia animarum.* Vid. CHRISTOPH. SANDIVS, *iun.* N. 6.

7. *De sanguine vetito: vna cum testimoniis cum Patrum, tum Conciliorum, qui eiusdem fuerunt sententiae: seu testimonia de non edendo sangui-*

*ſanguine ex lege diuina et autoritate humana,* 1678. 12. *Gall.* Vid. DAN. ZWICKERVS, N. 44.

8. *Annexum ad* ANDR. WISSOWATII *Obiectiones de Filio Dei ante mundum antiquum genito, ſeu creato. MSC.* Auctore A. J. etc. Vid. ſub ANDR. WISSOWATIO, *iun.* N. 29. et 30. et CHRISTOPH. SANDIO, *fil.* N. 4.

9. *Argumenta contra* C. C. SANDII *opinionem de animarum praeexiſtentia, comprehenſam in libro eius de origine animae*, per A. N. d. V. *MSC.* Auctor fortaſſis eſt ANDR. WISSOWATIVS, *iun.* Vid. ſub CHR. SANDIO, *fil.* N. 6.

10. *Iudicium de* HERMANNI CINGALLI *libello, cui titulus: S. Scriptura Trinitatis reuelatrix. MSC.* Vid. ſub CHR. SANDIO, *fil.* N. 11.

11. *Demonſtratio, quod materia mundi non ſit initii expers, Deoque coaeterna; ſed ab eo creata vel producta. MSC.* Auctor eſt vel ANDR. WISSOWATIVS, *iun.* vel ZWICKERVS. Vid. ſub CHRIST. SANDIO, *fil.* N. 25.

12. *Probatio de Baptismo; quod nullo alio modo in primaeuis eccleſiis, niſi per immerſionem peractus fuerit, peragique debeat. MSC.*

13. *Animaduerſiones in Bibliothecam Fratrum Polonorum, qui Vnitarii vocantur, per Anonymum quendam:* (qui eſt A. V.) *in quibus potiſſimum Spiritus S. perſonalitatem et Chriſti praeexiſtentiam ſecundum Arianorum placita adſtruere conatur*, Amſtelod. 1681. fol. Auctorem ſcripti CHRIST. SANDIVM, *fil.* potius eſſe, quam ANDR. WISSOWATIVM ex argumento non ſine ratione coniicimus.

p. 180. *Pietatis sectandae rationes.* Adiunctae ANDREAE WISSOWATII stimulis virtutum, frenis peccatorum, Amstelodami 1682. 12.

II. Quaedam *anonyma* partim a SANDIO non notata, partim recentiori tempore concinnata, siue edita, siue etiam MSSCC.

1. "Warhafftige Erklerung aus Grundt der heiligen Schrifft, von des Herrn Jesu Christi Gottheit. Phil. II. Gott hat Jesum seinen Sohn wegen seines Gehorsams hoch erhaben, vnd ihm geschencket einen nahmen, über alle nahmen, das sich in dem nahmen Jesu beuget aller Knie der himlischen vnd der irdischen, vnd derer, so unter der Erden seindt, vnd eine jede zunge bekenne, das Jesus Christus sey der Herr, zu der ehre Gottes des Vaters. I Thess. 5, 20. 21. Die Geister leschet nicht aus, die Prophezeiungen achtet nicht vor nichts, probieret alles, vnd das gute behaltet." 12. folia 48. Impressionis quidem locus non notatur, eius tamen conditio *Racouiam* prodit, teste BAVMGARTENIO in *Recens. Biblioth. Hal.* T. III. p. 225. Praefatio scripti diuulgandi rationem suppeditat: Quia nimirum (pro auctoris opinione) coetus Domini I. C. ideo conuiciis petitur, quod Christum quidem verum, sed non vnum ac aeternum Deum credat. Habet opusculum tres partes. In *prima* Socinianorum doctrina paucis exponitur; in *secunda*, S. Scripturae oraculis eam confirmare; in *tertia*, vero responsione ad sex obiectiones defendere conatur auctor. Tandem quaedam S. Scr. testimonia allegantur, quod homo I. C. Dei sit Filius.

2. *Satisfactio data scrutatori veritatis, ad XII. eius postulata fidei, edita in lucem Ao.* 1680. *a quodam eius congrega-*

*gregationis, quae agnoſcit* VNVM SOLVM DEVM, ET QVI MISSVS EST, IESVM CHRISTVM. *Amſtelodami, apud* ABRAHAMVM WOLFGANG. *Anno* 1681. 12. *pagg.* 21. Ab exule quodam Polono ſcriptum eſſe libellum, probabile eſt. An is SAM. PRZYPCOVIVS vel ANDR. WISSOWATIVS *iun.* vel alius fuerit, certo dici nequit. Exiguae molis libello, ſat amplum praefixum legitur prooemium, quod hoc loco exſcriptum tradimus: " Pulſi per ſummum nefas et iniuriam, ſolius veritatis odio, ex omnibus regni *Poloniae* ditionibus, ceſſimus pars in *Vngariam*, pars in *Hollandiam*, reliqui huc et illuc disperſi, omnibus bonis exuti, egentes, anguſtiati, afflicti, gaudentes tamen, quia digni inuenti ſumus pro nomine Ieſu eiusque doctrina contumeliam pati, deliteſcimus, nihil aliud ſcire volentes, quam quem re ipſa et non verbis ſolum profitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum et hunc crucifixum. Ideoque nec ſcholae nobis ſunt amplius, nec vſus latini ſermonis; contenti vt ſimus fide et vita ſancti et immaculati. Nec contendimus doctis humanae ſapientiae verbis, fidem noſtram probare, non ſcholaſticis argumentationibus, ſed ſolo fructu lucis in omni bonitate, et iuſtitia et veritate, probantes quid ſit beneplacitum Deo, veros Ieſu Chriſti ſeruos eiusque veram eccleſiam nos eſſe demonſtrare, teſtimonium nobis perhibente conſcientia noſtra in Spiritu ſancto. Non defuerunt fateor apud nos olim viri, vt SOCINVS, SMALCIVS, CRELLIVS, STEGMANNVS, STOINSCIVS, LVBIENIECKI, MOSKORZENSKI, SCHLICHTINGII et alii nobiliſſimi viri, quorum nomina proſcripta ſunt e regno *Poloniae*, ſed ſcripta in libro vitae, qui doctisſimis ſuis ſcriptis confuſiſſimam hanc Babylonem, in tot ſectas diuiſam, curare et ſanare voluerunt: ſed nul-

lam ſalutarem medicinam admittentem, aequum duxerunt contrahere calamos et excuſſo pedum puluere, vt Chriſtus praecipit, non ſanatam penitus derelinquere. Idem nobis omnino animus et propoſitum fuit, ingratum deſerere regnum, et permittere, vt qui ſordet, ſordescat adhuc. Sed quia neſcio quis ſcrutator veritatis, vt ſe vocat, illis in oris, in lucem e tenebris ſuppreſſo nomine prodiit, qui cum ab omnibus ſectis, tum a noſtris etiam, quos impiiſſimo vocabulo *Arriano-Socini-ſtas* vocat, reſponſionem petat; viſum eſt nobis propoſitum et ſilentium noſtrum rumpere, et ſatisfactionem ad XII. poſtulata eius dare - - - Mouit ad eandem ſatisfactionem dandam et illud, quod ſcrutator eam poſtulet ſolius veritatis erubeſcere neſciae intuitu, cuius quidem veritatis tanto maiorem lucem ſcrutatori affundi optamus, quanto profundioribus ille verſatur in tenebris. Mouit at maxime id, ne quis ex infirmioribus credat, nos ideo ſilere, quod vt falſo vaticinabatur ſcrutator, reſpondendo non ſimus. Quanquam nolo ad nos nomen Neo-Euangelicorum pertinere, cum doctrina noſtra ſit doctrina Chriſti, et per Apoſtolos propagata." Hoc praemiſſo prooemio ad XII. poſtulata, quae ſuo ambitu expoſita non ſunt, breuis adiungitur reſponſio ad mentem Socinianorum concinnata. In reſponſione ad Poſtulatum XI. ita auctor Catechismum familiae ſuae commendat: "Certo euolue Catechismum noſtrum, impreſſum *Racouiae* ſaeculi huius anno poſt Chriſtum natum 1612. quid in eo, quod non ſanctum, non pium, non verum, non Catholicum et Apoſtolicum ſit, inuenies? Totus, quantus eſt, ſacrae litterae ſunt."

3. *Les raiſons des Scripturaires etc.* i. e. *Rationes Scripturario-*

*variorum, quibus demonstrant, terminos scripturae ad explicandum dogma de Trinitate sufficere. Liber ex Anglica lingua translatus. Hamburgi apud* CASPARVM STEINER, 1706. 8. pl. 8½. An liber ex anglicana lingua translatus et *Hamburgi* excusus fuerit, ambiguum est. In praefatiuncula auctor anonymus Protestantes contradictionis postulat, 1) quod non contenti sola S. Scriptura, vnico fidei fundamento doctrinali, ad auctoritatem Conciliorum cum Pontificiis prouocent; 2) quod dissentientes a se hostili animo prosequantur et amori a Magistro suo omnibus Christi ciuibus iniuncto nuntium mittant. Ad tollendam hanc contradictionem et tyrannidem, libellum hunc a se esse concinnatum profitetur, in quo et Orthodoxorum et Vnitariorum explicationes dogmatis de Mysterio S. Trinitatis pro more coetus sui profert, et his expositis statuit: Vnitarios non modo ferendos esse ab Orthodoxis, verum etiam ab his in communionem recipiendos. In genere praecipua exhibentur Socinianorum argumenta, eorundemque ad obiecta responsiones.

Absoluitur autem opusculum XIV. capitibus, quibus subtexta *paraphrasis priorum* 14. *commatum primi capitis Euang.* IOANNIS. *Cap. I.* auctor exponit, quid sibi sint scripturarii; nimirum: quotquot Scripturam S. pro diuina reuelatione habent in tradendis iis, quae ad voluntatem Dei, ad viam salutis, ad informandam fidem et pietatem spectant, perfecta, quique nil praeterea admittunt, tanquam creditu necessarium, nisi quod expressis ac disertis verbis in eadem traditur. Generalem hinc tantum ab vnoquoque exigi confessionem, quod sincere omnibus in S. Scr. contentis fidem habeat, et quod, quam fieri potest, optime intelligere

Biblia ſtudeat, eiusque praeceptis morem gerere. Qui alios ad receptos terminos adſtringunt, eos euertere conſcientiae libertatem, ac ipſo facto eſſe Schismaticos. Ad melius capienda ſcripturariorum dogmata lectoribus commendat *Irenicum magnum*, in nouellis reipublicae litterariae a. 1700. menſe Octobri recenſitum. Cur autem Scripturarii recuſent quibusdam vti terminis praeter S. Scripturam, vſu iam receptis, duas adfert rationes: 1) Quod illi termini non ſint ſimpliciter neceſſarii; 2) Locum faciant malis et incommodis multis.

Priorem rationem *Cap. II.* perſequitur, in eoque *Trinitariorum Modaliſtarum* ſententiam proponit ac commendat, quae eſt: Eſſentiam Dei eſſe vnam, ſed tres eſſendi modos, Deumque vnum eſſe ratione eſſentiae, trinum ratione proprietatum, ita, vt per *Patrem* intellectus diuinus, per *Filium* ſapientia, per *Spiritum S.* voluntas aut potentia diuina intelligatur. Hanc ſententiam ab Vnitariorum placitis non, niſi verbis diſcrepare iudicat, caeterum nullam ſubeſſe rationem, cur appelletur Trinitas aut tres Perſonae. Allegat hinc AVGVSTINVM, HIERONYMVM, CALVINVM, LVTHERVM, CASAVBONVM et FORBESIVM, qui terminos illos, neque biblicos eſſe, neque neceſſarios ſaſſi fuerint. Neminem proinde adſtringendum eſſe, vt adhibeat terminos in S. Scr. non obuios, quos refugium ignorantiae et ſuperſtitionis adpellat.

*Cap. III.* alteram exponit rationem, monſtratque iisdem terminis impediri vnionem et communionem Vnitariorum et Modaliſtarum, verbis tantum diſſentientium, re ipſa vero conſpirantium. Iudaeis quoque et Mahumedanis impedimentum obiici grauiſſimum, quo

quo minus ad Chriſtianismum ſe conuertant. Multo magis impediri concordiam Vnitariorum cum Trinitariis realiſtis, quos vocat, qui per tres perſonas, tres ſubſtantias infinitas, realiter diſtinctas intelligunt.

*Cap. IV.* docet, fas eſſe in dogma Trinitatis curate inquirere, ſecusque ſentientes Iudaicae accuſat ſuperſtitionis, hinc argumenta examinat, quae Vnitariis obiici ſolent.

*Cap. V.* Orthodoxorum argumentum, plura S. Scr. loca litteraliter intellecta, confirmare doctrinam de tribus Perſonis in Deitate, quos terminos Eccleſia receperit ad clarius proponendum dogma reuelatum, infringere nititur, hoc modo: Trinitatem ſenſu *Modaliſtarum* intellectam, nullum in S. Scr. habere fundamentum, imo hos magis obſcurare hoc dogma; quoad ſenſum *Realiſtarum*, negat, eiusmodi loca in Bibliis occurrere; quia eo modo intellecta naturales ideas conturbent, rationis lumini repugnent, nec cum reliqua ſcriptura, quae alias hyperbolis et metaphoris abundet, conſpirent. Nihil magis implicare, quam tres infinitos ſtatuere ſpiritus, et tamen non, niſi vnum Deum admittere. Si vel maxime in S. Scr. loca occurrerent, quibus ſpiritui infinito aliae duae adiungi videantur Perſonae diuinae; ſenſum tamen communem dictitare, vt vel noſtram inſcitiam in explicandis iſtis confiteamur, vel illa ea explicentur ratione, quae cum vnitate entis perfectiſſimi congruat, nec rationi adverſetur.

*Cap. VI.* Ad obiectiones reſpondere contendit: Ieſum Chr. adpellari Deum et Filium Dei, eum teſte Scriptura S. mundum creaſſe, omnia ſcire et poſſe, remittere peccata, adorandum et inuocandum eſſe, Seruatorem generis humani eſſe Deum debuiſſe. Omnia in

 hunc

hunc finem ab orthodoxis adferri ſolita loca, ita contorquet auctor, vt nullum argumento adferri videantur firmamentum.

*Cap. VII.* Io. I. 1. ſenſu Socinianis accepto explicat.

*Cap. VIII.* Doctrinam de Chriſto ita proponit, vt Seruatorem ſolo virtutis ſingularis exemplo nobis ad Deum viam monſtraſſe, arbitretur.

*Cap. IX.* Per Spiritum S. intelligi modo potentiam ac virtutem Dei, modo angelum aliquem, vel plures Angelos, vel ipſum Deum, contendit.

*Cap. X.* Locis S. Scr. vim infert, in quibus trium perſonarum Trinitatis fit mentio.

*Cap. XI.* Obiectionem orthodoxorum ſuo more ſub examen vocat: Quod dogma de Trinitate perpetuo in Eccleſia ſit creditum, nec veri ſimile ſit, Chriſti ciues ſemper in ea re erraſſe; e contrario Vnitariorum opinio ſit noua et a paucis probata. Huic argumento, quod plures ante ipſum fecerunt Sociniani, opponit, quod non diu poſt Apoſtolorum aetatem ex Philoſophia Platonica variae in eccleſiam inuectae fuerint doctrinae genuinis Chriſti ciuibus antea incognitae, et quod Vnitarii cum antiquiſſimae eccleſiae Patribus loquantur.

*Cap. XII.* Eiusdem argumenti filum contexit, quodque omni aeuo fuerint Vnitarii, exponit.

*Cap. XIII.* Argumenta Vnitariorum praecipua producit, nimirum: 1) Si orthodoxorum dogma de Trinitate creditu neceſſarium eſſet, clarius in S. Scr. fuiſſet propoſitum; 2) *Trinitariorum realiſtarum* ſententiam rationi repugnare, Vnitariorum vero eſſe rationalem, intelligibilem, Deoque dignam; et 3) illam dictis refelli, quibus Deus tantum vnus dicatur, et Deus a Ieſu Chriſto et Sp. S. diſtinguatur.

*Cap.*

*Cap. XIV.* Rationes repetit, quibus Trinitarii permoueri debeant, ad Vnitarios in communionem ſuam recipiendos. Qua ratione in *Io. I.* 1-14. commentatus fuerit, ex priorum trium commatum paraphraſi colligitur, quae haec eſt: "Ieſus Chriſtus, verbum Dei, id eſt, ille, qui annuntiauit verbum ac mandata Dei, *erat in mundo initio Euangelii*, et cum IOANNES BAPTISTA profiteretur apud Iudaeos, regnum Dei prope adeſſe; hic Dei nuntius extraordinarius erat apud Deum, id eſt, *erat Deo cariſſimus*, et ope perpetua operationis Sp. S. perpetuum habebat cum Deo commercium, adeoque erat hoc reſpectu *quaſi Deus*, Dei vicem gerens. Ille erat ab initio apud Deum, i. e. erat Deo cariſſimus, qui ipſum inſtruxit de omni ſua voluntate. Omnia, ad hominum ſalutem neceſſaria, et praedicta de Meſſia, plane ſunt impleta per ipſum, ita, vt ſine eo, nihil illorum, quae fieri debuerunt, factum ſit etc." *Vid. Act. Erud. T. IV. Supplem. Sect. VIII. p.* 536-542.

4. *Quaeſtiones Theologicae de SS. Trinitate et Sacramentis*, quas *Anonymus* et Myſterium S. Trinitatis et Sacramenta non admittens a. 1713. menſe Octob. *Haga Comitum Regiomontum* transmiſit, addito nuntio, quod Theologis Lutheranis, Reformatis et Pontificiis illas ad reſpondendum propoſuerit, ſed inſufficientem acceperit reſponſionem. Germ. MSC. 4. pl. 1¼. Scriptum, quod ad manus noſtras peruenit, nihil noui in receſſu habet, ac proinde reſponſuro ad quaeſtiones nauſeam procrearet.

5. "Einige *Principia* und Grundregeln, welche bey Leſung heiliger Schrifft und Theologiſchen Diſputen ſehr nützlich, ja höchſt nöthig in acht zu nehmen; welche zu jedermanns Prüffung kürtzlich entworffen

worffen EIn LIebhaber Der hIMLIſChen VVahrheIt." Scriptum hoc dimidiam plagulam formae 4. complectens, ab anno huius ſaeculi XV. quo impreſſum, per nonnullas Germaniae vrbes diſſeminatum eſt. Regulae XII. hermeneuticae, ex mente Sociniani auctoris explicandae S. Scripturae inſeruientes, bonam ſpeciem prae ſe ferunt, multa tamen cum verſutia ad fallendum indoctos et pellis ouinae, Socinianis ad ſuetae ignaros effictae. Sub examen easdem vocauit Anonymus quidam in den Preußiſchen Zehenden, T. II. p. 960. ſeqq. qui vbique peſſimam heterodoxi ſcriptoris intentionem detexit, lectoresque monuit, ne regulas iſtas innoxias reputent.

6. **Frage: Ob GOtt, und Chriſtus Gottes Sohn zween Götter, Herren, Richter und Seeligmacher können genennet werden?** *MSC.* 4. pl. 2½. Scriptum, quod in manibus noſtris eſt, vel Io. PREVSSIVM vel SAM. CRELLIVM habere auctorem nobis videtur; quisquis autem fuerit, Socinianis accenſendus. Tractationem ita incipit: " Nachdem man mit Beſtande der Wahrheit glaubet und bekennet: daß Jeſus Chriſtus der Sohn des Höchſten, ein wahrhaftiger Gott, Herr, König, Richter, Erlöſer ꝛc. ſey, und genennet werde, und aber nicht eben derſelbe an der Zahl einige Gott, Herr, König, Richter und Erlöſer iſt, welcher ſein himmliſcher Vater iſt; ſo wird uns von denen, die da wollen, daß ſie alle beyde zuſammen der einige Gott ſeyn, vorgeworffen, daß wir zween Götter, zween Herren glauben. Und ungeachtet wir ſolchen Vorwurff der Nichtigkeit, und ihren Schluß wieder uns der Falſchheit überzeugen, indem wir in ſolchen Nahmen und Ehrentituln einen großen Unterſcheid der Bedeutung anweiſen, wenn ſie dem höchſten einigen Gott, oder

oder aber dessen Sohn Jesu gegeben werden, sagende: daß, wenn von dem Vater Jesu Christi gesaget wirdt, daß er Gott, Herr, König &c. sey, so bedeute es einen solchen, der es alles von ihm selbst, und vor sich selbst ist, und es Niemanden zu dancken hat; wenn solche Nahmen aber seinem Sohne gegeben werden, so bedeutet es einen solchen, der alles von Gott des Vaters Gnaden zu dessen Ehren hat, und demselben zuzuschreiben; so lassen sie doch nicht ab, noch daran sich vergnügen, sondern sagen unbedachtsam und unvernünfftig: Ihr habet dennoch zween Götter und zween Könige, Herren, Seeligmacher, Richter &c. einen von ihm selbst, den andern aus dessen Gnade, einen großen, einen kleinen, einen Alten, einen Jungen, &c. und wie sie mehr zu spotten pflegen. Und ob wohl durch Anweisung dieser so sehr unterschiedenen Bedeutung, ihr Schluß von zween Göttern, Herren, Seeligmacher &c. augenscheinlich falsch; denn es werde in der ersten Bedeutung genommen, so haben wir nicht mehr als einen; oder es werde in der andern Bedeutung verstanden, so haben wir auch nicht mehr, als einen, und also in keinerley Bedeutung zween; so hat es doch in den Augen der Einfältigen und ungelahrten einen Schein der Wahrheit, und wissen nicht, wo der Betrug steckt. Weil aber ein jeder, der etwas als falsch verwirfft, nicht ohne ration oder Ursache es thun muß; sondern schuldig ist, dieselbe beyzubringen, damit ihm nicht bloße Hartnäckigkeit nachgesaget werde; so achtet man wohl der Rede werth, solche Sophisterey, woraus sich der zehende kaum auswickeln kann, zu entdecken, und wo es ihm sitzt, zu untersuchen."

"Vt hac imputatione coetum suum liberet auctor sequentes praemittit regulas: 1) Terminus aequiuocus non

non ingreditur ſyllogismum; 2) De ambiguis ſeu Homonymis nec affirmari nec negari quicquam poteſt; 3) Vnus terminus ſemel poſitus, non niſi vnum ſignificare poteſt. Ex his ita infert: Nachdem nun kund und offenbahr iſt, daß alle obgedachte Wörter, als Gott, Herr, König, Richter, Seeligmacher, und andere mehr, als Hirt, Vater, Führer, Lehrer, Licht, Leben, item, gut, weiſe, gerecht, heilig, allmächtig, allwiſſend, unſterblich, ewig, A und O, erſte und letzte ꝛc. ſo beſchaffen ſind, daß ſie von unterſchiedenen gebraucht oder geſagt, gar weit unterſchiedene Bedeutung haben; ſo ſollen ſie nach der erſten Vernunft-Regel, gar in keine Diſputation kommen; weil nach der andern Regel, man weder nein, noch ja darauf ſagen kan, vielweniger kann man einen Schluß daraus machen, weil ſie wieder die dritte Regel auf einmal zweyerley Bedeutung haben müſſen."

Aſſerti ſui veritatem hac inductione illuſtrari ac confirmari poſſe putat: "Ich wolte einen fragen: Ob er glaube: daß Jeſus Chriſtus der Herr ſey? Sagt er Nein, ſo wiederſpricht er unzählichen Oertern des N. T. Sagt er Ja, ſo könnte ich ihn ſo confundiren und ſchlüſſen: Der Herr hat einen Chriſtum oder Sohn, *Act. IV.* 26. 27. *Ergo*, hat Jeſus Chriſtus einen Chriſtum und Sohn. So ginge es auch mit allen denen obgedachten Wörtern, wenn jemand ja oder nein dazu ſagen möchte. Vtendum tamen eſſe hisce terminis, quamuis prouide, concedit, et coetus ſui ſocios, circa vſum eorundem hoc modo inſtruit: Wenn demnach der Wiederſacher fraget: Haltet ihr den Vater Jeſu Chriſti nicht vor Gott? So ſage man weder ja noch nein darzu, laut der zweyten Regel, weil das Wort Gott, ein Wort von unterſchiedener Bedeutung

iſt,

ist, und noch nicht verabredet ist, in welcher es in dieser Unterredung soll genommen werden. Will er, daß das Wort **Gott** bedeute einen solchen, der von ihm selber und nicht von andern ist, so mag er alsdenn erst antworten mit Ja. Frågt er weiter: Haltet ihr Jesum Christum nicht für Gott? So kann und soll man eben erstgedachter Ursach halber weder ja noch nein sagen, so lange der Wiedersacher sich nicht erklåhret, in welcher Bedeutung er das Wort Gott wolle verstanden haben. Sagt er, eben in der, und also wie der Vater, da antworte man Nein. Die Ursach ist, weil Christus nichts von ihm selber ist, noch hat, noch kann. Sagte er aber, es bedeute ihm Gott von Gotte, wie ihn das *Symbolum Nicaenum* nennet, so sage man Ja darauf; aber auf solche Weise wird nun schon keine Schlußrede daraus, *Ergo*, da habet ihr zween Gòtter, weil ihr sie beyde nicht vor den einigen Gott haltet, wie wir halten. - - - Sagte er: er nehme das Wort in beyderley Bedeutung; - - - so handelt er wieder die dritte Regel, indem er will, daß ein Wort auf einmal und an einem Orte mehr als eine Bedeutung habe. - - - - Christus ist eigentlich zu reden ein wahrer Gott, Herr, König, Richter, Erlöser, Lehrer ꝛc. aber nicht ohne Gott den Vater, und also nicht gegen oder neben ihm zu rechnen, sondern gegen uns zu rechnen, derer Gott, Herr, König, Richter und Lehrer er ist; Gegen Gott den Vater zu rechnen, ist der Vater sein Gott, der ihn gemacht hat, sein Herr, sein König, Richter, Erlöser, Lehrer ꝛc. - - - Wie ist es möglich, daß derselbe Gott, dessen Gott der Vater ist, mit dem Vater zugleich gerechnet zween Götter seyn solten ꝛc."
In sequentibus auctor Deum Patrem cum Rege, Filium cum

cum miniſtro Regis comparat, qui Regi acceptum fert, quod ſubditi ipſum Dominum et Magiſtratum ſuum venerentur, ſalua interim manente ſuprema Regis Maieſtate.

7. *Lettres ſur la Religion Eſſentielle a l'homme diſtingvee de ce, qui n'en eſt, que l'Acceſſoire*, i. e. Epiſtolae de religione homini accommodatiſſima, ſecreta ab eo, quod non, niſi acceſſorium eſt, Partes II. *Amſt.* 1738. 8. plag. 20½. Hac verſione gallica prodiit liber, qui paulo ante anglice, *Londini* 1738. 8. lucem viderat. Auctor anonymus merito Socinianis accenſendus, qui horum erroribus noua admouere fulcra ſtuduit. Vid. Io. FRID. STAPFFERI *Inſtit. Theol. polem.* T. III. p. 360. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. theol.* T. I. p. 342. et BAVMGARTENII *Recenſio libb. memoral.* T. I. p. 104. Lucem vidit recentior libri editio gallica reuiſa et correcta, *Londini* a. 1739. 8. quae IV. complectitur partes, quarum duas tantum antiquior habet. *Prima* pars praeter epiſtolam ad lectores, et editorem, nec non Introductionem in totum opus, paginas habet 202. *Secunda*, praeter monitorium de epiſtolis exhibendis pagg. 218. *Tertia* titulum prae ſe fert: *Svite ſur la Religion Eſſentielle a l'homme, ſervant de Reponſe aux objections, qui ont été faites a l'Ouvrage qui porte ce Titre*, habetque praeter monitorium praemiſſum et epiſtolam Iſagogicam pagg. 316. *Quarta* hoc indice inſignita: *Svite de la troiſieme Partie ſur la Religion Eſſentielle a l'homme en douze Lettres, Londini* 1739. quae exceptis obſeruationibus generalibus, paginas 124. implet. Socinianam doctrinam paſſim nouis periſtromatibus ornatam hisce epiſtolis ineſſe, ac inibi vtramque facere paginam, auctores *nouor. actor. erudit. Supplem.*

*plem.* T. IV. p. 501. iudicant. In parte priori Scriptor operam dedit, vt myſteria ex religione reuelata extirparet, ac ſatisfactionem et redemtionem Chriſti tolleret. Quaedam futilium opinionum monſtra l. c. allegata reperiuntur. Notauit in hoc ſcripto anonymo *Sabellianismum* et *Socinianismum* Arianismo mixtum FRANC. DE ROCHES in vindiciis rei chriſtianae, quae tomis 2. lingua gallica prodierunt *Lauſannae* et *Geneuae* 1741. 8. *Alph.* 2. pl. 3. Vid. *Nou. Act. Erud. Supplem.* T. VI. p. 324. ſeqq.

8. *Argumenta ex S. literis, quibus probatur, Chriſtum non eſſe ſummum Deum. MSC.* Numerantur ab anonymo argumenta 58. vt ipſa multitudine terrefaciant, quae ad pauciſſima reduci ab eo potuiſſent. Nimirum 1) Chriſtus ſaepiſſime a Deo ſummo in S. literis diſtinguitur, e. g. quando dicitur Filius Dei, imago Dei, panis Dei etc. 2) Quia non poteſt a ſe ipſo facere quicquam, *Io.* V. 19. 30; hinc ſummus Deus eſſe nequit, qui omnia a ſe ipſo poteſt; 3) Quia dicit, ſe non eſſe primum doctrinae ſuae auctorem *Io.* VII. 16. 17. etc. 4) Negat ſe a ſe veniſſe, ſed a Patre miſſum adfirmat, *Io.* VII. 28. 5) Teſtatur ſe non veniſſe vt faceret ſuam voluntatem, ſed Patris, *Io.* V. 30. 6) Negat ſe quaerere ſuam gloriam, *Io.* VIII. 5. 7) Dicit *Io.* XII. 44. qui credit in me, non in me, ſed in eum credit, qui me miſit. 8) Diem vltimi iudicii ignorauit, *Matth.* XXIV. 36. *Marc.* XIII. 32. 9) Sedere ad dextram et ſiniſtram, non eſt ſuum dare. *Matth.* XX. 23. 10) Eodem teſte nemo bonus eminenter, niſi vnus Deus. *Matth.* XIX. 17. 11) Ipſe precatur, non ſicut ego volo, ſed ſicut Tu. (Pater) *Matth.* XXVI. 39. 12) Se ipſum non glorificauit, *Hebr.* V. 5. 13) Pater maior ipſo eſt, *Io.* XIV. 28.

14) Pater Filium in mundum misit, *Io.* III. 16. 17. seqq. 15) Christus mandata a Deo accepit, *Matth.* X. 40. 16) Fuit Deo obediens, *Rom.* V. 19. *Phil.* II. 8. 17) Dei seruus vocatur, *Matth.* XII. 18. 18) Preces ad Patrem fudit, *Matth.* XXVI. 39. 42. 44. *Io.* XVII. 1. seqq. *Hebr.* V. 7. 19) Ipsi omnia a Patre sunt data, *Matth.* XXVIII. 18. 20) Deus Iesum fecit Dominum ac Christum, *Act.* II. 36. *Hebr.* III. 2. 21) Eidem a Patre traditum est omne iudicium, *Io.* V. 22. *Act.* X. 42. 22) Nomen a Patre donatum supra omne nomen, *Phil.* II. 9. 23) Pater in ipso manens fecit opera eius diuina, *Io.* XIV. 11. 24) Opera, quae ipsi dedit Pater, testantur de illo, *Io.* V. 36. 25) Opera fecit in nomine Patris, *Io.* X. 25. 26) Gratias egit Patri, quod ipsum exaudiverit, *Io.* XI. 41. 27) Deus Iesum Nazarenum vnxit Spiritu S. *Act.* X. 38. 28) Appellatur vir a Deo approbatus, *Act.* II. 22. 29) Quia non est prima, sed media caussa omnium diuinorum operum ad salutem nostram spectantium, *Io.* I. 3. 1 *Cor.* VIII. 6. *Eph.* III. 9. 30) Deus omnia per Christum sibi reconciliauit, 2 *Cor.* V. 18. *Col.* I. 19. 31) Deus nouissimis diebus ad nos locutus est per Filium suum, *Hebr.* I. 1. 32) Deus nobis victoriam dedit per Dn. Nostrum I. C. 1 *Cor.* XV. 57. 33) Spiritum S. effudit in nos per I. C. *Tit.* III. 5. 6. 34) Occulta iudicaturus est per I. C. *Rom.* II. 16. 35) Nobis a Deo factus est sapientia, iustitia etc. 1 *Cor.* I. 30. 36) Christus consummatus, omnibus, qui obediunt ipsi, caussa aeternae salutis extitit, *Hebr.* V. 9. 10. 37) Deus Christum dextra sua euexit Principem ac Seruatorem, *Act.* V. 31. 38) Paracletum, de ipso testantem mittit a Patre, *Io.* XV. 26. 39) Dextra Dei exaltatus, et promissione Sp. S. accepta a Patre

Patre effudit dona miraculoſa, *Act.* II. 33. 40) Nondum erat Sp. S. quia Ieſus nondum erat glorificatus, *Io.* VII. 39. 41) *Io.* XVI. 7. dicit: Niſi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. 42) *Io.* VIII. 16. Quodſi ego iudicarem, iudicium meum verum eſſet; quia ſolus non ſum, ſed ego, et qui miſit me, Pater. 43) Non eum ſolum relinquit Pater, quia, quae huic placent, facit ſemper, *Io.* VIII. 29. 44) Pater eſt Deus Chriſti, *Matth.* XXVII. 46. *Io.* XX. 17. *Eph.* I. 17. *Hebr.* I. 8. 9. *Apoc.* III. 12. *Mich.* V. 4. 45) Deus eſt Chriſti caput, 1 *Cor.* XI. 3. 46) Chriſtus eſt Dei, 1 *Cor.* III. 23. 47) Ipſe Filius Patri regnum reddet, eritque ei ſubiectus, 1 *Cor.* XV. 24-28. 48) Eſt Dei et hominum Mediator, 1 *Tim.* II. 5. 49) Dei Sacerdos, *Hebr.* II. 17. V. 5. 50) A Deo Patre reſuſcitatus ex mortuis, *Act.* II. 24. III. 15. 26. *Gal.* I. 1. *Eph.* I. 17. 20. 51) Imago Dei inuiſibilis, 2 *Cor.* IV. 4. *Col.* I. 15. *Hebr.* I. 3. 52) De incarnatione Dei altiſſimi S. literae tacent, *Matth.* I. 18. 53) Quatenus eſt Vnigenitus Filius Dei, pro nobis mortuus eſt, *Io.* III. 16. 54) Eidem datus eſt Sp. S. *Matth.* III. 16. 55) A diabolo tentatus eſt, *Matth.* IV. 1. 56) Eſt primogenitus omnis creaturae, *Col.* I. 15. 57) Dominus ad gloriam Dei Patris, *Phil.* II. 11. 58) Toties appellatur et eſt Filius hominis.

9. *De Spiritu S. quod is non ſit Deus Summus demonſtratio ex S. Scriptura. MSC.* Idem ſine dubio auctor, qui ſcripti prioris, idem enim litterarum figura, idemque cumulandi in ſpeciem argumenta pruritus. Demonſtratio ita dicta, his nititur rationibus: 1) Quod Sp. S. nusquam in tota S. Scr. expreſſe Deus vocetur; 2) Nec vllum in eadem ſit praeceptum, vt illum adoremus, aut invocemus; quin ne exemplum eius rei

inveniatur vllum. 3) Illius plurimis in locis nulla fiat mentio, vbi omnino eius mentio fieri debuiſſet, *Act.* XX. 21. 4) Omittitur, *Matth.* XI. 27. 5) Creberrime a Deo diſtinguitur, vt eius Spiritus, *Matth.* III. 16. 6) Appellatur Dei virtus, *Luc.* I. 35. et digitus Dei, *Luc.* XI. 20. 7) Chriſtus Sp. S. Filius foret, ſi Sp. S. eſſet Deus ſummus, vel ſaltem Perſona, *Luc.* I. 35. 8) Datur hominibus et ideo donum Dei nuncupatur, *Act.* II. 38. 9) Arrhabo, 2 *Cor.* I. 22. *Eph.* I. 13. 14. 10) Eodem homines obſignantur, 2 *Cor.* I. 22. 11) In homines effunditur, *Tit.* III. 5. 6. 12) In Spiritu S. homines baptizantur, *Act.* I. 5. 13) Homines eodem tanquam potu reficiuntur, 1 *Cor.* XII. 13. 14) Chriſtus et alii homines eodem vncti, *Luc.* IV. 18. *Act.* X. 38. 15) Loca quaedam partitionem Sp. S. arguunt, *Act.* II. 18. 16) PAVLVS cum aliis Apoſtolis primitias Sp. S. accepit, *Rom.* VIII. 23. 17) Deus eum non dat ex menſura. 1 *Io.* III. 34. 18) Eundem non debemus extinguere, 1 *Theſſ.* V. 19. 19) Aliquando non fuit, *Io.* VII. 39. 20) Diſcipuli Epheſini ne quidem audiverunt, an ſit Spir. S. *Act.* XIX. 2. 21) A Patre procedit, *Io.* XV. 26. 22) A Patre et Filio mittitur, *Io.* XIV. 26. XVI. 7. 23) Non loquetur de ſemet ipſo; ſed quaecunque audierit loquetur, *Io.* XVI. 13. 24) Deus nobis quaedam per Sp. S. ſuum reuelauit, 1 *Cor.* II. 10. 25) Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei, l. c. 26) Nemo ſcit ea, quae in Deo ſunt, niſi Spiritus Dei, 1 *Cor.* II. 11. 27) Deſcendit aliquando ſuper Chriſtum in ſpecie columbae, *Matth.* III. 26.

10. *Quod Pater Domini n. I. C. ſit ſolus ille vnus Deus altiſſimus. MSC.* Ex rationibus N. 9. adductis, eundem

dem esse auctorem suspicamur. Argumenta sunt: 1) Pater ita describitur, quod sit solus verus Deus, *Io.* XVII. 3. 2) Dicitur vnus Deus Pater, ex quo omnia, 1 *Cor.* VIII. 6. 3) Vnus Deus et Pater omnium nostrum, *Eph.* IV. 6. 4) De die illo solus Pater scit, *Matth.* XXIV. 36. *Marc.* XIII. 32. 5) Idem Deus ab eodem Spiritu et ab eodem Domino distinctus est, qui est Pater Domini n. I. C. 1 *Cor.* XII. 4. 5. 6. 6) Vnus est Deus, et vnus Mediator Dei et hominum etc. 1 *Tim.* II. 5. 7) Vnus est Deus, qui iustificat etc. *Rom.* III. 30. 8) Soli sapienti Deo gloria sit per I. C. *Rom.* XVI. 27. 9) *Dan.* VII. 9. 13. *Apoc.* IV. V. Sedens in throno non est vllus alius, quam Pater I. C. 10) Nullus alius est Deus altissimus, quam qui olim dictus fuit Deus Abrahami, Isaaci et Iacobi, Deus Israelitarum, qui est Pater I. C. *Act.* III. 13. *Hebr.* I. 1. 11) Ex locis, in quibus Patri prae Christo praerogatiua tribuitur, e. g. Christus ipse dicit, Patrem se maiorem esse, *Io.* XIV. 28. Pater dicitur Caput Christi, 1 *Cor.* XI. 3. et Deus Christi. *Io.* XX. 17. *Eph.* I. 17. etc.

Adtexuit his auctor tria argumenta, ex quibus monstrare conatur Orthodoxos male adhuc pugnasse aduersus Antitrinitarios ex dictis, vt putat controuersis; nimirum 1) Isti tantum S. Scripturae loci afferri debent pro confirmatione articulorum fidei, ex quibus certo aliquid probari potest; ergo pro confirmatione articulorum fidei, loci controuersi afferri non debent. 2) Omnis certa cognitio rei inde debet peti, ex quo certo probari potest. A. Ex locis controuersis nihil certo probari potest. E. Certa cognitio rei ex locis controuersis peti non debet. 3) Cognitio Christi et Sp. S. peti debet ex primis et indubitatis locis S. Scripturae. A.

Loci S. Scr. qui adducuntur ab aduerſariis, non ſunt primi et indubitati. E. Cognitio Chriſti et Sp. S. ex illis peti non poteſt.

11. *Symboli Apoſtolici eiusque Anti-Symboli articuli XIII. e diametro ſecum pugnantes. MSC.* Parum differt ab eo, quod ſub SAM. PRZYPCOVIO, N. 35. ex MSC. inſeruimus.

12. *A plain Account of the Trinity from ſcripture and Reaſon etc.* i. e. *Dilucida expoſitio doctrinae de Trinitate ex S. Scriptura et ratione, qua manifeſto demonſtratur, fidem huius doctrinae auctoritate Eccleſiae introductam, humanum eſſe inuentum, nec quicquam de illa in S. Scriptura occurrere. Accedit tractatio de pulchritudine et ſtylo S. litterarum, nec non dialogus inter auctorem, et amicum ipſius de abſurdis, quae continentur in ſyſtemate Trinitariorum, quod ab his defenditur. Scriptum a quodam viro nobili.* Prodiit liber anglice, *Londini* 1739. 8. mai. pagg. 83. Quinam auctor eius ſit, certo dici nequit, nec ex litteris E. J. quas in fine epiſtolae ex India occidentali ad editorem ſcriptae, notauit, coniici licet. In praefatione ad lectores auctor conſcientiae ſtimulis et argumenti praeſtantia ſemet concitatum profitetur, noua haec, quemadmodum ſibi perſuadet, publicae luci committere. Maximum demonſtrationis fundamentum petit ex loco, 1 *Tim.* II. 5. ex quo colligi poſſe putat, quod hi duo *Deus* et *Mediator* vi oppoſiti diuerſi eſſe debeant, nec vnus idem, qui alter eſſe poſſit. Mediatorem quidem eſſe Deum et hominem, primum vero non *eſſentialiter*, ſed tantum *propter generationem.* Patrem et Filium diuerſam habere eſſentiam, Filium Patri non eſſe ſimilem, multo minus aequalem, nec ex praeſcripto S. Scriptu-

Scripturae adorandum. Occaſione verborum, *Ego et Pater vnum ſumus*, Euangelium IOANNIS interpolatum eſſe colligit. Spiritum S. omnino Trinitate eſſe excludendum, nec procedere a Deo, nec Deum dici poſſe; Patrem ſolum ſummum eſſe Deum eloquitur. Vid. BAVMGARTENII *Recenſio Biblioth. Hal.* T. VI. p. 411. ſeq. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. theol.* T. I. p. 956.

13. *The Tryal of* WILLIAN WHISTON, *Clerk, for defaming and Denying the Holy Trinity, before the Lord Chief Juſtice Reaſon, London* 1739. 8. In impio hoc ſcripto cuius auctor, quantum ſcimus, eruditis incognitus eſt, *ratio* vt iudex, WHISTONVS vt accuſatus, WATERLANDVS aliique orthodoxi Trinitatis defenſores, vt accuſatores, Euangeliſtae vero atque Apoſtoli tanquam teſtes in forum protrahuntur. Totum negotium, more in foris iuridicis Anglicanis vſitato, tractatur, cuius exitus eſt vt WHISTONVS in optima forma abſolutus, adverſus autem accuſatores eius ſententia condemnatoria pronuntiata fuerit. Additus eſt libro *Catechismus pro ſcortis*, qui profanam ſane auctoris mentem abundanter declarat. Vid. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. Theol.* p. 957. et hiſtoriam noſtram Socinianismi et Arianismi Anglicani.

14. Gedancken von Gott dem Vater, dem Sohne und dem heil. Geiſte, nach der Uebereinſtimmung der Vernunft und Offenbarung, in einem Schreiben an einen berühmten Lehrer der Gottesgelarheit zur Prüffung entdecket, 1755. 8. In hoc libello anonymi ratiunculae adparentes, quibus plerumque doctrina reuelata de myſterio S. Trinitatis impugnatur, nouo habitu comparent. Ad examen eum vocavit

vit Io. Andr. Mercatvs in adnotationibus ad eundem germ. ſcriptis et *Halae* 1756. 4. luci expoſitis.

## ELIAS ARCISSEVIVS, *Senior.*

Eques Polonus, *Smiglae* Dominus et coetus, hoc loco a Socinianis collecti, Patronus, ſimulque Paſtor, qui a. 1592. Andreae Lvbieniecio Smigla euocato in munere Eccleſiaſtico ſucceſſit. Smiglam ſibi a Dvdithio illius Domino, vitam priuatam et a negotiis remotam praeoptante comparaſſe, videtur Lavterbachio in *Ariano-Socinismo* olim in Polon. p. 405. *Socinus* in praef. libri *de I. C. Seruatore*, quem ipſe Arcissevivs praemiſſa praefatione in lucem emiſit, eum T. II. Opp. f. 120. adpellat *virum pium et in vinea Domini egregium operarium, eumdemque ſummum amicum ſuum.* De eodem Rvarvs in ep. ad Ioach. Pevschelivm a. 1614. ſcripta, in Epp. illius *Cent.* II. N. 17. inquit: "Non ſemel mihi colloquium fuit cum Elia Arcissevio, illo, qui librum *Socini de Servatore* cum praefatione vulgauit; habet enim ille non procul Smiglia praedium ſatis lautum, quod illi ex Smiglenſi territorio, cuius olim Dominus fuerat, iniquiori fortuna circumuento ad ſtatum ſuum cum dignitate inter equites Poloniae tuendum remanſit: vir eſt non indoctus, ſed cui rei familiaris cura parum ad ſtudia litterarum tractanda temporis, praeſertim aetate paulum iam affecta, relinquit." Duos reliquit filios virtute bellica inclytos, quorum alter Elias, in exercitu Danico Tribunus, alter iunior natu Christophorvs apud Batauos in India occidentali copiis bellicis praefuit. Vid. Sandivs l. c. p. 95. et 141.

Scripta:

1. *Praefatio in F. Socini librum de I. C. Seruatore*, edit. 1594.

1594. 4. ſubſcripta e. a. Kal. Octobr. in qua ſemet ipſum *Ieſu Chriſti ſeruum* adpellat.

2. Anno 1628. libellum a ſe concinnatum Synodo transmiſit, cum petito vt imprimeretur; cui reſponſum a Synodo datum, quod deficiente pecunia id iam hoc tempore fieri nequeat. Cuius argumenti fuerit, in *actis MSSCC.* non ſignificatur.

## ELIAS ARCISSEVIVS, *Iunior.*

Eques Polonus, Eliae ſen. filius, Tribunus quondam militum Regis Danorum, et Aulicus Regis Poloniae. Plurium Arcisseviorvm in ſcriptis Socinianorum et *actis Synod. MSSCC.* fit mentio. Inter hos eſt 1) Christophorvs, germanus natu iunior Eliae Arcissevii iunioris, cum quo Andr. Wissowativs in Belgio amicitiam olim contractam communiuit. Hinc auctor vitae Wissowatii apud Sandivm l. c. p. 232. inquit: "Offendit tunc temporis Andr. Wissowativs in Batauia Christophorvm Arcissevivm, Equitem Polonum, qui Societati Indiae occidentalis operam ſuam nauans, a Curatoribus eius in Americam cum militum manu, cum ad Braſiliam, aliaque eorum ditioni ſubiecta loca tutanda, tum ad noua acquirenda, expediebatur. Fuerat is a iuuentute, horum, quos Arianos vocant, addictus ſacris: verum inter Reformatos degens, ad eorum communionem acceſſerat. Quod tamen hac fecit conditione, vt ei de Trinitatis dogmate, a communi opinione diſſentire liceret, prioremque de vnitate Dei retinere ſententiam: impigre fateri ſolitus, *Arianos*, ſeu *Photinianos*, (prout vulgo audiunt,) caeteris purius de Deo ſentire, quod et litteris ſuis ad Regem Wladislavm IV. cum in patriam reuerteretur datis, haud veritus eſt inſerere. Is in priſtinae amicitiae, quam cum Wisso-

watio coluerat, ſignum, inuitabat eum, vt vela ſecum faciens, in *Americam* traiiceret; innuens haud defuturam illic diuinae gloriae promouendae meſſem. Nec difficulter animum eius, ad talia dudum propenſum, flexiſſet; ni eum a tam longinquo diſcriminisque pleno itinere retraxiſſent cum parentes procul relicti, huiusque rei inſcii, tum Eccleſia, cuius curae ſe commiſerat, quibus inconſultis nihil noui tentare voluit." 2) Ioannes Arcissevivs, *ſenior*, cui in conſeſſu Dazuienſi a. 1648. iniungebatur, vt commentarium in epiſtolam *Pauli ad Romanos* et tractatum *Crellii* de Spiritu S. reuideret, typisque exſcribi curaret. 3) Ioannes Arcissevivs, *iunior*, qui a. 1648. ab eodem conſeſſu Dazuienſi publico conſilio ad promouenda coetus Sociniani incrementa in exteras regiones delegatus eſt Miſſionarius, concesſo ipſi annuo 1000 flor. ſtipendio, habuitque itineris comitem et negotiorum cooperarium Christoph. Spinovivm *(Crellium)*. Anno 1649. in Raſcouienſi conſeſſu in ipſius arbitrio poſitum eſt, vbicunque viſum ipſi fuerit ſuam figere ſedem, modo id commodis coetus cederet. 4) Samvel Arcissevivs. In actis Synodi Rutouienſis a. 1684. ipſius primum, quantum recordamur, mentio fit. In Synodo Selchouiae a. 1687. habita, concinnandi Catechismum in vſum infantum ipſiſſimis S. Scripturae verbis laborem, vna cum Bened. Wissowatio in ſe ſuſcepit, de quo alio loco. Reſtat vt Eliae *iunioris* ſcripta recenſeamus.

Scripta:

1. *Scriptum cuiusdam* Illvstr. Eqvitis Poloni, *Aulici Regii, quo Regi ipſi rationem reddit conſcientiae ſuae, quod, relictis aliis religionibus, vni, quam vocant Arianam, ſe addixerit,* 1649. 8. ſine loci indicio.
2. *Epiſtola ad Ill. Dn.* Kazanovivm, *Mareſchall. Curiae Regni,*

*Regni, qua Religionis suae, quae Ariana vulgo audit, rationem reddit. MSC. Polon.*

## BENEDICTVS ARCOSI.

Hungarus, Gymnasii Claudiopolitani lector. Vid. *hist. Socin. Transylu.*

SCRIPTA:

De locis SS. literarum inter Trinitarios et Vnitarios controuersis. *MSC.* Allegatur apud SANDIVM l. c. p. 156.

## IOANNES BALCEROVICIVS.

Ciuis Lublinensis et Senior coetus huius loci, circa annum 1580. et seqq. cuius F. SOCINVS in epistola ad CZECHOVICIVM *Epp.* p. 337. meminit, quemque vna cum CZECHOVICIO in epistola ad NIEMOIEVIVM in *Epp.* p. 220. suo nomine salutandos rogat, ad quem etiam ipsum quasdam dedit epistolas SOCINVS. Plura mihi de eodem noscere cupienti, PAVLVS CRELLIVS aliquando respondit: Io. BALCEROVICIVS, ciuis Lublinensis, egregius itineris comes et consors legationis, cum ANDREA LVBIENIECIO peractae, ex auctoritate Synodi Chmielnicensis, apud *Goslarienses* in gratiam *Ostorodorum* matris sororumque, quas liberauerunt periculo perpetui carceris et adduxerunt secum ad confratres Polonos. De hac legatione alio loco plura ex *actis MSSCC.*

## STEPHANVS BALIVS.

Eques Polonus, cuius nulla, quantum memini in *actis MSSCC.* fit mentio, a SANDIO tamen p. 90. notatus, qui illum cantiones ex S. Scriptura petitas concinnasse, commemorat.

BAR-

## BARTHOLDVS.

LVBIENIECIO *in hist. reform. Polon.* p. 250. vocatur celebris e Germania Medicus, qui a. 1626. Racouiam advenit. Vix dubium est, quin semet Socinianorum coetui Racouiae adiunxerit. Vnde vero venerit, quid commodi Socinianis praestiterit et vtrum scriptis quoque editis familiae huic operam suam nauauerit, rescire non potuimus.

## VALENTINVS BAVMGARTIVS.

Memela Borussus, de quo in historia Socin. Pruss.

SCRIPTA:

1. *Scriptum, contra incarnationem I. C.* Cui opposuit Io. PAVLIN. FELWINGERVS *vindicias incarnationis I. C. Altorff.* 1669. 8. qui quoque in lucem emisit *Immodestam modestiam, qua Photinianus* VALENT. BAVMGARTIVS *se excepit, Altorff.* 1667. 8.
2. *Collatio Religionum.* Et hoc scriptum sub examen vocauit Io. PAVL. FELWINGERVS, *in dissensione collationis religionis Euangelicorum, s. Lutheranorum, cum religione Vnitariorum s. Photinianorum, conscriptae a* VALENT. BAVMGARTIO, *Altorff* 1667. 8.
3. *Antitritheia, s. Dissertatio vulgatae opinioni de tribus Elohim, h. e. Diis, s. de tribus personis, quarum quaelibet est summus Deus, opposita. In qua per distinctas quatuor sectiones ostenditur, vulgatam illam Triadolatriam, et de tribus personis in vno Deo opinionem esse* (ἀθεμιτον) *vanam et futilem, quia est* 1) *Origine humana,* 2) *Progressu violenta,* 3) *Effectu detrimentosa, iuxtaque rationi sanae aduersa,* 4) *Scripturae contraria. Act. XXVII.* 22. *Anno Domini MDCLIV. MSC.* 4. plagg. 45.

4. *Ca-*

4. *Catechesis latina. MSC.*
5. *De summo bono. MSC.*
6. *Oratio reuocatoria*, habita Regiomonte 1640. 26. Aug. Vid. ZELTNERVS l. c. p. 889. HARTKNOCHII *hist. Eccl. Pr.* p. 593. seqq. et addenda p. 5. Particulam quandam scripti raro admodum obuii *historiae nostrae Socin. Pruss.* olim inseruimus.

## IOANNES BECIVS.

*Belga*, natus circiter 1622. Pastor olim Middelburgensis in *Zelandia*, quo munere ob susceptas Antitrinitariorum partes priuatus est. Vid. SANDIVS l. c. p. 164. *Scriptorum* ipsius catalogum idem exhibet, quibus addi possunt: 1) *Twyffelingen en Swarigheden over de Dryeenigheyt. Vor alle Liefhebbers der Waerheyt*, 1686. 8. 2) *Verantwording voor de verdrukte Waerheyt, t'Amsteldam* 1683. 8. *Vid. Biblioth. Vffenbach.* P. I. p. 819. N. 14. et p. 820. N. 21.

## BERNARDVS.

Medicam artem professus, RADECII affinis. Vid. Epistola FAVSTI SOCINI ad BALCEROVICIVM in illius *Epp.* p. 347.

## FRANCISCVS BETHLENIVS.

Nobilis Hungarus, Archimareschallus Principatus Transyluaniae. Vid. *hist. Socin. Transylu.* Tres eius epistolae ad MARTIN. RVARVM, prima *Piasesec zno* 15. Nou. 1645. secunda *Varsauiae* 7. Aug. 1648. tertia data *in Bethlen* 7. April. 1649. insertae sunt RVARI *epp. Cent.* II. N. 91. ex edit. ZELTNERI p. 688. 696. et 697. Socinianae Sectae nisi addictus, omnino tamen fauit.

BIBLI-

## BIBLIA.

Quam in vertendis ad disciplinae suae stabilimentum S. Scripturae libris, iisque per repetitas editiones diuulgandis praestiterint operam Sociniani, in *histor. Socinianismi Polonici* fusius, adhibitis *actis Synod. MSSCC.* enarrabimus.

## BIBLIOTHECA FRATRVM POLONORVM.

*Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos Vnitarios vocant, instructa operibus omnibus,* FAVSTI SOCINI *Senensis, Nobilissimi Itali,* IOANNIS CRELLII *Franci,* IONAE SCHLICHTINGII *a Bucowietz, Equitis Poloni, exegeticis et* IOANNIS LVDOVICI WOLZOGENII *Baronis Austriaci, quae omnia simul iuncta totius Noui Testamenti explicationem complectuntur. Irenopoli* (i. e. Amstelodami) *post annum Domini* 1656. fol. Volumina V. quae etiam Voluminibus VI. vel aliquando VIII. compacta animaduertuntur, quibus singulis speciales tituli sunt praefixi. Quidam SAMVELIS PRZYPCOVII opera continuationem Bibliothecae huius, vltimamque eius partem constituere iudicant; imo a quibusdam DAN. BRENII opera huic supellectili adiunguntur. Non quidem animus nobis est peculiarem omnium scriptorum in hoc opere exhibitorum hoc loco instituere recensionem, qui potius sub singulis auctoribus, ipsorum simul foetus in lucem protrusos lustrabimus. Accuratum tamen operis vasti ac rari censum instituit IO. FABRICIVS in *hist. Biblioth.* P. II. p. 57-80.

Post titulum generalem praemittitur *Dissertatio super hisce operibus* nimirum FAVSTI SOCINI, quam sequitur vita eiusdem; vtraque conscripta ab *Equite Polono,* quem SAM. PRZYPCOVIVM esse SANDIVS, p. 64. et 79. do-

cet

cet; ambo quoque Scripta in PRZYPCOVII Opp. p. 419-433. iterum recusa. Breuis praefatiunculae, quae sequitur, auctor est ANDR. WISSOWATIVS teste SANDIO l. c. p. 79. Vid. BAYLII *Diction.* T. IV. p. 237. vers. Germ. Tum sub nouo titulo comparent: FAVSTI SOCINI *Senensis opera omnia in duos Tomos distincta. Quorum* prior *continet eius opera exegetica et didactica*, posterior *opera eiusdem Polemica comprehendit. Accesserunt quaedam hactenus inedita, quorum catalogum versa pagina exhibet. Irenopoli. Post annum Domini* 1656. *Tom.* I. pagg. 814. *Tom.* II. pagg. 812. Singulis Scriptis in duobus Tomis contentis, speciales praemittuntur tituli.

*Prior Tomus* XIX. scripta F. SOCINI exhibet. Ex his XI. prima vice typis exscripta in hac Bibliotheca comparere ven. BAVMGARTENIVS in *recens. Biblioth. Hal.* T. III. p. 164. putauit; sed ex illis, quae antea nondum luci exposita fuisse indicauit, haud pauca omnino edita iam antea animaduertimus. Plura hoc de argumento exposuimus sub FAVSTO SOCINO. *Theses de Christo etc.* quae p. 814. vna cum SOCINI responsionibus leguntur, per errorem huc translatae sunt, pertinentque ad *Tom.* II. p. 423. notante FABRICIO l. c. p. 60.

*Tomus posterior* XII. SOCINI scripta exhibet, antea iam separatim edita. Quod locum N. XI. occupat, nonnulla fragmenta ex parte imperfecta habet adtexta, et coronidis loco MARTINI SEIDELII *epistolas tres* ad Socinianos, vna cum Socini responsionibus, vnitarii coetus nomine adpositas. Circa haec opera in praefatione lector monetur, quod illa ex exemplari ab eruditissimo viro, a quam plurimis mendis castigato expressa fuerint.

Post SOCINI opera, IOANNIS CRELLII lucubrationes exhibentur in IV. partes distributae. *Prima* et *secunda* com-

communem hunc prae se ferunt titulum IOANNIS CRELLII *Franci opera omnia exegetica, siue eius in plerosque Noui Testamenti libros commentarii maximam partem hactenus inediti, in duos tomos distincti, quorum catalogum versa pagina exhibet. Additi sunt duo indices copiosissimi, quorum prior est rerum et verborum, phrasiumque S. Scripturae memorabilium, alter locorum S. Scripturae in hoc opere explicatorum, vel cursim tantum illustratorum. Eleutheropoli sumptibus* IRENICI PHILALETHII. *Post annum Domini* 1656. Hoc est 1665. Vid. SANDIVS l. c. p. 118. qui editionem operum omnium exegeticorum circiter triennio praecessisse commemorat caeterorum librorum impressionem, anno videlicet 1665. Reliqua proinde eius opera anno demum 1668. lucem adspexerunt. *Prior tomus* paginas habet 621. *posterior* 327. absque indicibus. In illo, cui praemissae sunt IOANNIS STOINII praefatio, *de interpretis biblici requisitis* et CRELLII laudibus, nec non vita eiusdem a IOACH. PASTORIO descripta, XII. comparent scripta, in quibus I. II. VI. VII. et XII. antea iam typis exscripta prostant. In hoc VII. exhibentur, ex quibus quartum iam antea orbi expositum.

*Tertiae* partis index est: IOANNIS CRELLII *Franci Operum exegeticorum tomus tertius. Contenta sequens pagina exhibet, omnia hactenus inedita. Irenopoli. Post annum Domini* 1656. (1668.) pagg. 416. Continet haec octo scripta exegetica, vere testante titulo, nunquam antehac edita. Adtextus etiam huic tomo est index particularis librorum, capitum et locorum Scripturae, in eo explicatorum et resolutorum.

*Quarta* pars hac in fronte inscriptione insignita: IOANNIS CRELLII *Franci operum tomus quartus, scripta eiusdem didactica et polemica complectens. Accesserunt non*

*non nulla antehac inedita, nempe* 1) *Problemata N. cum ſolutionibus* CRELLII; 2) *Solutio trium quaeſtionum a* STOINIO *propoſitarum;* 3) *Excerpta ex epiſtolis;* 4) *Reſponſio ad quaeſtionem* GITTICHII, an Chriſtus in coelis ſublatus idem ſit numero, qui in terris degens fuerat; 5) *Diſcurſus de pietate;* 6) *Diſcurſus de felicitate. Irenopoli. Poſt annum Domini* 1656. (1668.) *pagg.* 930. Vid. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. exeget.* Sect. II. C. I. p. 582.

*Tertium* in Bibliotheca locum occupant SCHLICHTINGII opera ſub hoc titulo generali: IONAE SCHLICHTINGII *Bukowiek Commentaria poſthuma in plerosque Noui Teſtamenti libros. Cuncta hactenus inedita. In duos tomos diſtincta. Quorum catalogum verſa pagina exhibet. Quibus additi ſunt tres indices copioſiſſimi, quorum primus eſt locorum S. Scripturae, in hoc opere vel breuiter, vel prolixius explicatorum. Secundus eſt rerum memorabilium. Tertius phraſium in hoc opere ex Vetere, praeſertim vero ex Nouo Teſtamento indicatarum. Irenopoli, ſumptibus* IRENICI PHILALETHII, *poſt annum Domini* 1656. *Prima pars* 322. *altera* 428. paginas habet. Praemiſſum eſt exemplum epiſtolae STANISLAI LVBIENIECII DE LVBIENIETZ, *qua viro cuidam magno Hiſtoriolam commentariorum et vitae ac mortis* IONAE SCHLICHTINGII *p. m. pertexit.* In hac epiſtola LVBIENIECIVS narrat, qua ratione auctor commentarios hosce vtroque tomo comprehenſos inter V. obſidionum mala, inque mediis bellorum fluctibus, imo in captiuitate ſcripſerit, quodque illi inter rapacium militum manus, voracis ignis ſaeuitiam et contagionis virulentiam miris modis ſeruati fuerint. Commendauit auctor commentarios iſtos tribus filiis ſuis, STAN. LVBIENIECIO et IO. PREVSSIO, vt typis exſcribi eosdem curarent. Idem

vero in limine monet, non publico illos, ſed priuato ſuo nomine ſe ſcripſiſſe; adeoque coetum ſuum nullo ipſius dicto, nulla ſententia eſſe onerandum; a priuato dictum eſſe, quicquid dictum, ſeque illos cenſurae coetus, ſi licuiſſet, lubentem ſubmiſſurum fuiſſe.

In praefatione auctor dicitur ſequutus HVG. GROTIVM in expoſitionibus ſuis, quod ita intelligendum non eſt, ac ſi ille nunquam ab hoc diſſenſerit; quippe quod omnino factum, cum SCHLICHTINGIVS, ſub fictitio IOANNIS SIMPLICII nomine, *notas in doctiſſimi cuiusdam viri* (qui H. GROTIVS eſt) *commentationem ad ſecundum caput poſterioris ad Theſſalonicenſes epiſtolae, Anno Domini Chriſti* 1643. 8. publicae luci commiſerit. BVDDEVS in Iſag. p. 1756. ita de operibus SCHLICHTINGII exegeticis iudicat: "Sequitur in plerisque F. SOCINVM; interdum et GROTII annotatis vſus eſt. Difficile quoque fuit illi, noui quid proferre, cum SOCINVS et CRELLIVS in peruertendis N. T. locis, quae illorum impietati obſtare videbantur, tanta iam vſi ſint diligentia, vt vix quicquam aliis, quod adiicere poſſent, reliquerint." Fallitur, qui ſibi perſuadet, omnia SCHLICHTINGII ſcripta duobus hisce tomis contineri. Iſta tantum in his comparent, quae poſt totalem Socinianorum e Polonia expulſionem concinnauit; plura vero ſub IONA SCHLICHTINGIO recenſebimus.

*Quartum* in Bibliotheca ordinem tenent WOLZOGENII lucubrationes hoc titulo praefixo: IOANNIS LVDOVICI WOLZOGENII *Baronis Auſtriaci, opera omnia exegetica, didactica et polemica, quorum ſeriem verſa pagina exhibet, cum indicibus neceſſariis. Irenopoli, poſt annum Domini* 1656. *Prior pars* paginas 1038. *poſterior* 488. implet. In vtraque XIV. ſcripta WOLZOGENII poſt obitum eius inuenta exhibentur, quod in praefatione ſignificatur; haud

pauca

pauca tamen ex eiusdem ſcriptis periiſſe conſtat. Vid. ſub WOLZOGENIO. Inſerta quaedam ſunt WOLZOGENII operibus, quae alios agnoſcunt auctores. Praeter enim pauca a IOACH. STEGMANNO, *iun.* fabricata, exſtant quoque explicationes ANDREAE WISSOWATII in quosdam N. T. libros, nimirum in Acta Apoſtolorum, (v. SANDIVS p. 139.) et in epiſtolam IACOBI et IVDAE, ne vllus noui inſtrumenti liber deſideraretur, in hac ſcriptorum Socinianorum collectione non illuſtratus atque expoſitus.

Partem *Bibliothecae FF. PP.* vltimam Sextumque vel Septimum eius Tomum conſtituere SAM. PRZYPCOVII *Cogitationes S. etc.* BVDDEVS atque REIMANNVS, quamuis non ſatis accurate, quippe harum nulla in *Bibliothecae* indice generali fit commemoratio, iudicarunt. Rarius tamen hoc PRZYPCOVII opus occurrit, quam volumina Bibliothecam iſtam proprie conſtituentia. Vid. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. exeg.* p. 584. Si dicendum quod res eſt, opus hoc *Fratrum Polonorum Bibliotheca* vix dici meretur, quatuor ſaltim fratrum, quos Vnitarios vocant, complectens ſcripta. Caret illa, cum PRZYPCOVII libris quamuis computata Scriptis VOLKELII, OSTORODI, SMALCII, VOIDOVII, MORSCOVII aliorumque, quae multum ad dignoſcendam et diiudicandam hanc familiam conferunt; imo ne quidem publica coetus huius ſymbola eidem inſerta reperiuntur. Hac in parte recte iudicat MICRAELIVS in H. E. p. 968. quod vix decima pars ſcriptorum in illa volumina congeſta ſit, quae frequenter in controverſiis, cum huius generis aduerſariis ſolent allegari. Occurrunt tamen in hoc corpore haud pauca, quae vel nunquam antehac, vel certe *Racouiae* typis non ſunt excuſa, quaeque ſeorſim raro admodum, niſi apud Batauos venalia reperiuntur.

Magnae molis operi in lucem emittendo ANDR. WISSOWATIVS manus auxiliatrices, diſponendo partes ſingulas et ſphalmata typographica emendando commodauit, qui in hunc finem *Manhemio Amſtelodamum* ſemet contulit. Vix autem magnifico, quo comparuit habitu in lucem prodiiſſet, niſi curatores quosdam occultos habuiſſet, quos ſpeciatim allegare difficile eſt, cum alii alios compellent promotores, nemine hoc meritum ſibi vindicante. Plerique tamen FRANCISCVM CVPERVM, a DANIELE BRENIO, auunculo iam pridem ſectae huius amore imbutum, moderatorem ac tutorem totius operis nominant. Et de loco, quo illud prodiit, ſtatui aliquid poſſe certi, haud pauci negant. Prodiiſſe tamen *Amſtelodami* apud BLAWIOS typographos, eosque filios, horumque ſumtibus, pater enim iam a. 1637. e vita diſceſſerat, nihil eſt, quod dubitemus. Fuere autem BLAWII ex *Remonſtrantium* partibus admodum fauentes CVRCELLAEO caeteriſque Socinianismi ſuſpectis, nec a promouendis Socinianorum commodis omnino alieni, quos VOLKELII quoque libellum typis exſcripſiſſe ſcimus, quam ob rem illis quoque mulcta eſt impoſita. Vid. G. I. VOSSII epiſtola ad H. GROTIVM data, in *Epp. Remonſtr.* N. 547. Vtrum CVRCELLAEI quoque ſub initium conſiliis atque ſtudiis, publicandae Bibliothecae res acta ſit, et WISSOWATIVS, qui anno demum 1666. Amſtelodamum e Palatinatu Rheni appulit, opus ab illo iam inchoatum, tantum continuauerit, atque ad vmbilicum perduxerit, dignum iudicatur accuratiori examine a ZELTNERO in notis ad RVARI *Epp.* p. 608.

Raris omnino Bibliothecam iſtam accenſendam eſſe libris, cupidi illius optime ſciunt. Vid. *Relat. innoc.* 1706. et VOGTII *Catal. libb. rar.* p. 125. Accenſenda quoque eſt libris noxiis ac pernicioſis, proinde quoque prohibendis

ac

ac ex parte prohibitis, nec facile quisquam, nisi exacte doctrinam orthodoxam callens, et in cognitione diuinae veritatis satis fundatus, spiritusque probandi dono instructus, absque damno eandem tractare poterit. Theologis tamen exercitatis quemadmodum omnium librorum haereticorum, (quod CYRILLVS ALEX. et HIERONYMVS iam declararunt) ita quoque Bibliothecae huius lectio vtilis esse potest. Sentiente MIÇRAELIO l. c. opus est, sola quantitate molis, haudquaquam virtutis aestimandum. Qui damnatoriam tulerunt sententiam, ad ea respexerunt, quae in eodem a veritatis coelestis cynosura deflectunt, hanc hostili impetu oppugnant, et apertissima diuinae revelationis oracula ad conceptos errores contorquent. Ex iudicio ANDR. CAROLI in *memorab. Ecclef.* Sec. XVII. Tom. II. p. 150. *opus est orco, non prelo dignum; quod vtinam suppressum fuisset, non impressum.* CAROLVM, GODOFR. ARNOLDVS *in hist. Eccl. et haer.* Socinianorum partes quauis occasione defendens, P. II. p. 558. multis obtrectationibus propter hanc sententiam aggressus est, adversus quas illum defendere studuit ANDR. DAV. CAROLVS **in der christlichen Prüfung der Kirchen- und Ketzer-Historie,** p. 532. seqq. CRENIVS *in animadu. Phil. hist.* P. I. p. 45. inquit: "Bibliothecam Fratrum Polonorum qui cognouit, non facile emet, quum commodum ex ea redundans sumtibus parum respondeat. Si enim a SCHLICHTINGII et CRELLII commentariis biblicis discesseris, oppido pauca in ea inuenies, quae te iuuare possint. Multum illa reperitur in Bibliothecis, non tam doctorum Socinianorum, quam plebeiorum, indoctorum et linguae latinae expertium fere. Hi enim, vt libros ostendere possint, et ne nihil intelligere videantur, emunt illam, vt paruam Bibliothecam et ornamentum camerae, non in studium, sed

in ſpectaculum. Qui ſapiunt, priores ſibi comparant, aut ſi iam tum habent, retinent, peculiarium, ſeparatim editorum, *Racouiae* aut alibi, SOCINI, SMALCII, CRELLII, SCHLICHTINGII etc. tractatuum editiones, vt integriores et correctiores; quamuis nec illae ipſae ab omnibus mendis liberae ſint." Huic ſententiae facile calculum noſtrum adiicimus, id ſaltim obſeruantes, quod, cum multa in Bibliotheca hac exhibita ſint ſcripta, nunquam ante, nec poſthac typis orbi exhibita, illa omnino inter exquiſita et rara eruditorum opera non infimum locum teneat, imo quoque exercitatos ſenſus habentibus, haud contemnendum vſum praeſtare poſſit, in iſtis praecipue argumentis, quae Socinianis quoque extra controuerſiam ſunt poſita. Potuiſſet tamen, optime ita ſentiente Io. GE. WALCHIO, *in Biblioth. theol. ſel.* T. I. p. 907. opus hoc reddi vtilius ad controuerſias cum Socinianis, quibus id maxime inſeruit, vbi praeter maiorem adcurationem ac induſtriam, debitus delectus ſcriptorum adhibitus fuiſſet. Tandem emtores tanti operis pretio cari ſunt monendi, vt caueant ab exemplaribus, in quibus vel Iconismi praecipuorum Socinianorum, vel PRZYPCOVII opera, ſextum vulgo Volumen conſtituentia, et ſeorſim frequenter vendi ſolita, non reperiuntur. Vid. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. theol.* T. I. P. X. p. 481-484.

## IOANN. BIDELLVS, VEL BIDDELLVS ET BIDDLE.

Anglus, vid. SANDIVS l. c. p. 159. et *noſtra hiſt. Anti-Trinit. Anglic.* Vitam eius latine ſcriptam Io. FARRIGTHONVS, *Lond.* 1682. 8. in lucem emiſit (*), in compendio legitur in ANTON. WOODII *Athen. Oxon.* T. II. p. 197. ſeqq. Defen-

(*) In *Bibliotheca* BAVMGARTENIANA, P. II. Sect. II. p. 26. N. 440. auctor libri nominatur DAN. MARC. SANT-IVANI, *Epiſcopus Claudiopolitanus.*

Defensorem placitorum suorum, inprimis de Spiritu S. habuit THOM. FIRMINVM Anglum, de quo itidem in *hist. Socin. Anglic.*

SCRIPTA.

1. *Duo opera Catechetica*, de quibus in historia Catechismorum Socinianorum in *hist. Socin. Polon.* copiose tractamus.
2. *The Apostolical opinion concerning de Holy Trinity revived an asserted*, 1653. 12.

Refutarunt BIDELLVM 1) IO. CLOPPENBVRGIVS *in vindiciis pro Deitate Spiritus S. contra* BIDELLVM, *Franck.* 1652. 2) NIC. ARNOLDI, *in Refutatione Atheismi Sociniani a* IO. BIDELLO *asserti*, *Franck.* 1659. 4. 3) NIC. ESTWICK, *scripto Anglic. Londini* 1656. 4. Vid. THOM. HYDE *Catal. Biblioth. Bodlej.* P. I. p. 234.

## GEORGIVS BLANDRATA.

Saluciensis Italus, inter primarios coetus Vnitariorum in *Polonia* et *Transyluania* Promotores, referendus, quod ex epistola F. SOCINI ad eundem scripta, qua *alteram* ad VOLANVM *responsionem* ipsi dedicauit, nullo negotio colligi potest. Ita autem SOCINVS in *Epp.* p. 690. inquit: " Nulli conuenientius liber dicari poterat, in quo de I. C. essentia seu natura praecipue disputatur, et eius quaestionis veritas defenditur, quam ei, qui hanc ipsam veritatem, summo conatu non vno in loco et ratione, vbi nunc potissimum recepta est, diu promouit ac propagauit; atque vt libere eam et profiteri et docere complures non vererentur, suo indefesso studio ac diligentia effecit. Quodsi inprimis quaerendum erat, ne sine defensore libellus hic in publicum prodiret, nemo ei defendendo te aptior inueniri potuit, qui tanta gratia apud STEPHANVM *Regem*

maximum et potentiſſimum polles, cui regiones illae parent, in quibus, ſi vsquam alibi, hoc opus legi continget, quantam praeclarae tuae virtutes poſtulant, et maxima ac fideliſſima in ipſum Regem, nec non in eius fratrem CHRISTOPHORVM, atque huius filium SIGISMVNDVM *Tranſyluaniae Principes*, officia tua ſunt commerita; quae hoc loco explicarem apertius, niſi omnibus notiſſima et perſpectisſima eſſent."

BLANDRATAM et Principi Tranſyluaniae et Poloniae Regi commendatum eſſe a LISMANINO *Corcyrenſi*, magnae tum apud omnes eccleſias Polonicas auctoritatis viro, teſtis eſt THEOD. BEZA *in epp. theol. Geneu.* 1573. 8. p. 362. Vitam et fata BLANDRATAE copioſe enarrauimus in *hiſt. Socin. Polon. et Tranſylu.* Quae ipſo vel auctore vel promotore in lucem prodierunt ſcripta, hoc loco recenſemus; plura tamen de quibusdam, inprimis N. 12. 14. et 15. allegandis, nec non de operibus, quae orthodoxi aduerſus illa in lucem emiſerunt, expoſituri ſumus in *hiſtoria Socinianismi Tranſyluanici.*

SCRIPTA:

1. *Quaeſtiones*, ad quas reſpondet CALVINVS in actis VAL. GENTILIS.
2. *Fidei confeſſionem de S. Trinitate*, quam verbis a veritate parum alienis, ſed animo prorſus contrario in Synodo Pinczouienſi a. 1561. exhibuit, *Wengerſcius* ex actis Synodalibus luci expoſuit, in *Slauonia reformata*, p. 86.
3. *Epiſtola ad* GREGORIVM PAVLI Albae Iul. 1565. 30. Nou. *MSC.* In qua eum non ſolum de Paedobaptismi controuerſia, non ſatis opportune mota increpat; verum etiam a *Tritheismo* ad *Samoſateni* dogma reuocare nititur.

4. *Epi-*

4. *Epistola ad Ecclesias minoris Poloniae*, scripta Segesuaria 1568. d. 27. Ianuar. *MSC.* Hanc LVBIENIECIVS l. c. L. III. C. XI. p. 229. inseruit.

5. *Catechesis.* Quam mediante NIC. PARVTA in publica s. generali Synodo Radnothini a. 1558. celebrata pronunciari et publicari curauit. Meminit FRANC. STANCARVS *in collatione doctrinae* ARRII *et* PHIL. MELANTHONIS etc. (de quo scripto sub STANCARO N. 20.) Synodi Radnotensis in Transyluania a. 1558. d. 2. Ian. habitae, in qua FRANC. DAVIDIS, cum susceptione Aug. Conf. Arianam haeresin damnauerit in praesentia quorundam Magnatum.

6. *Theses IX. de Deo et Filio eius Christo.* Insertae et obseruationibus quidem examinatae FRANC. DAVIDIS libro de Dualitate.

7. *Theses ferme XXX. tribus thesibus* FRANC. DAVIDIS *oppositae* 1578. 8. Responsionem FRANC. DAVIDIS allegabimus sub hoc, No. 9.

8. *Loci aliquot insignes ex scripturis S. pro vera et solida I. C. inuocatione asserenda candide depromti.* Tractatus is adiunctus est *Iudicio Ecclesiarum Polon. de caussa* FRANC. DAVIDIS, ab ALEX. VITRELINO conscripto 1579. eodemque anno primum, post vero anno sequente 1580. 8. cum IAC. PALAEOLOGI confutatione impressus.

9. *Obiectiones ad* F. SOCINI *refutationem thesium* FRANC. DAVIDIS. Insertae sunt, cum F. SOCINI responsione, eiusdem *disputationi contra* FRANC. DAVIDIS *de I. C. inuocatione*, scriptae 1579. et excusae 1595.

10. *Epistolae tres ad* IACOB. PALAEOLOGVM: *prima* Alb. Iul. 1578. 3. Aug. *secunda* 1579. 18. Mart. *tertia* 1580. M. Ianuar. scriptae. Ex parte editae in PA-

LAEOLOGI *Confutatione Iudicii Ecclesiarum Polonic.* 1580.

11. *Epistola ad* GREG. PAVLI, GEORG. SCHOMANNVM, MART. CZECHOVICIVM, ALEX. VITRELINVM *et ceteros Ministros Ecclesiarum Polon. I. C. crucifixi, a* GEORG. BLANDRATA *et* F. SOCINO, *nomine Eccles. Transyluan. eiusdem confessionis*, scripta 1579. in caussa FRANC. DAVIDIS.

12. *Disputatio prima Albana, habita* 1566. 24. Februarii impressa Claudiopoli e. a.

13. *Demonstratio falsitatis doctrinae* PETRI MELII *et reliquorum Sophistarum per Antitheses, vna cum refutatione* ANTITHESEON VERI ET TVRCICI CHRISTI, *nunc primum Debrecini impressarum, Albae Iul.* 4. Referendum hoc scriptum circiter ad a. 1567.

14. *De falsa et vera vnius Dei P. F. et Sp. S. cognitione Libri II. auctoribus Ministris Ecclesiarum consentientium in Sarmatia et Transyluania, Albae Iul.* 1567. 4. Vid. SALIGIVS *in hist. Aug. Conf.* T. II. p. 885. not. a. Argumentum operis exponit SANDIVS l. c. p. 31. seqq. Insertae quoque eidem sunt sententiae aliquot Doctorum de vno Deo Patre, et de vno homine Christo Iesu, Filio Dei, Domino nostro; quae apud ALEX. RODECIVM, 8. prodierunt, quarum SANDIVS l. c. p. 173. inter scripta anonyma mentionem fecit. Complectitur praeterea opus allegatum, commentarium in Cap. I. *Ioannis*, qui notante SANDIO l. c. p. 28. in KOENIGII *Bibliotheca* inter BLANDRATAE scripta numeratur. In fine L. II. C. XV. adtextae sunt: *Voces ambiguae, quae passim in scripturis reperiuntur*, quod scriptum SANDIVS p. 25. iudicat LAELII SOCINI esse opusculum. *Io.* I. 1. hoc modo explicatur: *Per principium hoc intelligitur tempus*

*pus Euangelii, quemadmodum Christus hoc annunciare coepit, vel tempus officii eius, ad quod missus erat.* Oraculum *Io.* VIII. 58. ita circumscribitur: *Fuit Christus ante Abraham in virtute, cognitione ac figuris.* Vid. DAN. CLEMENTINI *Tractatus polon. antilogiae et absurda ex opinione Socinit.* fol. F. 3. 4. (*)

15. *Breuis enarratio Disputationis Albanae* (secundae) *de Deo trino et Christo duplici habita* 1568. 8. *Martii, Albae Iuliae ap. viduam* RAPH. HOFHALTERI 1568. 4. pl. 19. Quod in hac Disputatione FRANC. DAVIDIS de veritate promissi seminis mulieris *Gen.* III. 15. conuictus fuerit, significauit D. IO. GERHARDVS *in harmon. Caluino-Photin. Disp.* IV. §. 6.

Ex parte orthodoxa aduersus hoc scriptum prodiit: *Disputatio in caussa SS. et semper benedictae Trinitatis, in ditione Sereniss. Princ. etc. inter nouatores D.* GEORG. BLANDRATAM, FRANC. DAVIDIS, *eorumque asseclas: et Pastores Ministrosque Ecclesiae Dei catholicae ex Hungaria et Transyluania, qui diuinam veritatem ex scriptis Propheticis et Apostolicis iuxta continuum Ecclesiae sanctae Catholicae consensum, defendendam susceperunt, per decem dies Albae Iuliae in Transyluania habita. Ordinatione ac voluntate eorundem Pastorum ac Ministro-*

(*) Plenus operis DAN. CLEMENTINI polonico idiomate concinnati titulus, in latinum translatus, est: *Antilogiae et absurda, i.e. theses secum inuicem pugnantes et absurdae, quae ex Anabaptisticorum Socinianorum opinione fluunt; quas, vt considerent ipsi in errorem seducti, vacillantes praemuniantur; contumaces pudefiant, et confirmentur in veritate fidei ambulantes, collectas ac descriptas exhibet* DANIEL CLEMENTINVS *Minister Domini Iesu, et Pastor coetus Gorskensis Cracouiae,* A. D. 1623. d. 10. Maii 4. 1 Alph. 13 plagg. Exhibet illud contenta plurimorum scriptorum polonico idiomate a Socinianis editorum, quae ad certos indices reducuntur. IONAS SCHLICHTINGIVS librum hunc refutare studuit, cui CLEMENTINVS peculiari scripto operis sui apologiam reposuit.

*strorum Catholicae partis reuisa ac publicata Claudiopoli a* CASP. HELTO, 1568. 4. Vid. SALIGIVS *in hist. A. C.* T. II. p. 855. not. a. Idem hoc opus est, quod a SANDIO l. c. p. 24. allegatur sub titulo: PETRI MELII *secunda disputatio Albana.* Eiusdem quoque meminit GRAVERVS *in exam. Sophisticat. recent. Photin. in explicat. Cap. I. ad Hebr.* p. 11. sub titulo: *Colloquium cum* FRANC. DAVIDIS *habitum, et Claudiopoli* 1568. typis euulgatum.

16. Scripto huic, N. 15. allegato adtextum est: *Antitheses interpretationis* MELIANAE *in Cap. I. Ioh.* Teste SANDIO p. 33. ad calcem huius operis adpositae sunt: *Septendecim Theses, et argumenta, quibus Paedobaptismus impetitur, triginta et sex.* Haec argumenta idem scriptum esse videntur, quod SALIGIVS l. c. allegat, et in *MSC.* Guelferbithano de PETRI MELII *actis Disputationis II. Albanae* reperitur. Ex quo probabili coniectura colligimus, quod haec *Antithesis Interpretationis Melianae*, occasione secundae Disputationis Albanae, vel saltim paulo post a BLANDRATA concinnata fuerit.

17. *Antithesis Pseudo-Christi cum vero illo ex Maria nato, Albae Iuliae* 1568. 4. Teste SANDIO l. c. in fronte leguntur: *Luc.* II. *Hodie* (non ante secula) *natus est vobis* (non incarnatus) *Saluator Christus Dominus in vrbe Dauidis*, (non in coelo ex essentia Dei).

18. *Aequipollentes ex scriptura phrases de Christo F. D. ex Maria nato figuratae, quas, si quis intellexerit, et in numerato habuerit, ad multa intelligenda in scripturis iuuari poterit, Albae Iuliae* 1568. 4. Polonica GREGORII PAVLI translatio; cum breui scripti huius compendio infra a nobis allegabitur.

19. *De Mediatoris I. C. hominis diuinitate aequalitateque libel-*

*libellus*, *Albae Iul.* 1568. 4. WOLFG. FABRICIVS *Capito* epiſtolam praeliminarem praemiſit, et in fine adtextum eſt MART. CELLARII vel BORRHAI opus de reſtauratione Eccleſiae. Dedicationem CASP. BECKESIO *Comiti de* FOGARAS, intimo Principis conſiliario ſcriptam, Miniſtri et Seniores Eccleſiarum conſentientium in Tranſylvania ſubſcripſerunt. Vid. CLOPPENBVRGII *Comp. Socinismi*, p. 14.

20. *Refutatio ſcripti* PETRI MELII, *quo, nomine Synodi Debrecinae docet Iehoualitatem et trinitarium Deum, Patriarchis, Prophetis et Apoſtolis incognitum; circa annum* 1568. Meminit quoque ſcripti huius LVBIENIECIVS l. c. L. III. C. XI. p. 230. ſeqq. Synodus Debrecina habita eſt a. 1567. 26. Febr. Vid. SALIGIVS l. c. p. 855. Ex quo adparet, et hoc, et quod paulo ante N. 13. allegauimus, ante diſputationem *ſecundam Albanam* eſſe concinnata.

21. *Refutatio ſcripti* GEORG. MAIORIS, *in quo Deum trinum in perſonis et vnum eſſentia, vnicum deinde eius filium in perſona, et duplicem in naturis, ex lacunis Antichriſti probare conatus eſt. Opus per diſputationes adornatum, Auctoribus* FRANC. DAVIDIS *et* GEORG. BLANDRATA, *Albae Iuliae (niſi admodum fallor) impreſſum* 1569. Ita SANDIVS librum recenſet. BLANDRATA praecipuus operis huius auctor videtur, cui quoque illud BAYLIVS in *Diction.* vindicat. Allegatur etiam a LVBIENIECIO l. c. p. 230. Scriptum, cui hoc eſſe oppoſitum voluerunt Anti-Trinitarii, eſt GEORG. MAIORIS Liber *de vno Deo et tribus perſonis aduerſus* FRANC. DAVIDIS *et* GEORG. BLANDRATAM, *Witt.* 1569. 8. Ex FR. DAVIDIS et BLANDRATAE *refut. G. M.* haec leguntur in der Wittenb. Grundfeſte fol. 187. b. allegata: "De aequa-

aequalitate et inaequalitate Filii cum Patre id in Ecclesia docemus, nempe Filium Patri aequalem esse Diuinitatis plenitudine, qua per vnctionem Sp. S. Messias noster, Rex et Sacerdos factus est, pari omnipotentia et diuinae Maiestatis potestate a Deo Patre donatus. Nam iuxta hanc donatae potentiae, donorumque absque mensura et cum omni plenitudine a Patre acceptorum efficaciam, haec aequalitatis ratio considerari debet. Interim tamen semper Dei Patris monarchica dignitatis praerogatiua inuiolata manente. Nam Christus ipse expresse dicit: Pater maior me est. Item, nihil potest Filius a se ipso facere. Et: Omnia sunt mihi tradita a Patre meo etc." Quod FRANC. DAVIDIS isto tempore, cum vna cum BLANDRATA GEORGIVM MAIOREM refutare adgrederetur, Iesum inuocandum esse, adhuc statuerit, ex opere hoc constare putat SAM. CRELLIVS in epistola ad amicum in *Thesauro epistol. La Croziano*, T. I. p. 110. IO. SCHMIDIVS in Disput. de tertia SS. Trinitatis Persona Sp. S. Argentorati 1637. circa dictum *Matth.* XXVIII. 19. sequentia ex refutatione G. M. allegat. p. N. 4. " Non itaque ex hac Christi formula, (si tamen Christi est: quum ex verbo Dei constet, Apostolos nullibi in baptizando, hac formula verborum vsos, sed tantum in nomine Christi credentes ac confitentes baptizasse, vt b. LVCAS in *Act. Apost.* passim monstrat: Deinde etiam constet, nullibi in scriptis Apostolicis similem, ac correspondentem huic formulam reperiri) MAIOR suas personas potest probare."

Ad hoc opus refutandum prodiit: D. GEORG. MAIORIS *commonefactio ad Ecclesiam Cathol. orthodoxam de fugiendis et execrandis blasphemiis Samosatenicis, Arianis,*

*anis, Eunomianis et aliis, contra* BLANDRATAM *et alios nonnullos huius sectae renouatores. Addita est doctrina de S. Trinitate refutationis loco etc. Witteberg.* per Io. LVFFT. 1569.

22. *Refutatio confessionis* PETRI MELII *de Deo trino, facta a Ministris Transyluaniae, III. Partibus absoluta; IV. Parte* STANCARI *de Mediatore sententia refutatur.* Huius confessionis PETRI MELII meminit CASP. FRISIVS *in epit. Biblioth.* GESNER. p. 676. (*edit. Tigur.* 1583. fol.) Vel hoc scriptum, vel aliud ex praecedentibus, Num. 12. vel 15. allegatis, fortassis FRANCISCVM DAVIDIS auctorem habuit, quia Ios. SIMLERVS in praefatione Tractatui *de aeterno Dei Filio etc.* praefixa, libri alicuius a FRANC. DAVIDIS aduersus PET. MELIVM diuulgati mentionem facit, qui circa annum 1567. prodiit.

23. *Antitheses, thesibus XVI.* FRANC. DAVIDIS *Synodo generali Thordanae* 1579. 26. *Aprilis oblatis, oppositae.* Leguntur hae in compendio in FRID. AD. LAMPEN *hist. Eccl. Reform. in Hung.* ex hac in SALIGII *hist. A. C.* T. II. p. 882.

24. *Antithesis in primum* IOHANNIS *caput iuxta doctrinam Sophistarum: quo opposita iuxta se posita magis elucescant.* Idem fortasse scriptum, quod Num. 16. allegauimus.

25. Vel BLANDRATAM, vel FRANC. DAVIDIS, (nisi fortassis IAC. PALAEOLOGVM) auctorem habere videtur *epistola*, quam SANDIVS p. 173. auctoribus anonymis accenset sub tit. *Epistola Ecclesiarum Transyluanicarum ad Ecclesias Polonicas de Baptismo: in qua late proponunt sententiam suam de hoc ritu* (contrariam sententiae Fratrum Polonorum) *probantes, Christianos eo nunc amplius non obligari.* Scripta A. 1566. BVDZINIVS eam exhibet historiae suae Cap. XLV. *MSC.*

26.

26. *Theses VII. cum Antithesibus de Trinitate: oblatae Synodo Thordanae, in Transyluania habitae* 1566. Leguntur istae apud LAMPIVM l. c. p. 149. et ex hoc apud SALIGIVM l. c. T. II. p. 853.

Hisce thesibus oppositus videtur tractatus, cui titulus est: PETRI CAROLINI *perspicua explicatio orthodoxae fidei de vno vero Deo, Patre, Filio et Sp. S. aduersus blasphemos* GE. BLANDRATAE *et* FR. DAVIDIS *errores Libb. II. comprehensa, Witteb.* 1571. 8. Vid. FRANZII *dispp. in Aug. Conf.* P. I. *Disp.* I. *Thes.* 66.

27. BLANDRATAE foetus videtur opus, quod a Celeb. SCHOENWALDIO, *Prof. olim Gymnasii Thorun.* absque titulo repertum describitur in opere *MSC.* quod in adornanda *Bibliotheca* hac in consilium aliquoties vocaui. Absoluitur istud duabus partibus. *Altera* agit de regno Christi; *Altera*, quae cum plagula *R* inchoat, hunc prae se fert titulum: *De regno Antichristi et eius Mysteriis deque Paedobaptismo. Liber secundus. Apoc. XVII. Regnum habet super Reges terrae: Albae Iuliae. Anno Domini M. D. LXIX.* 4. Vtraque pars habet 1 Alphab. $17\frac{1}{2}$ plagg. et signa plagularum per totum opus vna serie numerantur.

*Prior pars* haec XII. exhibet capita: De regno Christi C. I. (fol. A. 2.); De discrepantia regni Christi cum regno Adae Mosisque: siue hominis Christiani cum Iudaeo: de differentia inquam Legis cum Euangelio C. II. (fol. B. 3. b.); De Iustitia Regni Christi, Legis Iustitiam superantis: et primum de fide. C. III. (fol. D. 1. b.); De Fidei fundamento, C. IV. (fol. F. 1. b.); De Iustificatione C. V. (fol. F. 4.); De discrimine Iustitiae, quae sub Lege fuit, cum Iustitia, quae sub Euangelio possidetur, C. VI. (fol. G. 3. b.); Collatio charita-

tis

tis cum fide, C. VII. (fol. K. 4.); De operum mercede et gloriae differentia, C. VIII. (fol. L. 4.); De charitatis excellentia, C. IX. (fol. M. 3.); Quid efficiat fides, charitas et opera, C. X. (fol. N. 1.); De operum origine et efficacia, C. XI. (fol. O. 1.); De praedicationis Euangelii efficacia, C. XII. (fol. O. 3.). His fol. Q. 4. Notae membrorum regni Chrifti XV. per breues Aphorismos adiunguntur.

*Pofterior pars* f. liber fecundus, tres continet fectiones: 1) De regno Antichrifti; 2) De Antichrifti Myfteriis; (fol. U. 4. b.) cui adtexta funt figna fexaginta Regni Antichrifti, (quae a GREGOR. PAVLI in linguam Polon. effe translata fuo loco notabitur) et reuelatio eius iam nunc praefens, (fol. CC. 4.); nec non Genealogia Antichrifti, filii Diaboli, inuenta in Bibliotheca Romana, ad partem finiftram ingredienti, *Anno Domini M. D. XIII.* (fol. EE. 2.) 3) De Paedobaptismo (fol. EE. 4.) quae exhibet tractationem de Doctrina praecedente Baptismum et de Circumcifione; (fol. QQ.) a folio KK. prolixa occurrit digreffio et fententia aduerfus omnes ritus facros fine vllo difcrimine, qua cultus facer publicus in genere et omnis Sabbathi obferuatio farcaftice perftringitur et iudaicis fuperftitionibus accenfetur.

Operis huius collatio, cum MICH. SERVETI *reftitutione Chriftianismi*, cuius argumentum a SANDIO l. c. p. 13. feqq. et a MOSHEMIO in hift. SERVETI prolixe recenfetur, dilucide fatis comprobat, hanc in opere illo compendiofe effe repetitam, vel faltem haud pauca ex eadem mutuata atque recocta. Vid. PLACCIVS *de fcriptoribus Pfeudonymis* f. 557. Num. 2428. vbi in *Symbola Maftrichtiana* allegatur CLOPPENBVRGII *compend. Socinismi*, p. 14. quo mentio fit libelli, fub tit. *Mini-*

*ſtrorum et Seniorum Eccleſiarum in Tranſyluania conſentientium*, a. 1569. vulgati, *de regno Chriſti et regno Antichriſti*, *Libri* 2. *cum tractatu de Paedobaptismo et circumciſione*: quorum haec eſt concluſio: "Quisquis vere credit Papam eſſe Antichriſtum, vere quoque credit Papiſticam Trinitatem, Paedobaptismum et alia Papatus Sacramenta eſſe doctrinas daemoniorum." Varia autem capita eorum, quae vtroque libro continentur: De iuſtitia regni Chriſti, de iuſtificatione, de comparatione legis et euangelii, de charitate, item ſigna 60 Antichriſti SERVETO auctori aſſerunt illi, qui a. 1612. ediderunt in Belgio librum, perperam CASTALIONI tributum, contra CALVINVM de SERVETI ſupplicio.

## BLASTVS.

SMALCIO in diario apud ZELTNERVM l. c. p. 1170. Miniſter Kiedanenſis ex Samogitia dicitur. Socinianum fuiſſe, fratris titulo a SMALCIO ſalutatum, dubium non eſt. In *actis MSSCC.* nomen hoc celebrari non memini.

## BONFINIVS.

Inter SOCINI aſſeclas cum VOIDOVIO, OSTORODO aliisque a Io. PELTIO *in Harmonia Remonſtr. et Socin.* allegatur. Diuerſus ſane ab ANTONIO BONFINIO, regni Hungarici hiſtoriographo, qui hungaricarum rerum hiſtoriam expoſuit et propter ſtyli Romani elegantiam Hungarorum LIVIVS adpellatur.

## ADAMVS BORELLVS.

Selandus, praeclara ſtirpe ortus, natus circa 1603. obiit 1666. teſte SANDIO l. c. p. 144. Socinianis Belgis accenſetur a Io. GE. WALCHIO *in Biblioth. theol. ſel.* T. I. p. 918.

p. 918. Vid. *Hist. Socin. Belg.* De versione eius belgica *Euang. S.* MATTHAEI et *Epist.* PAVLI *ad Rom.* aliisque libris ab eodem editis plura a nobis dicuntur in *hist. Socin. Belg.* Conf. interea TENTZELII *Colloqq. menstrua* a. 1693. p. 261. seqq.

## MARTINVS BORRHAVS, S. CELLARIVS.

*Stuggardianus Germanus*, a. 1499. natus, iuuenis ferme inter primos sec. XVI. Anabaptistas numeratur, qui tamen ad saniorem doctrinam reuersus, de veritate coelesti bene mereri studuit, adeoque propter iuuenilem saltim ad haeretica impetum, huic classi accensendus, cui etiam SANDIVS eum l. c. p. 15. accenset, quoad reliquum vitae, omnino hac cohorte eximendus. *Wittebergae* cum Theologicis scientiis operam nauaret, et PHIL. adeq MELANTHONIS fauore frueretur, a MARCO STÜBNERO, primario fanatico-anabaptisticae gentis isto tempore duce, circa annum 1520. ad heterodoxa seductus, pessimi huius antesignani acerrimus ad tempus euasit defensor, ac MELANTHONI absente isto tempore LVTHERO non parum molestiae conciliauit. Vid. CAMERARII vita PHIL. MELANTHONIS p. 47. 50. *edit. Hagiens.* A. 1655. 12. MART. LVTHERVS in Colloquiis ab HENR. PET. REBENSTOCKIO collectis, *Francof.* 1571. 8. T. II. p. 30. inquit: "MARTINVS CELLARIVS impiissimus nebulo me tentauit et adulabatur mihi, dicens: *Tua vocatio maior est Apostolorum.* Ego respondi: *Ach ego, Apostolis minime sum comparandus.* Is vero mihi scripsit 4. sexterniones de Tabernaculo Mosi, et eius allegoria, in illa materia suum spiritum iactabat, summusque laudes mihi supra Apostolos tribuebat, quibus verbis Sathan me vexauit." Cum res STÜBNERI *Wittebergae* male cederent, CELLARIVS in *Borussiam* venit, circa a. 1525.

Quod hoc loco complura de Anabaptiſtarum doctrina in lucem emiſerit ſcripta, FREHERVS *in Theatro Erudit.* fol. 402. perhibet, qua fide, non conſtat. Nullum ſane mihi, ſollicite quamuis ſciſcitanti ſcriptum eiusmodi argumenti videre contigit. Eum tamen Anabaptiſticorum portentorum etiam in *Boruſſia* ſementem quandam feciſſe, veri ſimile videtur, quia in hac regione, carcere, quamuis liberiore incluſum fuiſſe legimus. Propter hunc cum Anabaptiſtis per tempus aliquod conſenſum, CELLARIVS, a Miniſtris Sarmatiae et Tranſyluaniae, a FAVSTO SOCINO, aliisque familiae Socinianae ſociis celebratur. Plura de eodem expoſuimus alio loco hiſtoriae noſtrae. In primo indice librorum prohibitorum, qui 1549. prodiit Venetiis, ex MARTINO BORRHAO, CELLARIO, tres componuntur ſcriptores, quod inſcitiae documentum VERGERIVS perſtrinxit. Vid. ZELTNERVS adnotat. ad SMALCII *diar. vitae ſuae*, l. c. p. 1179. ſeqq. SANDIVS l. c. p. 15. et in additamentis ad *nucl. hiſt. eccles.* p. 85. MELCH. ADAMVS *in vitis Theologorum Germanorum*, p. 399.

SCRIPTA:

1. *De operibus Dei Liber. Argent.* 1527. 8. cum praefat. WOLFG FABRIC. CAPITONIS data 1527. 12. Iulii. Libri huius meminit F. SOCINVS in tr. breui *de S. Coena*, p. 77. edit. *Racou.* 1618. 8.
2. *De reſtauratione Eccleſiae Homilia.* Adtexta haec BLANDRATAE libello de Mediatoris I. C. hominis diuinitate aequalitateque, et ex libro N. 1. allegato deſumta eſt.
3. *In Salomonis Regis filii Dauid Sacroſanctam Eccleſiaſtis concionem Commentarius.* MARTINO BORRHAO, *alias* CELLARIO, *auctore. Eiusdem ad inuictiſſimum Romanorum Imperatorem* CAROLVM *Caeſarem, ſemper Auguſtum Praefatio etc. Baſileae, ex Officina Roberti Winteri,*

M.

*M. D. XXXIX.* fol. Alph. 1. pl. 18. Prodiit quoque 1564. Vid. infra Num. 14.

4. *De censura veri et falsi, Libb. III. Basil. apud* LEONH. HOSPINIANVM, 1541. 4. Alph. 1. pl. 15. cum praef. ad VLR. *Duc. Würtenberg.*

5. *In* ARISTOTELIS *politicorum Libb. VIII. annotationes, Basil. ex Off. Oporin.* 1545. 8. Alph. 1. pl. 10.

6. *De veteris et noui hominis ortu atque natura axiomata, SS. litterarum Studiosis in celebri Basil. Acad. ad cognoscendam veram pietatis salutisque rationem proposita, Basil.* 1548.

7. *De vsu, quem Desperabundi* FRANC. SPIERAE *exemplum et doctrina afferat, iudicium:* cum historia SPIERAE, *Basil.* 1550.

8. *De ortu, natura, vsu atque discrimine eorum Iubileorum, quos Deus instituit, quidque inter hos et falsos, ab aduersario confictos, intersit, libellus, Basil.* 1550.

9. Μαθηματων Στοιχεια, hoc est, *Elementale Cosmographicum, quo totius et Astronomiae et Geographiae rudimenta certissimis breuissimisque docentur apodixibus, cum gratia et Priuilegio.* M. D. XXXIX. 8. pl. 5. subscripsit MART. BORRH. dedicationem, factam CRATONI MYLIO, Typographo amico suo d. XII. Iulii. In hac dedicatione commemorat, libellum hunc duo de vigesimo a se dictatum anno, atque auctore PHILIPPO MELANCHTHONE *Wittebergae* studiosis praelectum. Editionem hanc procurauit ACHILLES P. GASSARVS, qui illam PETRO RHOTO, Philosopho et Medico, Argentor. dicauit. Edidit haec elementa *Orontius Fineus*, Prof. Reg. Paris. elegantibus figuris illustrata, *Paris.* 1550.

10. *Commentarii in III. de arte dicendi libros* ARISTOTELIS, *Basil.* 1551. fol. *sumtibus* IO. OPORIN, apud IAC. PAREVM.

 11.

11. Commentaria in V. libros Mosis, Titulus est: MARTINI BORRHAI *in Mosem, diuinum legislatorem, Paedagogum ad Messiam, Seruatorem mundi, commentarii. In librum de origine mundi, quem Genesim vocant. In Exodum. In Leuiticum. In Numeros. In Deutheronomium. Accessit locuples rerum et verborum praecipue obseruandorum index, Basil. ex Offic.* Io. OPORINI per LVDOV. LVCIVM, 1555. fol. pagg. 1116. absque indicc. et praefat. Dicatus est liber sacrae Domini nostri Iesu Christi sponsae Ecclesiae.

12. *In sacram Iosuae, Iudicum, Ruthae, Samuelis et Regum historiam, mystica Messiae Seruatoris mundi adumbratione refertam* MARTINI BORRHAI *Commentarius. Praefatio eiusdem optimum Sacras litteras interpretandi genus explicans. Rerum et verborum praecipue memorabilium copiosus index, Basil.* per Io. OPORINVM, a. 1557. fol. Alph. 5. pl. 11.

13. *In Iesaiam et Apocalypsin Commentarii, Basil. ex Off.* OPORINI, fol. Alph. 7. pl. 22. Impressionis annus non significatur. Prodiit tamen *Comment. in Apocal. Basil.* 1561. fol. et *Tigur.* 1600. fol.

14. *In Sancti viri Iobi historiam, salutari de mysterio crucis et de lege atque Euangelio doctrina refertam,* MARTINI BORRHAI *Commentarii. Eiusdem in Salomonis sapientis Israelitarum Regis sacram concionem, quae Ecclesiastes inscribitur, a vanis, vanarum rerum in hoc mundo cupiditatibus ad Dei metum, fidem et amorem excitantem,* ANNOTATIONES. *Accessit locuples memorabilium rerum, quae in his Commentariis continentur, index, Basil.* per PETRVM PERNAM, 1564. fol. Comment. in Iobum habet pagg. 395. in Ecclesiasten, cui peculiaris praefixus est titulus 283. absque indic.

15.

15. MARTINI BORRHAI *in Cosmographiae elementa Commentatio Astronomica, Geographica. Libellus, vt mole exiguus, ita vtilitate atque elegantia maximus, ac vere scholasticus, Astronomiae atque Geographiae studiosis, vtilissimus futurus, Basil.* 8. ap. Io. OPORINVM, pl. 8. Praefatio subscripta a. M. D. LV. Mense Augusto. In praefatione notauit: libellum hunc olim PHILIPPI MELANTHONIS, viri de litteris praeclare meriti, et veteris amici sui hortatu studiosis quibusdam esse dictatum. Plurima, quae exposuimus scripta, allegantur in GESNERI *Biblioth. vniuers. Tigur.* 1545. fol.

## IOANNES BAPTISTA BOVIVS.

Bononiensis, a F. SOCINO in epistola ad BALCEROVICIVM quinta, vetus adpellatur amicus, a quo etiam MATTH. RADECIO commendatur, cui, cum RADECIVS Gedani per aliquod tempus vitae alimenta suppeditasset, SOCINVS gratias agit in epp. p. 378. *Gedani* BOVIVS Mennonitarum societatem ambiit, sed repulsam nactus in Poloniam rediit. Vid. SOCINI epp. l. c. p. 426. Quod PHILIPPVS BVCCELLA BOVIO stipendium annuum 50 flor. statuerit, idem narrat l. c. Idem fortassis est, cuius libellus sub hoc titulo extat: Io. BAPT. BOVII, *Iuris Consulti Regiens. de statutaria vrbis praescriptione, tractatus, nunc primum in lucem editus, cum Priuilegio. Venetiis apud* MARCVM AMADORVM *Bibliopolam Romanum* 1565. 8. pl. 18. Dedicatio scripta ad VITELLOTIVM VITELLIVM S. R. E. *Cardinalem Camerarium*, subscripta *Romae* 1565. Idib. Iul.

## LANCELOTTVS A BREDERODE.

A SANDIO p. 134. Anti-Trinitariorum classi accensitus, quo narrante e nobilissima Batauorum prosapia ortus.

tus. BAVDIVS a VEENHVSIO BREDERODI cognato rogatus, hunc iuuenem in notitiam IAC. AVG. THVANI infinuauit. Vid. BAVDII epp. *Lipf.* 1622. 8. p. 289. Tefte SANDIO Affeffor Iudicum curiae Hollandiae exftitit, quo munere circa a. 1620. priuatus, ideo, quod exfequutionem decretorum contra Remonftrantes latorum, non, prout caeteri vellent, vrgeret. Eodem tefte circa a. 1658. adhuc in viuis fuit.

SCRIPTA:

*Apoftafia Chriftianorum: dat is, van den Afval der Chriftenen, door L. v. B.* 8. absque temporis, quo prodiit, notatione. Optimam libelli, vna cum CVRCELLAEI *Quaternione*, publice in Belgio prohibiti editionem prodiiffe 1659. 12. fine auctoris nomine, SANDIVS obferuauit.

## DANIEL BRENIVS.

*Harlemo-Batauus*, natus a. 1594. EPISCOPII Arminiani coetus ftatoris difcipulus. Nunquam eum officio publico effe perfunctum, fed correctorem in typographeis egiffe, ZELTNERVS in not. ad epp. M. RVARI p. 575. fufpicatur. Complures annos Amftelodami vixit, vnde quoque ad RVARVM a. 1627. 26. Aug. epiftolam dedit, in huius epp. Cent. II. N. 35. edit. ZELTNERI p. 575. ad quam RVARI refponfio, fiue potius fragmentum *de Magiftratu* legitur apud ZELTN. l. c. p. 365. Obiit Amftel. iam Septuagenarius a. 1664. tefte SANDIO l. c. p. 135. Maximam Socinianismi fibi contraxit fufpicionem, hinc quoque SANDIVS ipfi locum inter Antitrinitarios concedere non dubitauit, quem quoque in PFAFFII *hift. theol. liter.* obtinuit, quamuis nunquam Socinianismum palam profeffus fuerit. Adfciuit vero non tantum praeceptoris fui, EPISCOPII errores, fed quoque plures fuos fecit, quibus femet Soci-

Socinianorum diſciplinae dicauit. Vid. KOENIGII *Biblioth. vet. et nou.* p. 132. BENTHEMII *Status eccl. et ſchol. Belg.* T. I. p. 894. HEINSII *hiſt. eccl.* T. II. p. 415. RICH. SIMON *hiſt. crit. V.* T. L. III. C. XVI. p. 449. et *hiſt. crit. praecipuorum N. T. comment.* C. LVII. p. 862.

SCRIPTA:

DANIELIS BRENII *Harlemo-Bataui opera Theologica, quorum Catalogum verſa pagina, poſt commonitionem de tractatu* D. BRENII, *operum* EPISCOPII *ſecundae parti inſerto, exhibet. Amſtelaedami, ſumptibus* FRANCISCI CVPERI, *Bibliopolae, prope portam Harlemenſem, in vico vulgo dicta de Braak.* Anno 1666. fol. pagg. 284. 127. 169. 116. Indic. 79. et praef. 12. FRANC. CVPERVS, BRENII ex ſorore nepos, et ipſe ad SOCINI partes inclinans, opera haec edidit, iisque breuem hiſtoriam de quadam tractatione, quam LIMBORGIVS ſcriptis EPISCOPII inſeruit, nec non neceſſariam ad Chriſtianum lectorem commonitionem de hoc opere, vna cum breui introductione ad lectionem S. ſcripturae praemiſit. Quae in hoc opere continentur, partim adnotationes exegeticas in omnes S. ſcripturae, excepto SALOMONIS cantico libros, partim tractatus theologicos, quorum nonnulli iam antea typis exſcripti exſtiterunt, inter quos ille, *de regno Chriſti glorioſo* praecellit, recenſuit Io. FABRICIVS *in hiſt. Biblioth.* T. II. p. 84. 85. Exhibentur vero in his operibus

1. *Annotationes in V. et N. T. excepto* SALOMONIS *cantico*, non quod de diuina eius auctoritate dubitaret, ſed quoniam nulla inde loca in N. T. allegantur, quae ipſi clauem interpretandi ſubminiſtrarent. Non vniuerſum textum S. expoſuit, ſed ea tantum eius loca, quae illuſtratione et explicatione indigere ipſi ſunt viſa. Multa

petiit e WOLFG. MVSCVLO. SANDIVS p. 148. refert, ANDR. WISSOWATIVM ex adnotationibus hisce formasse scrupulos, nondum editos. Praemissa est breuis introductio ad intellectum SS. literarum. Vid. GOTTL. STOLLE *hist. erud. theol.* p. 79.

2. *Tractatus de regno Ecclesiae glorioso per Christum in terris erigendo.* Intelligit autem regnum spirituale, et plane alterius naturae, quam sunt huius orbis imperia; neque illud ab hominibus, aut vlla ope humana, verum ab ipso Christo immediate originis suae principium habiturum. Prodiit iam vna cum aliis, absque auctoris nomine, a. 1657. sub titulo: *Tractatus de regno Ecclesiae glorioso, per Christum in terris erigendo. E Belgico ab auctore, nonnullis mutatis, in Latinum sermonem conuersus. Addita sunt annotata in librum Apocalypsios S. Iohannis; item, de qualitate regni Christi, et breuis explicatio in caput 5. 6. 7. Matthaei et partem sexti capitis Lucae, Amstel.* Sumptibus HENRICI DENDRINI, 1657. 8. Alph. 1. pl. 8.

3. *Tractatus de qualitate regni Christi; contra* SIMONIS EPISCOPII *librum, cui titulus: An homini Christiano conueniat Officium Magistratus gerere?* a. 1657. In eodem BRENIVS docet, Christianorum felicitatem ac praerogatiuam in hoc mundo, non in mundanis diuitiis, honore, dominio, bellis, victoriis etc. consistere; sed omnia ista spirituali modo in veris et ad perfectionem adspirantibus Christianis locum habere debere.

4. *Responsio ad docti cuiusdam viri, in libellum modo dictum animaduersiones*, quae quamuis non integrae compareant; examen tamen earum ita est institutum, vt obiectionum vis et controuersiae status ex ipsa responsione cuiuis possit innotescere.

5. *Ami-*

5. *Amica disputatio aduersus Iudaeos, continens examen scripti cuiusdam Iudaici e Lusitanico in latinum versi, et responsum ad quaestiones inibi Christianis propositas, cui adiuncta est explicatio locorum aliquot difficiliorum in Apocalypsi Iohannis a cap. XI. vsque ad finem libri. Anno Domini* 1644. 4. pagg. 151. praef. 2. Exemplari, quo iam vtor SAM. PRZYPCOVIVS manu sua infra titulum posuit: AVCTORE DAN. BRENIO, cui etiam SANDIVS l. c. p. 136. scriptum hoc tribuit, quamuis a REINHARTO l. c. tribuatur MART. RVARO, quod nonnullis probabilius videtur. Vid. sub RVARO. Scopus auctoris, quem praefatio indicat, est: obiectionibus iudaicis, quae scripturas N. T. directe petunt, occurrere, et sic animos eorum praeparare, vt credant, Iesum nostrum esse illum, quem hactenus frustra exspectant Messiam. Qua ratione vero sub specie conuincendi Iudaeos, Mysterium SS. Trinitatis impugnet, ex principio libelli et quasi in limine cognosci potest. Ad quaestionem enim I. *Quomodo probatur in Deo non posse esse tres personas in vna essentia?* respondet non tantum quibusdam V. T. oraculis, quae vnitatem essentiae diuinae omnino probant; sed quoque tribus his rationibus, quibus SS. Trinitatis Mysterium euerti posse arbitratur: " 1) Si in diuina essentia diuersitas personarum existeret, suppositum aliquod esse oporteret, quod eas distingueret, idque necessario in vna persona reperiri deberet, in alia non. Iam alterutrum necessarium est, vt suppositum hoc perfectionem in se habeat vel imperfectionem. Si perfectionem, tum personae, quae illo carent, sunt imperfectae. Si imperfectionem, ea, vbi reperitur, imperfecta est persona. Verum in Deo nulla potest esse imperfectio. Ergo nec diuersitas personarum.

II.

II. Aut quaelibet perſonarum, quas in eſſentia diuina eſſe aſſerunt, habet omnipotentiam ex ſe ipſa, ita vt non indigeat aliarum auxilio, aut non poteſt omnia absque aliarum auxilio et opera. Si primum ſtatuas, nempe quod quaelibet perſona ſit omnipotens, iam duae aliae perſonae non neceſſariae ſunt, et ſuperuacuae. Si ſecundum, quod quaelibet perſona auxilio aliarum indigeat, inde ſequitur, nullam iſtarum ex ſeſe infinitam et omnipotentem eſſe, cum tamen diuina eſſentia non poſſit eſſe ſuperuacua: ſed re ipſa infinita ac omnipotens eſſe debeat. Non ergo eſt in ea diuerſitas perſonarum. III. Quicquid actu eſt infinitum, ei nequit dari menſura, qua menſurari poſſit. Deus eſt actu infinitus. Nequit ergo ei dari menſura, qua menſuretur. At ſi diuerſae eſſent perſonae in eſſentia diuina, iam vna eſſet menſura aliarum, et ſic nulla earum eſſet infinita."

Abſolutis reſponſionibus ad quaeſtiones XXIII. ex mente Iudaeorum quaeſtiones XLVI. p. 27. proponuntur, vt curioſus quaeſitor habeat, quo acumen ingenii ſui exerceat; e. g. Quibus argumentis demonſtrari poteſt, Deum non eſſe ſimplicem vnitatem, ſed tres perſonas eſſe in vna eſſentia? Quis pro Adami peccato mortuus eſt, deitas, an humanitas? Deitas? Hoc omnino impoſſibile. Humanitas? Non ergo fuit mors coram Deo infinitae dignitatis, eoque nec infinitum peccatum potuit expiare iuxta hypotheſin Chriſtianorum. Quomodo omnes animae in Adamo peccauerunt, cum eae ex Adamo non habeant originem, ſed a Deo creentur? Quibus argumentis probari poteſt, Meſſiam Deum ſimul ac hominem eſſe debuiſſe? Qui fit, vt Chriſtiani omnia fidei ſuae fundamenta ſuperſtruant

rebus

rebus impoſſibilibus, captum omnem exſuperantibus et rationi aduerſis, vti ſunt, vnus et tres, Deus et homo, virgo et puerpera, panis et caro, vinum et ſanguis, vnum corpus in multis diuerſis locis vno eodemque temporis articulo?

p. 33. examen *ſcripti Iudaici* cum reſponſo ad quaeſtiones Chriſtianis propoſitas incipit, a reſponſione quintae quaeſtioni ſubiecta. In parte altera libelli, quae p. 91. incipit, ad quaeſtiones Iudaicas XLVI. reſpondetur; ita tamen, vt non nullas, in primis vero vt primam et ſecundam, quas ſupra ſpeciminis loco exſcripſimus omnino ſilentio praeterierit auctor, quod, quin ſubdole ab eodem factum ſit, vix dubitari poteſt, quamuis illud ſilentium in commonitione ad lectorem excuſauerit. Tandem p. 139. occurrit explicatio locorum aliquot difficiliorum in Apocalypſi a capite XI. vsque ad finem libri, non definiendi, ſed inquirendi animo propoſita.

In hoc opere iudicante FABRICIO P.II. p. 85. non virulentis calumniarum aut conuitiorum telis, ſed rationibus ex libris propheticis depromtis pugnatur. Quod ſi autem non nullas verborum propheticorum explicationes ibi offendes, quae cum ſenſu ſcriptoris noſtri in annotationibus expreſſo non conueniunt, ſcito, hunc illis praeferendum, adeoque auctoris ſententiam genuinam ex annotationibus aeſtimandam eſſe.

6. *Dialogus de veritate religionis Chriſtianae.*

7. *Incerti auctoris breuis eiusdem veritatis demonſtratio.* Haec tamen dialogo illo eſt verboſior, auctoremque agnoſcit IOACH. STEGMANNVM *iuniorem.* Praefixae ſunt duae auctoris epiſtolae, quibus exponit quaeſtionem, an is, qui Chriſtianam religionem profitetur, Magiſtratus munus gerens, pro Chriſtiano habendus ſit?

Non

Non ſtatuit auctor, quod nullus paganus, aut nemo Chriſtianorum Magiſtratum aut imperium coactiuum gerere poſſit debeatue; ſed de iis tantum loquitur Chriſtianis, qui ad perfectionem Chriſtianam peruenerint aut tendant. Plures praeter haec opera ſcripſiſſe libros BRENIVM, IO. FABRICIVS l. c. obſeruauit, nimirum: *ſpeculum Chriſtianarum virtutum, et compendium theologiae Eraſmicae*, ex ERASMI ROTERODAMI ſcriptis concinnatum, *Roterod.* 1677. 16. etc.

## CHRISTOPHORVS BROCKAYVS.

Quia nullum ab eo, quantum ſcimus, in publicam lucem editum eſt ſcriptum, hinc a SANDIO inter ſcriptores Antitrinitarios non notatus, quem primum Lycei Racouienſis fuiſſe Rectorem *acta MSSCC Synod.* a. 1603. narrant, adduntque eundem fuiſſe *Weſtphalum* patria, et in Synodo ſpeciminis loco diſputaſſe *de iuſtitia ex mente* ARISTOTELIS. Mortuum eum eſſe a. 1605. d. XV. Maii, SMALCIVS in *diar. vitae ſuae*, apud ZELTN. p. 1179. notauit, qui eius funeri, nec non PET. STATORII *iun. Racoviae* parentauit. A LVBIENIECIO in *hiſt. reform. Polon.* (Vid. ſub VAL. SMALCIO, N. 5.) BROCKAYVM confundi et commiſceri cum MART. BORRHAO, ZELTNERVS l. c. iam obſeruauit. Male enim hunc inter Rectores ſcholae Racovienſis referri, vel ſola temporis ratio comprobat, quippe quem iam a. 1564. diem obiiſſe nouimus.

## CHRISTIANVS BRZOZOVIVS.

SANDIVS eum praeteriit, quia nullam ſcripto quodam edito ſibi celebritatem conciliauit. Matrem habuit ſororem GRATIANI KVROSCII, quod *acta Synod. MSSCC.* 1645. teſtantur. A. 1642. in conuentu Czarcouienſi in

*Belgi-*

*Belgium* proficiſcendi veniam nactus, ipſique ad hoc iter ſtipendium 250 flor. conceſſum, nouoque ſtipendio adiutus anno quoque 1643. in Belgio ſubſtitit. Anno 1644. Siedliſcenſis conſeſſus eum in patriam redire iuſſit, et vt Vſzimirſcenſi coetui ſuam dicaret operam, conſtituit, quod quoque ab ipſo praeſtitum eſſe, acta conſeſſus Zulinienſis a. 1645. teſtantur, quamuis demum 1646. a Miniſtris Kiiouienſibus et Volihinienſibus in conuentu publico Vſzomirſcenſi Miniſterio Eccleſ. initiatus fuerit. A. 1648. ex decreto conſeſſus Dazuienſis, WISSOWATII ſtatio *Iwanitii* ipſi deſignata; ſed conſilia haec mutabantur a. 1649. et BRZOZOVIO, Dazuienſis coetus, a. 1653. vero Dobrinenſis cura committebatur.

## LEONARDVS BVCALI, VEL BVSALIS.

Quae de hoc reſcire potuimus, pauciſſima, alio loco in *Hiſtoria Socin.* expoſuimus.

## PHILIPPVS BVCCELLA.

F. SOCINVS eum in epiſtola ad BALCEROVICIVM in epp. F. SOCINI p. 346. *Doctorem* adpellat, eumque quod IO. BAPTISTAE BOVIO ſtipendium annuum quinquaginta florenorum ſoluerit, laudat. Idem in epiſt. tertia ad RADECIVM ſcripta l. c. p. 100. de eodem ita ſcribit: " Plurimum multis de cauſſis D. PHIL. BVCCELLAE debeo, inter quas haec etiam numerari poteſt, quod me ſibi amicum eſſe, coram te profeſſus fuerit. Ego ſane iuuenem illum et amo et colo propter non vulgarem multiplicemque eius eruditionem praeſtansque ingenium; cuius praeter alia clara ſpecimina, hoc clariſſimum mihi dedit, quod prius coram, deinde etiam per litteras mirabile παράδοξον contra me defendere eſt aggreſſus, quamuis, ſe mecum alio-

qui,

qui, et cum aliis omnibus ſentire profiteatur. Παράδοξον autem tale eſt: *Nullum peccatum in actionibus humanis eſſe, quod vituperatione reuera ſit dignum.* - - - Sed ad PHILIPPVM redeo, in quo, vt verum fatear, maius religionis verae ac pietatis ſtudium deſidero, id enim cum tali ingenio ac eruditione coniunctum, egregios fructus vniverſae Eccleſiae vtiles ederet. Nam quod tantopere FRANCISCVM PVCCIVM laudare tibi eſt viſus, id non tam ob pietatem et doctrinam, quam in ipſo animaduertiſſet, quam ob vtriusque in religionis negotio ſententiae atque inſtituti ſimilitudinem quandam factum eſſe arbitror." In ſequentibus SOCINVS BVCCELLAM cum PVCCIO in eo confert; quod cum eodem nulli parti in religione addictus ſit, ſaltem, quarum partium fuerit, non conſtet. F. SOCINVS ſcripti ſui aduerſus PHIL. BVCCELLAE παράδοξον mentionem facit in epiſtola ad VAL. SMALCIVM data 1597. d. 20. Maii; quod vero, an vnquam typis fuerit exſcriptum, dubitamus. An PHILIPPVS, NICOLAI BVCCELLAE, Itali Patauini, celebris Medici et quorundam Regum Poloniae circa finem Saec. XVI. Archiatri, de quo HOFFMANNVS de typograph. Polon. p. 39. et alibi, filius fuerit, pro certo ſtatui a nobis nequit.

## SIMON BVDNAEVS.

*Mazouius* patria fuit, vt opinatur SANDIVS l. c. p. 54. coetus Klecenſis, poſtea Loſcenſis Miniſter, FRANCISCI DAVIDIS de Chriſto, diuino cultu non honorando tenaciſſimus defenſor, a quo, qui eundem in Ruſſiae Polonicae prouinciis et Lithuania errorem propugnarunt, BVDNAEANI vel BVDNAEISTAE dicti ſunt. Alia quoque Iudaizantium dogmata defendit, de quibus in *hiſt. Socin. Polon.* imo teſte DAN. CLEMENTINO tract. *Antilog. et abſ. ex opin. Socin.* fol. J. 1. b. fidem Chriſtianam abnegauit, et Iudaismo adhaeſit,

haeſit, cui narrationi ION. SCHLICHTINGIVS, qui CLEMENTINI ſcriptum refutare ſtuduit, nihil ſolidi opponere potuit. A reliquis Polonicis et Lithuanicis Vnitariorum coetibus ob impia placita et facta a. 1582. in Synodo Luclauicenſi et miniſtri et fratris titulo indignus iudicabatur; quae ſententia non demum a. 1584. quod SANDIVS perhibet, enunciata, ſed hoc anno iterum repetita et confirmata. Saepius poſthac in Synodis reconciliationem cum coetu efflagitauit, non, quod ipſum errorum factorumque poenituerit; ſed quod hac ratione ſtipendii, ex ſynodali ſtatuto ſibi ablati, iterum compos fieri putauerit.

SCRIPTA:

1. O przednieyſzych Wiari chrześcianskiey Artikułech, t. i. o Bogu iedynym, o Synu iego, y o Duchu świętym Wyznanie proſte, z piſma świętego przez SYMONA BVDNEGO krotko ſpiſane a za zezwoleniem Braciey w Litwie y na Ruśy wydane: Ktemu *obrona* tegoż wyznania bronionca, przez tegoż napiſana, K Rzym. X. 10. Drukowano w Losku przez IANA KARKANA, z Wieliczki. Od narodzenia Syna Bożego, 1576. 8. i. e. *Simplex confeſſio praecipuorum Chriſtianae fidei articulorum, nimirum de Deo vno, Filio eius et Sp. S. ex S. Scriptura breuibus concepta per* SIMONEM BVDNY, *et cum conſenſu quorundam fratrum in Lituania et Ruſſia publicae luci commiſſa: cum Apologia ad defenſionem huius confeſſionis, per eundem ſcripta Rom. X.* 10. *Impreſſum Loſci per* IO. KARKAN, *Wieliſcenſem. A natiuitate Filii Dei anno* 1576. 8. Vid. RINGELTAVBE *Hiſt. Bibl. Polon.* p. 152. ſeqq.

Scripto huic oppoſita eſt MART. BIALOBRZYCKI, Epiſcopi Camenecenſis, *orthodoxa confeſſio de vno Deo,*

*quem Christiani Catholici credunt, adorant et inuocant ex S. literis descripta. Coloniae* 1579. 8.

2. Biblia, t. i. Ksiengi starego y nowego przymierza, z nowu z ienzyka ebreiskiego, greckiego y lacinskiego na polski przelozone od SYMONA BVDNEGO. W Zaslawiu Litewskym 1572. 4. Ksiengi nowego Przymierza, ktore pospolicie Nowym Testamentem zowiom, teraz z nowu z wielkom pracom y pilnym poprawieniem z greckiego na Polski Ienzyk przetlumaczone etc. i. e. *Biblia, h. e. Libri V. et N. foederis, denuo ex lingua hebraica, graeca et latina in Polonicam translati per* SIMONEM BVDNY. *Zaslauiae in Lithuania* 1572. 4. *Libri Noui Foederis, vulgo N. T. dicti denuo multo labore et diligente emendatione ex graeca in Polonicam linguam translati. Zaslauiae* 1572. 4. *Sumtibus et typis* MATTHIAE KAWIECZYNSKI, *Praefecti Niesuiesensis per* DAN. LĘCZYC. Ex professo de hac Bibliorum translatione agit RINGELTAVBE l. c. p. 37. et 142. seqq. Quam grata haec fuerit Iudaeis ex variis locis tr. *Chissuk Emuna* R. ISAAC B. ABRAHAM, in WOLFFII *Biblioth. hebr.* T. I. p. 641. seqq. allegatis colligitur. Respiciunt enim haec tantum versionem hanc BVDNAEI et *Notas* eiusdem *Marginales*, cum ab hoc auctore *Commentarii* in peculiares S. Scripturae libros concinnati non sint, quod celeb. WOLFFIVS credidisse videtur, seductus per versionem tr. *Chissuk Emuna* in WAGENSEILII *tel. ign. Satanae*, quae vocem ביאור saepius per *Commentarium*, et semel tantum p. 354. per *notas marginales*, vt debuit, reddidit.

3. Nowy Testament albo Ksiengi nowego Przymierza, z przypiskami, ktore annotacyami zowiom, przez SYMONA BVDNEGO. W Losku 1574. 8. i.e. *Nouum Testamen-*

*ſtamentum, ſiue libri noui Foederis, adpoſitis adnotationibus, per* SIMONEM BVDNY. Loſci 1574. 8. Vid. RINGELTAVBE l. c. p. 37. et 151. De vtroque N. 2. et 3. in *hiſt. Socin. Polon.* plura narrabimus.

4. *Libellus de duabus naturis in Chriſto.* 1574.

Scripto huic oppoſitus eſt liber, cui tit. IOSIAE SIMLERI *aſſertio orthodoxae doctrinae de duabus naturis Chriſti Seruatoris noſtri, oppoſita blasphemiis et ſophismatibus* SIM. BVDNAEI *in Lithuania euulgatis. Tiguri apud* FROSCHOVER. 1575. 8. Praeterea: IO. WIGANDI *diſputatio de I. C. Deo et homine contra Antitrinitarios. Regiom.* 1576. 4. Huc quoque trahendum SIMLERI opus: *De aeterno Dei Filio Dn. et Seruatore noſtro I. C. et de Sp. S. aduerſus veteres et nouos Antitrinitarios,* i. e. *Arianos, Tritheitas, Samoſatenianos et Pneumatomachos. Libb. IV. Tiguri apud* CHRISTOPH. FROSCHOVER. 1582. 8. quod iam prodiit 1568. 8. Alph. 2. cum praefat. HENR. BVLLINGERI, aduerſus Anonymi Poloni (STAN. HOSII) *iudicium de cenſura Miniſtr. Tigur. et Heidelberg. de dogmate in Polonia ſparſo Colon.* 1565. 8. Vid. PLACCIVS l. c. p. 181. N. 891.

In *Bibliotheca Vffenbachiana* inter MSSCC. T. III. p. 697. N. 29. b. allegatur: *Ad argumenta* SIMLERI *et aliorum quorundam pro duabus in Chriſto naturis dimicantium, quaecunque* STANISL. PROCHOVIVS *contra* SIMONEM BVDNAEVM *excerpſit, eiusdem* SIM. BVDNAEI *ſimplex et ſuccincta e S. literis reſponſio.* Ibidem notatur, ſcriptum hoc *Loſci* in *Lithuania* per IO. CARTZANVM a. 1578. typis quidem eſſe excuſum, ſed ob ſummam raritatem manu deſcriptum.

5. *Breuis demonſtratio, quod Chriſtus non ſit ipſe Deus, qui eſt Pater; et cur in S. litteris appellatus fuerit et*

*porro Deus sit.* Haec demonstratio adtexta est libello N. 4. allegato.

6. Obrona Wyznania prostego etc. i. e. *Defensio simplicis confessionis etc.* SANDIVS l. c. p. 55. scripti huius sub tit. *Apologia Polonica* mentionem fecit, estque ipsi confessioni N. 1. adiunctum. Vtrumque scriptum separatim ante annum 1576. (circiter 1573.) prodiit. Hoc ipsum opus secundum tit. polon. *Obrona* (Apologia) in R. ISAACI *Chissuk Emuna* apud WAGENSEILIVM l. c. p. 177. allegatur sub vocabulo אִיבּרוֹנִי, et rectius p. 471. אוֹבּרוֹנִי. BVDNAEVS in hac apologia scribit: *Christus eo significatu est Deus, quo Moses fuit*, teste DAN. CLEMENTINO l. c. fol. M. 3. b.

BVDNAEI errores in hoc scripto expositos, vna cum CZECHOVICII et FARNOVII placitis, refutauit STANISL. ZDESCHEKI OSTROWSKI *(Abbas Premetens.) de Trinitate Lib. I. contra impia scripta* SIM. BVDNAEI, MART. CZECHOVICII, STAN. FARNOVII *et aliorum Antichristorum, Anabaptisticorum, Catholicam Trinitatis fidem et I. C. altissimi Dei nostri diuinitatem, in Polonia et alibi oppugnantium: Cum Grat. et Priuil. S. R. M. Posnaniae in offic. typograph.* IOANNIS WOLRABI. 1591. 4. Alph. 1. pl. 3. cum epist. dedicat. ad SIGISM. III. *Reg. Pol.* scripta *Prementi* 10. Ian. 1591. (*) BVDNAEO quoque oppositae videntur *Collegii Posnan. Assertiones Theologicae de trino et vno Deo aduersus nouos Samosatenicos etc.* 1581. quas praeter alios praecipue F. SOCINVS refutare adgressus est.

7. *Refutatio argumentorum* MART. CZECHOVICII, *quae pro sententia sua, quod homini Christiano non liceat Magistra-*

(*) Opus hoc OSTROVII propter singularem raritatem aliquando 30 imperialibus comparatum est, teste IANOZKIO de *Biblioth. Zaluskiana*, p. 4.

*giſtratum politicum gerere*, *in* DIALOGIS *ſuis propoſuit. Loſci* 1574. ap. Io. KARKAN.

8. Polonicae verſioni librorum ANDR. FRIC. MODREVII *de republ. emendanda*, praefationem praemiſit, datam *Loſci*, d. 8. M. *Sierpnia* 1577. de qua ſub ANDR. FR. MODREVIO.

## STANISLAVS BVDZINIVS.

Polonus, qui teſte SANDIO l. c. p. 55. IOANNI A LASCO et FRANC. LISMANINO Amanuenſis vel Secretarii officia praeſtitit, deinde HIERONYMO PHILIPOVIO, Palatinatus Cracouienſis *Quaeſtori* in teloniis exigendis operam ſuam nauauit. Eiusdem cum FRANC. DAVIDIS et BVDNAEO, aliisque Iudaizantibus fuit opinionis, ob quam etiam excommunicatus, poſt duodecim vero annorum excommunicationem reconciliatus coetui reliquo dicitur.

SCRIPTA:

1. *Commentarii rerum ad hiſtoriam Socinian. ſpectantium; quibus MSSCC.* STANISL. LVBIENIECIVS *in hiſt. reform. Polon.* conſcribenda diligenter vſus eſt, ipſo teſte L. II. C. I. p. 38. Ad eosdem quoque prouocauit WENGERSCIVS L. 15. p. 124. II. 13. p. 207. 15. p. 229. SANDIVS eorum l. c. p. 55. mentionem facit hoc indice: *Hiſt. eccl. eorum, quae in Polonia eique conterminis regionibus a primordiis reformationis, vsque ad A.* 1593. *in religionis negotio contigerunt. MSC. polon.* His ſubiicit: ERASMVM OTVINOVIVM in vita ipſius teſtari, partem huius operis in manibus cuiusdam infidelis, (quem non nominat) periiſſe. Idem SANDIVS *in Appendice ad Nucl. hiſt. Eccl.* p. 91. refert: hoc BVDZINII opus, hiſtoriam Eccleſiaſticam Arianorum dictorum ſui temporis, expoſuiſſe, quam auctor maximam partem oculatus teſtis ſcripſerit.

 2.

2. *Epistola ad Synodum Racouianam*, 1574. in qua fratres ad concordiam cohortatur, ac vsum armorum, Magistratusque officium defendit. *MSC. polon.*
3. *Epistola* ad GREGOR. PAVLI, in qua itidem Magistratum politicum et arma, homini Christiano licitum esse gerere, propugnat. Scripta 1574. *MSC.*
4. *De regno Christi in terra millenario tractatus*: conscriptus circa annum 1589. aut 1590. *MSC. polon.* quem F. SOCINVS refutauit.
5. Eiusdem, vt arbitramur, auctoris opus est, quod in *Bibliotheca Zalusciana* Warsauiae seruatur, quodque Archiepiscoporum Gnesnensium LXII. vitas exponit. Scriptor libri nominatur STAN. BVZENSKI, et argumentum exponitur in *Biblioth. Warsauiensi*, P. III. et IV.

## FRANCISCVS IOSEPH. BVRRHVS. *(Borri)*.

Famosum est viri huius portentosi nomen, *Mediolanensis* patria, et studio Alchymistae, qui in Italia non tantum, sed in Germania quoque superiori saeculo magnifice se iactauit, variisque pugnis ansam praebuit. Fata et monstrosas ipsius sententias, post Italicum vitae illius scriptorem, BAYLIVS in *Diction.* et collectores *Lex. Vniuers.* germ. quod *Basileae* prodiit, exposuerunt. Vid. ANDR. CAROLI *in Memor. Eccl. Saec.* XVII. ad a. 1670. et IOECHERI *Lex. erud.* edit. nouiss. T. I. p. 1259. Ad historiam hominis singularis analecta dedit SCHELHORNIVS in *amoenit. liter.* T. V. p. 141. seqq. quaedam etiam notatu digna de eodem narrarunt GROSCHVFIVS *in noua libb. rar. collect.* Fasc. I p. 243. seqq. STRVVIVS *in act. litter.* T. II. Fasc. I. p. 19. et Fasc. IV. p. 377. THOM. BARTHOL. *in epp. medicinal. Cent.* III. p. 386. 403. 409. 432. seqq. I. HERM. ab ELSWICH *in Epp. varii, potissimum theol. argumenti*

*Fasc.*

*Fasc.* p. 85. seqq. et MISSONIVS *in Itiner. Ital.* P. II. p. 628. edit. *Lips.* Ex sententia *Bullae* ab inquisitionis officio publicatae et a SCHELHORNIO l. c. exhibitae, locum quendam inter Antitrinitarios vel Tritheitas Enthusiastas occupauit, haec enim circa maximum hoc fidei mysterium sensit: " Deitatem in tertia persona, esse quandam tertiam deitatem: in Filio principium esse omnipotentiae amantis ipsi proprium, per quod ipse ab aeterno cooperatus cum intrinseca omnipotentia amante et generante: Filium ab aeterno non contentum fuisse gloria sua, sed cupidissimum futurae: Deitatem tertiae personae esse spiratam essentiam, verbi esse generatam et filiatam, a Filio stimulari Patrem ad creandum. In tribus personis tres esse omnipotentias constitutiuas vnius omnipotentiae, vti tres potentiae vnam animam constituunt. Secundam et tertiam personam inferiores esse Patre etc."

BVRRHVS instituta inquisitione fugitiuus factus, die 2. *Ianuarii* 1661. *Romae* in publico theatro haeresium conuictus, ac rogo condemnatus est, in eius vero absentia, effigies in patibulo suspensa, deinde flammis consumta. Certior vero factus de suae imaginis combustione, ipse viciffim conuocato hominum coetu Pontificem in imagine Vulcano tradidit.

## ERNESTVS CALBIVS, VEL KALBIVS.

*Liuo Rigensis*, Polon. adpellatur CIOLEK, quod vitulum, *germ.* Kalb notat. Narrantibus *act. Synod. MSSCC.* a. 1608. nomen suum coetui Sociniano professus est, cui desiderium in placitis illius maiora capere incrementa testabatur. Sibi quoque expetiit munus Paedagogicum in Schola Racouiana subeundum, ne coetui vitae suae sustentatione molestus esset. Hac occasione solida eius do-

ctrina laudatur, ipſique ſoluti ſunt 50 flor. quo, vnde viveret, haberet. Miniſter deinde coetus Sociniani *Smiglae* collecti ſucceſſit VAL. SMALCIO, *Smigla* diſcedenti *Racouiam.* A. 1611. vna cum MICH. GITTICHIO officio eccleſ. initiatus, et a. 1616. coetui Lazninenſi conceſſus eſt, in praedio Dn. CYRIACI LAZINII, quo loco a. 1618. d. 12. Maii morbo crudeli extinctus eſt, quem Scorbutum adpellant, teſte SMALCIO in *diar. vitae* ap. ZELTN. p. 1211. Meminit CALBII RVARVS Epp. Cent. II. N. XVII. p. 95. tanquam inſtrumenti, ad alios quoque in errorem conſimilem pertrahendos, idonei.

## ALBERTVS CALISSIVS, VEL KALISSIVS.

Anno 1586. in Synodo Chmielnicenſi Rector vocatur, quo tempore fortaſſis Chmielnicenſi Scholae praefuit, quam teſte WENGERSCIO l. c. I. 15. p. 138. rexit. Hac ipſa Synodo aqua luſtrali coetui Sociniano inſertus eſt. Scholam Luclauicianam a. 1600. et Lewartouienſem a. 1601. rexiſſe ex *actis MSSCC.* conſtat. LVBIENIECIVS l. c. p. 255. eum vocat virum egregie doctum, cuius conſilio ac opera magnus ille IOANNES ZAMOSCIVS in formanda Academia Zamoſciana vſus eſt. Fuit ipſi filius ANDREAS, quem LVBIENIECIVS l. c. p. 264. virum doctum, facundum, pium et hoſpitalitate inſignem celebrat.

In *actis* Synodi Lublinenſis a. 1590. MARTINVS quoque KALISSIVS, Miniſter Wengrouienſis commemoratur, qui ante Wieliſcienſis Miniſter fuit, et ab officio eccleſiaſtico remotus, ad Euangelicos tranſiit, ac apud Novogrodienſes Miniſterio functus eſt. Olim aliquando CALISSII in Academia Regiomontana litteris operam navarunt. A. 1597. DANIEL CALISSIVS Polonus, et a. 1613. GEORGIVS, Brigenſis Albo ciuium in hac Acad. inſerti ſunt.

SCRI-

SCRIPTA:

1. *Equitis Poloni in Iesuitas actio prima* 1590. 4. plag. 3½. item 1590. 4. pl. 3. 1591. 4. pl. 2½. Nunc longe emendatius, quam antea in lucem edita, vt titulus habet. Tribuunt quidam ſcriptum hoc SIM. STENIO; ſed Illuſtr. IOS. ANDR. ZALVSKI, *in conſpectu nouae Collectionis Legum Eccleſiaſt. Poloniae*, (edendae) Tit. *Synodicon Poloniae orthodoxae*, (Varſauiae 1744. 4. plagg. 10.) p. 33. N. 201. ALBERTVM CALISSIVM auctorem eſſe, expreſſe indicat. Proſtat quoque germanica verſio cui titulus: Schwarm des Heil. Röm. Bienenkorbs, d. i. Ausflug etlicher groſſen, ſchädlichen, vor wenig Jahren erwachſener, und vormals unerfahrnen Weſpen, Hurmiſſen, Fledermäuſen, welche nicht allein ganz Europam, ſondern auch die neu erfundene Land und Inſeln eingenommen, ꝛc. davor eine ſtattliche, ernſtliche und ausführliche Wahrnung eines Polniſchen Catholiſchen Ritters, im verſchinen 91. Jahr gethon, an die Hochlöblichſte *Senatores* und Rathsherrn, in voller Rathsverſammlung der Kron Polen. Aus dem Latin in Hochteutſch, der Kirchen Chriſti und gemeinen Vaterland zu gutem treulich verſetzet durch **Nicolaum Piſtandrum Neofanienſem.** Anno 1592. 4. pl. 4. Videtur in Palatinatu prodiiſſe.

Opuſculo huic oppoſita ſunt: 1) *Spongia, qua abſterguntur conuitia et maledicta* EQVITIS POLONI *contra Ieſuitas. Anagramma autoris:* SANVS RECTA SALVS. *Cracouiae typis* ANDR. PETRICOVII. A. D. 1590. 4. pl. 10½. *Ingolſtad.* apud DAV. SARTOR. 1591. 8. *Neap.* 1592. 4. 2) MART. LASKII S. I. *Iudicium de effigie Ieſuitarum* CONTRA ACTIONEM PRIMAM *Equ. Pol. etc.*

3) MART. SISCOVII (Canon. Cracou.) *pro religiosissimis S. I. Patribus, contra ficti* EQVITIS POLONI ACTIONEM PRIMAM, *Oratio. Cracouiae ex officina* LAZARI. A. D. 1590. 4. pl. 11. (1591.) 4) POLONI NOBILIS *cuiusdam pro Societatis Iesu Clericis Oratio prima, in ficti* EQVITIS POLONI IN IESVITAS ACTIONEM PRIMAM. 1590. 4. pl. 5. 1590. 12. *Ingolstad.* apud WOLFG. EDERVM 1591. 8. Auctor scripti huius est Iesuita Belgic. Io. LANS, teste PLACCIO, *anon.* p. 40. N. 257. Secunda oratio non prodiit. Vid. Ill. ZALVSKI *conspectus* p. 33. N. 202-205.

2. *Speculum Iesuitarum, h. e. ornamenta et flores* PRIMAE ORATIONIS *in primam actionem Equitis Poloni, pro Iesuitis editae. Summa huius speculi, siue censura veritatis de oratione Iesuitica aduersus Equitem Polonum: Ex semisse (in Equitem) conuiciatrix est. Ex altero semisse (in Iesuitas) laudatrix. Ex asse (in vtrumque)* MENDAX. *Matth.* 7. *A fructibus ipsorum agnoscetis eos.* A. 1590. 4. pl. 2½. Opusculum hoc apologeticum est, aduersus orationem primam Iesuitae Io. LANS. In praemissa epistola ad Iesuitam, qui se ficto nomine *Polonum* appellat *Nobilem*, auctor orationis anonymus vna cum encomiis ordinis sui effusis sarcastice perstringitur. Ipsa tractatio compendium refutatae orationis exhibet, in quo tam conuicia in Equitem Polonum effusa, partim laudes ordinis Iesuitici in duabus columnis iuxta se posita sunt.

3. *Oratio aduersus Iesuitas* 1591. (habita) *excusa* 1592. 4. *germ.* Ita allegatur titulus ab *Illustr.* ZALVSKI l. c. p. 33. N. 200. Absque omni dubio est germanica translatio actionis primae Equitis Poloni etc. quam Num. I. indicauimus.

4. *Scho-*

4. *Schola Leuartouiana restituta*, (S. Epistolae aliquot, quibus ratio descripta est a Praeceptoribus istius scholae in docendo obseruata,) *Racou.* 1593. 4. Scriptum rarissimum, cuius mentionem facit *Ill.* ZALVSKI l. c. p. 44. N. 327. et WENGERSCIVS l. c. p. 138.

5. *Disputatio Leuartouiae habita* 1592. etc. Hanc a Io. NIEMOIEVIO scriptam, per errorem sub CALISSIO allegauit SANDIVS l. c. p. 94. Vid. sub Io. NIEMOIEVIO.

## IOANNES CAMPANVS.

Copiose de eodem tractauimus in *historia nostra Antitrin.* Vid. Io. GE. SCHELHORNII diss. de IOANNE CAMPANO, *Antitrinitario, in amoenit. literar.* T. XI. p. 1-92. *Relat. innoc.* de a. 1714. p. 479. MELANTHON de eodem in ep. a. 1530. scripta in epistolis per ELZIVIRIOS *Lugd. Batau.* impressis p. 434. inquit: " Hodie resciui, *Campanum* illum nostrum, qui noua dogmata Torgam ante nostrum discessum attulerat, captum esse a Leodiensi Fiscali."

SCRIPTA.

1. *Contra mysterium Trinitatis et Sp. S. aeternitatem.* Hoc scriptum inter alia, in primo Aug. Conf. articulo innui, cum in sentent. reprobat. *Samosatenorum Neotericorum* mentio fit, vulgo creditur. Vid. BVDDEI *Isag. hist. theol. Addenda*, p. 166. IOANNEM CAMPANVM et LVD. HETZERVM sub hoc titulo notari, monstrauit KIESLINGIVS *in Museo Heluetico*, T. II. N. 3. quo loco p. 117. BREITINGERVS quoque loco quodam PHIL. MELANTHONIS euicit, HETZERVM nomine *Samosatenorum Neotericorum* notari. Vid. *noua litter. Götting.* 1752. p. 251. et *noua litter. Lips.* 1752. p. 147. De hoc argumento plura alio loco.

2. *Contra totum post Apostolos mundum liber.* Vid. ZELTNERI *hist. arc. crypto-Socin. Altorph.* p. 352.

3.

3. Göttlicher und Heil. Schrift, vor vielen Jahren verdunkelt, und durch unheilsame Lehre und Lehrer verfinstert, Restitution und Besserung. Mit einem Anhang vom Sitzer-Recht, (contra Theologos Witteberg.) 1532. 12. Vid. ZELTNERVS l. c. p. 1233. SCHELHORNIVS l. c. p. 88.

## THEODORVS RAPHAEL CAMPHVYSIVS.

Hoc numero omnino non excludendus, quem SANDIVS quoque p. 112. eidem accensuit. Socinianismum eius ex propriis ipsius verbis monstrauit IACOBVS RYSDIKIVS in libro, cui titulus: *Godgeleerde Anmerkingen etc. Groningae* 1742. 4. Opera eius theologica, in tres partes distributa lingua belgica prodierunt, *Amstel.* 1682. 4. Vid. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. theol.* Sect. X. p. 907. Sed de illo in *historia nostra Socin. Belg.*

## M. IOANNES CAPER, *Senior.*

*Miedzirzensis* s. *Mesericensis* coetus Euangelici per complures annos (nimirum 28.) Pastor, tandem ad castra SOCINI aetate prouectus transiit, iisque adeo iterato Baptismo in piscina prope *Smiglam* a. 1588. vlt. *Iulii* initiatus. In quem actum VALER. HERBERGERVS carmen concinnauit, cui titulus: *In* IOANNEM CAPRVM *Pastorem Mesericensem, qui pridie Calend. Augusti, Anno* 1588. *mersus est in stagno, prope Smiglauiam, a Samosatensibus, cum iam* 28. *annos docuisset Euangelium Iesu Christi.* Smiglensi coetui Sociniano ad vinginti annos Minister praefuisse narratur, quo loco tandem circa annum 1608. vel 1609. teste ADELTO in hist. Arianismi Smiglae olim infesti, p. 42. et LAVTERBACHIO l. c. p. 262. a turma quadam in piscina submersus misere periit. Vid.

SALI-

SALIGIVS l. c. T. II. p. 681. et W. E. BARTHOLOMAEI fortgesetzte nützliche Anmerk. T. II. Collectio XIV. p. 175. quo loco ex actis Synodi Posnaniensis ab Euangelicis Aug. Confess. a. 1566. habitae notatur, CAPRVM propter dissensum in articulo de S. Coena ab officio Mesericensi fuisse remotum; quo tempore ad Antitrinitariorum partes nondum transiisse videtur.

SCRIPTA:

*Dialogus de coena Domini inter Marchitam et Polonum.* 1565. In hisce schedulis suum cum ZWINGLIO consensum in artic. de S. coena, CAPER declarauit.

Has vt refutaret ERASMVS GLICZNERVS, coetus Augustanae Confessioni in Polonia addictus eum rogauit, qui petitis hisce adnuens sequens scriptum luci commisit: ERASMI GLICZNERI, *Znenensis, breue colloquium contra* DIALOGVM quendam de COENA *Domini, quem sub personis Marchitae et Poloni* IOANNES CAPER, *Ecclesiarum renascentium in maiori Polonia Inspector, sparsit hisce diebus.* 1 *Tim.* 4. *Nemo tuam iuuentutem despiciat, sed esto fidelium exemplum, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Francophord. ad Oder. Anno* 1565. 4. pl. 4. Vid. LOESCHERI *hist. motuum*, P. III. p. 40.

## IOANNES CAPER, *Iunior.*

IOANNIS filius, qui semet IOANNEM KOZIELSCIVM, quod idem nomen in lingua Polonica est, adpellauit. Vid. ZELTNERVS l. c. p. 1159. Commemoratur in *act. MSSCC. Synod.* a. 1619. et 20. inter alumnos et Theologiae Studiosos Racou. Eidem Scholae Racou. per aliquod tempus operam suam praestitit. De hoc Io. CRELLIVS in epistola ad RVARVM data, Racouiae 1624. d. 19. Iulii apud THOM.

CRENI-

CRENIVM *in animadu. philolog.* P. V. p. 258. ita ſcribit: " Ad ſcholam noſtram quod attinet, duodecim poſt abitum tuum diebus venit ad nos Dominus CAPER, Smiglenſis, qui nunc KOŻELŚCII nomen vſurpat, de quo non nihil antehac audiiſſe arbitror. Is inter Pontificios hactenus verſatus, conſcientiae ſuae, vt ipſemet fatetur, male conſuluit. Vixit per biennium in *Francofurtana*, alterum tantum in *Argentinenſi* Academia ſumptibus Epiſcopi Plocenſis, qui eum fratris ſui filiis praefecerat. Venit ad nos eo animo, vt Theologiae apud nos incumberet. (quod, quid ſibi velit, cogitari facile poteſt.) Nobis nec repellere hominem, praeſertim litteris non leuiter tinctum, et Latine ſat expedite et commode loquentem; nec tanquam Theologiae ſtudioſum alere, et ei non obſcuram miniſterii adeundi ſpem facere, nec otioſum tamen ſuſtentáre placuit. Egimus ergo cum illo, vt interea, dum de Rectore nobis proſpectum eſſet, primo ſcholae noſtrae ordini praeeſſet, *Logica*, *Rhetorica*, *Orationes* CICERONIS tractaret, Exercitationes ſtyli proponeret et emendaret; Ethicorum explicandorum labore in chariſſ. fratrem Dn. SCHLICHTINGIVM coniecto. Auctae ſunt horae ſtudioſis: quinque pro tribus impoſitae, quas in ſchola exigant, praeter diem Solis ac Mercurii. Dns. CHRISTOPH. LVBIENIECIVS ei fratres ſuos commendauit, pro quo labore 50 flor. ei in annum promiſit. Nos 100 flor. pro labore, quem in ſchola ſubibit, promiſimus, ſpe ei facta, fore, vt ſi diligentiam ſuam nobis probauerit, Synodus eius rei rationem habeat. Dati praeterea ei ſunt honorarii muneris loco, cum in ſcholam introduceretur, 6 taleri imperiales. Hactenus non male officio ſuo fungi videtur. Praeeſt autem ille primae claſſi, eo pacto, quo caeteri praeceptores ſuis, nec Vice-Rectoris nomen aut munus ſuſtinet. Ingenium mihi non diſplicet. De moribus, quod ſcribam, nunc non habeo." Com-

Commemoratur quoque in *actis MSSCC.* a. 1619. et 20. DANIEL CAPER inter ſtudioſos alumnos, qui ſtudio Theologico operam ſuam nauant, quem HIER. MOSCOROVIVS a. 1620. ad hoc diligentiſſime proſequendum, ex decreto Synodi admonuit.

## WOLFGANGVS FABRICIVS CAPITO.

*Hagenoae* in Alſatia a. 1478. in lucem ſuſceptus. Argentinenſis Eccleſiae Miniſter, inter primos Reformatores ſuperioris germaniae referendus, apud SANDIVM primum inter Anti-Trinitarios tenet locum, quo tamen omnino eximendus eſt, quod alio loco ſumus euicturi; quamuis epiſtola praeliminaris ab eodem ſcripta, libro ſub BLANDRATA N. 19. allegato praemiſſa ſit, et antiquiores Anti-Trinitarii ſaepius ad eius conſenſum prouocauerint. Vita eius deſcripta reperitur, in *Vitis virorum, fama et doctrina illuſtrium, Amſtel.* 1732. et ſeqq. belgica lingua editis, P. I. Faſc. II. et in DAN. GERDESII *Hiſtoria Euangelii Saec. XVI. renouati*, T. I. p. 115. ſeqq. et T. II. variis locis in indice libri notatis.

## CATECHISMVS *Racouienſis.*

Operis huius Catechetici et minoris et maioris, nec non aliarum inſtitutionum Catecheticarum ex parte Anti-Trinitariorum in lucem emiſſarum, harumque verſionum ac editionum hiſtoriam pleniſſimam expoſuimus in *hiſt. Socin. Polon.*

## CAROLVS CATS.

Eques, Belga. Socinianorum caſtris adſcriptus, vel ſaltem vicinus. De eiusdem librorum N. T. verſione Belg. Vid. *hiſt. Socin. Belg.*

IOAN-

## IOANNES CAZANOVIVS.

Eques Polonus, qui iam a. 1562. *Petricouiae*, vbi memorabile colloquium habitum eſt, plene ad Socinianos tranſiit. Vid. WENGERSCIVS l. c. p. 86. et LVBIENIECIVS l. c. L. II. C. IX. p. 152. SANDIVS l. c. p. 49. eum GONESIO fere homodoxum, atque eius opinionis hominum Eccleſiaſten: poſt vero Subiudicem Lucouienſem fuiſſe narrat.

SCRIPTA:

1. *Contra* CALVINI *breuem admonitionem ad fratres Polonos*, *et contra* CALVINI *epiſtolam*, *qua fidem admonitionis apud Polonos confirmat*. Circa annum 1563.

   Refutauit eum quoad quaedam momenta auctor libri, cui titulus: *Antiſocinus etc. Francof.* 1612. 8. toto vero ambitu Ios. SIMLERVS *de aeterno Dei Filio Dn. et Seruatore noſtro I. C. de Sp. S. Tiguri* 1568. 8. p. 197. ſeqq. qui p. 197. 201. etc. quaedam loca ex CAZANOVII opuſculo *de adoratione Chriſti* inſeruit.

2. *Liber contra Trinitarios.*

3. *Elucidationes in colloquium Petricouiae* 1565. *habitum.* Agunt de hoc WENGERSCIVS l. c. p. 87. LVBIENIECIVS L. III. C. V. p. 201. ſeqq. SALIGIVS l. c. T. II. p. 668. ANT. POSSEVINVS *de Atheiſmis haereticorum ſui ſaeculi* C. XIII. fol. 59. et nos in *hiſt. Socin. Polon.* Polonicae deſcriptionis meminit SANDIVS l. c. p. 172. inter ſcripta anonyma, qui quoque ex parte Vnitariorum allegat, qui colloquio huic interfuerunt. Cum CAZANOVIVS ſcribae munere in hoc colloquio functus fuerit, vna cum ALBERTO ROMAEO, ille auctor quoque *Diſputationis*, *ſ. Colloquii cum Trinitariis*, a SANDIO l. c. allegati, eſſe videtur. Locum ex MODREVII *Sylu.* I. C. VI. quo duo ſcripta CAZANOVII N. 2. et 3. allegantur, SANDIVS p. 49. exhibuit.

IOAN-

## IOAN. BAPT. CETTISIVS, CETTIS VEL CETIS.

A SANDIO l. c. p. 175. inter eos, qui Colloquio Racou. 1602. interfuerunt, male appellatur CELTIS. Gente fuiſſe *Italum* et a. 1613. d. 16. Martii diem obiiſſe, Igolonnae non procul Cracouia, ex SMALCII *diario* apud ZELTN. l. c. p. 1199. diſcimus. Vocat eum SMALCIVS omnium aduenarum tutorem et patronum. CETTISIVM cum J. G. LEVCHSNERO, Conſiliario et ICto Noribergenſi commercium litterarium coluiſſe, Io. PASTORIVS, vitae CRELLIANAE auctor, et ZELTNERVS l. c. p. 37. clarius nos edocuerunt. Imo CETTISII apud LEVCHSNERVM plurimum valentis opera, Sociniani ſpem ſibi fecerunt, ipſis cuncta *Altorffii* ad votum eſſe ceſſura. Praedicat eum HIERON. MOSCOROVIVS, in epiſtola ad RVARVM 1613. Racouiae data, in huius epp. *Cent.* II. N. 34. ex edit. ZELTNERI p. 573. quod Cracouiae vicinus et litteras ſuas et ſuorum ob viciniam in Germaniae regiones transferri curauerit, quod ciuitati ſuae praeſtitum adiumentum ipſis viri pii et nobiliſſimi morte praematura ereptum iam eſſe, triſtis conqueritur. Huius quoque officii Socinianis praeſtiti in vita CRELLII mentio iniicitur. Matura eum et admodum virili aetate mortalitatem expleuiſſe, idem MOSCOROVIVS adfirmat. Fortaſſis filius noſtri, vel ex eius poſteris fuit CETTISIVS ille, vel CETESTA cuius OPALINIVS in epiſtola ad RVARVM ſcripta 1643. in Epp. RVARI ex edit. ZELTNERI, p. 671. meminit.

## REMIGIVS CHELMIVS.

ERASMO OTVINOVIO MARCIANVS CHELMIVS venit notante SANDIO l. c. p. 48. Eques Polonus, Vexillifer Palatinatus Cracouienſis.

SCRIPTA.

1. *Epistola* scripta *Locinii*, d. 19. Nou. 1559. sine auctoris nomine, Synodoque Pinczouiensi oblata d. 22. Nou. e. a. in qua quaestionem mouet de Sp. S. inuocatione etc. Argumentum tradit LVBIENIECIVS l. c. L. II. C. VIII. p. 148. Vid. SANDIVS.

2. *Epistola* ad PET. STATORIVM, de eodem argumento, scripta *Locinii* 25. Ian. 1561. MSC. STATORII *Sen.* responsoria, sub hoc infra notabitur.

## ANDREAS CHRASTOVIVS, *Polon.* CHRZASTOVIVS, *aliquando* CHRZONSTOVIVS.

SANDIVS l. c. p. 108. eum Equitem Polonum, quondam Aulicum Regium, adpellat. Distinguendus is est ab ANDREA CHRZONSTOVIO vel CHRASTOVIO, reformatae religionis, qui a. 1612. tanquam Senior districtus Lublinensis, (ad quod officium *Vilna* euocatus erat) responsionem Euangelicorum ad Postulata Vnitariorum, quam IAC. ZABOROVIVS in *Tr. polon.* Ogien Z Wodo fol. E. allegat, cum aliis subscripsit; qui quoque a. 1585. vel 86. Colloquio Vilnensi interfuit, quod RADZIVILIVS Princeps inter Euangelico-Lutheranos et Reformatos institui curauit. Vid. HARTKNOCHII *Hist. Eccl. Pruss.* p. 496. Hic complura scripta Polemica, in lingua Polon. *Vilnae*, et latina *Basileae* et inter haec, *Bellum Iesuiticum*, *Basil.* 1594. 4. in publicam lucem emisit a. 1592-1594. quorum non nulla WENGERSCIVS allegauit C. III. 16. p. 440. Sed haec parum ad scopum nostrum faciunt, qui potius in scripta ANDR. CHRASTOVII Sociniani inquirimus.

SCRIPTA:

1. *Colloquium Nobilis Euangelici cum ministro Euangelico; addita epistola ad Euangelicos.* A. 1618. 4. *polon.*

Agit-

Agit in hoc ſcripto de emendatione diſciplinae eccleſ. et rituum apud Euangelicos neceſſaria, et negato ſuo reditu donec emendentur. Aduerſus illud miniſtri Euangelici diſtrictus Lublinenſis nomine Synodi Ozarouienſis reſponſionem in lingua polon. publicarunt, impreſſam *Thorunii* 1619. 4. cuius auctor ſine dubio eſt GRZYBOWSKI, Senior miniſterii Euangelici. Cui CHRASTOVIVS reſponſionem oppoſuit, Num. 5. allegandam.

2. *Epiſtola ad Synodum Lublinenſem*, qua requiſitus excuſat abſentiam. Reſpondit GRZYBOWSKI Senior Lublin.
3. *Epiſtola ad Synodum Ozarouienſem.* 1617. Expoſtulat de cauillis miniſtrorum Euangelicorum.
4. *Epiſtola ad* ZVROWSCIVM *Belzyczenſem miniſtrum Euangel.* dat. 1618. qua excuſat abſentiam ſui non praemoniti de habenda Synodo et occupati.
5. Obrona Dialogu ANDR. CHRZASTOWSKI przećiwko Xięzey Miniſtrom Evangelickim Diſtrictu Lubelſkiego y ich odpowiedzy, nieſłuſznie ſkromną y prawdziwą nazwaney przez tegoż ANDR. CHRZĄSTOWSKI uczyniona y wydana; i. e. *Defenſio Dialogi* ANDR. CHRASTOVII, *aduerſus Eccleſiaſtes et Miniſtros Euangelicos Lublinenſis diſtrictus, horumque reſponſiones, quas praeter omne ius legitimas veraſque adpellarunt, per eundem* ANDR. CHRASTOVIVM, *ſuſcepta et edita*, vlt. *Iulii* 1619. 4. pl. 16.

## THOMAS CHVBBIVS.

*Anglus*, inaequalitatem et ſubordinationem in diuina Trinitate defendit. Quae vero CHVBBIVS, MORGANVS aliique ex Anglis a Socinismo ad Deiſtarum caſtra delapſi protulerunt ad Socinianorum placita omnino accommodata, in *hiſtoria Socin. Anglic.* aliquando v. D. enarrabimus.

## IOANNES CIACHOVIVS.

Schomanni nepos, cum Cichovio, aduerſus quem Ion. Schlichtingivs calamum ſtrinxit, non commutandus. Patri ipſius, itidem Sociniano, Ioannis quoque nomen fuiſſe videtur. Anno enim 1634. Ioannes Ciachovivs iunior in alumnorum Racouienſium numerum et a. 1635. inter beneficiarios Oeconomiae Racou. ſuſceptus legitur in *act. MSSCC.* Anno 1638. fulmine aduerſus Racouiam vibrato, fuga ſalutem petierat; ſtatutum enim eſt eodem anno, ſi locus innoteſceret, in quem Io. Ciachovivs ſe receperit, is liberis Drzechovii paedagogus eſſet praeficiendus. A. 1641. a Synodo Piaſcenſi ad coetum Tychomelienſem mittebatur, vt eidem ſermonibus ſacris habendis officia praeſtaret. A. 1643. *Gedani* vixit ſtipendio publico a conuentu Siedliſcenſi adiutus, qui eundem admonuit, vt D. Botsacco reſponderet et Crellii librum *de vno Deo Patre* defenderet. A. 1645. coetibus Volyhnienſibus Miniſter conceſſus eſt, habuitque hoſpitium ſuum apud Petrvm Svchodolivm; anno ſequente *Dazuiae* apud Dominam *Suchodoliam* miniſterio functus eſt. A. 1649. Radoſtauienſi, a. 1650. vero Siedliſcenſi coetui in Lublinenſi diſtrictu miniſter praefectus eſt, a. 1653. tandem Czarcouienſi.

## GEORGIVS CIACHOVIVS.

Frater Ioannis, A. 1644. a conuentu Siedliſcenſi veniam exteras adeundi regiones nactus eſt, quam ob cauſſam ſtipendio quoque publico ſuſtentatus eſt. Poſt reditum in patriam Arcissevìis officia praeſtitit, ſine dubio liberorum Paedagogus. A. 1648. in conſeſſu Dazuienſi de eodem ſtatutum eſt, vt ſtudio theologico ſemet totum conſecraret, et propterea apud fratrem ſuum *Dazuiae* hoſpiti-

ſpitium ſuum haberet. Sed a. 1649. cum nobilibus Iuvenibus Polonis in exteras regiones profectus, data antea coetui fide reuertendi, ſi vocatus fuerit. Breui quoque tempore in patriam vt reuerteretur admonitus eſt, eidemque a. 1650. coetus Raciborſcenſis, quod *acta* conſeſſus Raſcouienſis *MSSCC.* teſtantur, concreditus. Sed vel in patriam reuerti detrectauit, vel ſtationem hanc ſuſcipere recuſauit, hinc a. 1651. in conſeſſu Czarcouienſi iterum admonitus legitur, vt ſuae erga coetum obligationis memor eſſe velit. A. 1652. STEPHANO NIEMERICIO ita conceſſus eſt, vt Czerniechouiae ſermones ſacros haberet, in quo munere a. 1655. confirmatus, et miniſterio eccleſiaſtico ſolemni ritu initiatus eſt. Eodem anno ipſi commendatum, vt vtramque CRELLII Ethicam in compendium coarctaret, idque in linguam Polonicam transferret. Vid. Io. CRELLII ſcripta N. 26. A. 1662. in conſeſſu, omnium in Polonia habitorum vltimo, Tranſyluanis quidem deſignatus eſt miniſter; ſed conſilia haec mutata; anno enim 1663. ſtationem ad terminos Marchiae Brandenb. tenuit et cum DANIELE LECHOCKIO exulum ex Polonia in Germaniam elabentium curam habuit ſollicitam.

## STANISLAVS CIKOVIVS, *a Woyslawice.*

Teſte SANDIO l. c. p. 48. Eques *Polonus*, Archicamerarius Cracouienſis, ad quod munus reſpectu habito ſcriptum diuulgauit N. 2. Poſt Caſtellanus Biecenſis et Dux exercituum Regni. Primus, coetus Cracouienſis, cuius GREGORIVS PAVLI a. 1562. paſtor fuit, Patronus.

Meminit quoque DAN. CLEMENTINVS in *praef.* tractat. polon. Antilog. et abſurda ex opin. Socinit. CHRISTOPHORI CIKOWSKI Z Krzelowa tanquam Socinianorum patroni. Cum his non commutandus NIC. CICHOVIVS, S I.

qui haud pauca aduerſus Socinianos in publicam lucem emiſit ſcripta, et cum PRZYPCOVIO, WISSOWATIO, et ION. SCHLICHTINGIO plura iniit certamina. Exſtat quoque CASP. CICHOCKI, *anatomia conſilii, de ſtabilienda pace regni Poloniae, Ieſuitis pulſis*, Cracou. 1611. 4.

SCRIPTA:

1. *Acta Synodi colloquiique Skrynicenſis A.* 1567. *celebrati, cum omnibus reſponſionibus eorum, qui negabant: Verbum ſ. Filium Dei mundum hunc viſibilem cum Deo creaſſe; ſed aſſerebant, initium ſuum habuiſſe tempore* IOANNIS *Baptiſtae et* IOANNIS *Euangeliſtae, ad obiectiones aduerſae partis.* Collocutores et ſcribas in hoc colloquio de religione inſtituto SANDIVS ex LVBIENIECIO l. c. L. III. C. VIII. allegauit. Vid. SALIGIVS l. c. p. 686. Plura de colloquio hoc narrauimus in *hiſt. Socin. Polon.*
2. W ſprawach celnych odpis I. M. Pana STANISLAWA CIKOWSKIEGO etc. z Strony Fortelow Kupieckich ſzkodliwych ſkarbowi Krola I. Mci y Koronie. W Krakowie w Drukarni Lazarzowey, Roku Pańſkiego 1602. 4. i. e. Generoſi viri STANISLAI CIKOVII etc. *in rebus tributariis concinnata reſponſio, concernens emolumenta et priuilegia Mercatorum Theſauro Regiae Maieſtatis et Reipublicae aduerſa. Cracouiae in typographia Lazariana.* 1602. 4. pl. 20½.

## SAMVEL CLARKIVS.

Vir longe doctiſſimus, qui Patrem ſolum eſſe Deum ſupremum et independentem, cuius eſſentia pluribus communis eſſe perſonis nequeat, defendit, ac tandem ob publicum Arianismi patrocinium a. 1724. munere Eccleſiaſtico exutus eſt. Plura de eodem in *hiſt. Anti-Trinitariorum Anglicana.*

CLAV-

## CLAVDIVS *Allobrox.*

A patria a SIMLERO aliisque ita cognominatus. In *actis tamen publicis Memmingensibus* eum vocari CLAVDIVM *Constantiensem* Io. GE. SCHELHORNIVS in *diss. ep.* de MINO CELSO *Senensi* notauit, idque propterea, quod forte *Constantia Memmingam* peruenerit, vel *Constantiensem* se mentitus fuerit. BERCHTOLDVS HALLERVS in epistola a. 1534. d. 7. Maii scripta ac inserta *Epistolis ab Eccl. Heluet. Reformatoribus vel ad eos scriptis, Cent.* I. p. 139. seqq. CLAVDIVM adpellat *Gallum*, cuius cognominis rationem SCHELHORNIVS l. c. p. 74. exponit, " quia Allobroges, Pagum Valdensem siue *Pais des Vaud* in Reip. Bernensis ditione inhabitantes, Geneuenses item, quorum ciuitas prisco nomine *Aurelia Allobrogum* vocitari assolet, aliique vicinarum terrarum ac montium incolae Gallico sermone ceu vernaculo vtuntur. Hinc etiam SEBASTIANVS CASTALIO ex asperis et salebrosis *Allobrogum* montibus ortus inter Gallos relatus fuit a SCAEVOLA SAMMARTHANO in *Elogiis illustrium Gallorum* p. 70. edit. *Isenaci* a. 1732." CLAVDIVS, assecla MICH. SERVETI, errores suos inter *Allobroges*, in *Heluetia*, *Sueuia* et *Memmingae* disseminare studuit. PHIL. MELANTHON in epistola ad VITVM THEODORICVM, *Theologum Noribergensem* a. 1537. d. 5. Aug. scripta, in epp. a Io. SAVBERTO 1640. editis L. IV. p. 33. ad CLAVDIVM, vt veri simillimum est, respiciens, inquit: "Audi, quid mihi BVCERVS scripserit de Allobrogibus. Quispiam SERVETI sodalis, apud illos sparsit virus Samosateni. Et leue hominum genus sic applaudit nouo delirio, vt iam ea de re Synodum indixerint, et metuat BVCERVS, ne discedant fanatici velut superiores. Auctorem vidisse te opinor. Ante biennium, aut aliquanto amplius, haesit hic mensem vnum atque alterum, cum antea Basi-

leae in carcere fuiſſet. Hinc quoque iuſſus eſt abire, cum audiſſemus eum ϛασιαζειν περι της τριαδος. Venerat ad LVTHERVM, cum eo acturus de illo delirio. Haec ſcandala Caeſarem et bonos viros iuſtiſſime mouent, vt de coercenda licentia cogitare cogantur. Quaeſo explora negotium. Nam pii omnes non ſolum deplorare haec mala debebant, ſed etiam ad delendos tales Spiritus τετυφωμενους concurrere, atque arma capere." Per *Allobroges* eos potiſſimum MELANTHONEM innuiſſe SCHELHORNIVS l. c. p. 75. non ſine ratione putat, quos *Sabaudiae Duci* antea ſubiectos, *Bernatum* reſpublica a. 1536. armis in poteſtatem ſuam redegit; quod etiam comprobant verba, quae CASP. MEGANDER, *Theologus Bernenſis*, a. 1537. d. 8. Martii ad HENR. BVLLINGERVM, hunc in modum ſcripſit: " Gallorum quidam in ditione nouiter occupata ſuſpecti ſunt nobis, haud recte de Chriſto perſonarumque Trinitate ſentire, quam ob cauſſam CALVINVS Bernam veniens obnixe petiit, vt Synodus cogeretur, quod abnegatum eſt homini vsque poſt Paſchatis. Vide quantum negotii nobis facturi ſint Galli illi ſuperſtitioſi, ne dicam ſeditioſi. "

De eodem SCHELHORNIVS in *amoenit. literar.* P. XI. p. 91. Is a. MDL. "in patria mea *(Memminga)* nonnullis ciuium et mulierculis praeſertim quibusdam perſuadere contendit, MARIAM virginem praeter Chriſtum plures peperiſſe filios; non eſſe tres in vna eſſentia diuina perſonas; Patrem ſolum eſſe verum Deum, maiorem Filio; S. Scripturam eſſe corruptam, praecipue primum Euangelii Ioannaei caput, cuius initium ſic legendum ſit: *In principio erat verbum, et verbum illud erat Dei etc.* Veritatem nondum in apricum productam eſſe, ſed a ſe demum, vtpote qui coeleſte Manna comederit, producendam, eque tene-

tenebris eruendam . . . . sed vrbe eiectus est homuncio, iique, quibus virus suum instillare laborauit, rectius edocti." Hos, qui faciles ipsi aures Memmingae praebuerunt, post quinquennium demum ad errores deserendos indefesso verbi diuini praeconum, ac praecipue LVDOVICI RABI, *Vlma* propterea *Memmingam* euocati, studio perductos esse, SCHELHORNIVS in *diss. epist.* p. 77. exponit.

CASP. SCHWENCKFELDIVS inter varias Anabaptistarum sectas, et CLAVDIANAE aliquando in epistolis suis mentionem fecit. Imo extat in eiusdem epistolis T. I. f. 554. seqq. edit. 1566. vna satis diffusa ad fratres suos *Augustanos et Argentoratenses* a. 1542. scripta, qua CLAVDII argumenta aduersus veram et aeternam Christi deitatem euertere contendit, ex qua simul edocemur, sparsisse eundem etiam *Augustae Vindel. et Argentorati* errorum suorum semina. Plura de eodem alio loco *historiae nostrae Antitrinitariorum* exposita sunt.

Ex scriptis CLAVDII nihil nobis in conspectum venit, imo ne allegatum quidem ab aliis, qui tamen eorum, quae asseruit, et inter hos qoque HALLERVS, copiose mentionem faciunt. Aduersus eum tamen calamum strinxit praeter SCHWENCKFELDIVM, HENRICVS BVLLINGERVS, sub tit. *Vtriusque in Christo naturae, tam diuinae, quam humanae contra varias haereses pro Confessione Christi catholica assertio orthodoxa.* Meminit scripti huius IOSIAS SIMLERVS in vita HENR. BVLLINGERI, p. 15. edit. *Tigur.* a. 1575. 4. his verbis: "BVLLINGERVS praeter Commentarios scripturarum, duas orationes euulgauit, *vnam* de testamento, seu foedere Dei vnico et aeterno, aduersus quosdam, qui omnia antiqui foederis testimonia reiiciebant: *alteram*, qua asserit contra varias haereses duas in Christo naturas, diuinam et humanam. Occasionem huic asser-

 tioni

tioni praebuit CLAVDIVS quidam ALLOBROX, SERVETI emiſſarius, qui commiſcebat in Chriſto diuinitatem cum humanitate, aut potius vtriusque veritatem negabat: quorum hic nonnunquam *Tigurum* et ad alia *Heluetiae* loca commeabat, et periculum erat, ne aliquibus venenum ſuum afflaret: ſcripto hoc malo illi obuiam ire voluit."

## NICOLAVS COCHANOVIVS.

Eques Polonus, Vice-Praefectus Radomienſis, cuius nomen in *Actis MSSCC. Synod.* celebratum eſſe non recordor, a SANDIO tamen l. c. p. 83. notatum.

SCRIPTA:

*Rotulus, S. Admonitiones ad filios ſuos rhythmis Polonicis*, quae notante SANDIO primum a. 1584. poſtea vero a. 1639. Cracouiae, cum operibus IOANNIS COCHANOVII, Poetarum Polonicorum principis, ſui ex fratre nepotis, editae, 4.

## CODICIVS.

A nemine vmquam, quantum ſcire licuit, commemoratus. Fuiſſe eum Medicinae doctorem in *actis* conſeſſus Dazuienſis *MSSCC.* a. 1646. ſignificatur, in quo CHRISTIANO LVBIENIECIO commendatus eſt, vt eidem locum hoſpitii apud fratres procuraret.

## PETRVS CONYZA.

SANDIO l. c. p. 40. PETRVS GONESIVS a *Goniadz* aliis *Goniedz*, quibusdam GOMESIVS audit. Vel patria *Polonus* fuit, quod Apologia F. C. tradit, vel *Lithuanus* ſecundum ZELTNERVM l. c. p. 352. et 367. a pluribus e *Podlachia* ortus traditur. Inter peſſimos familiae huius primipilos referendus, de quo SIMLERVS l. c. inquit: *Quod*

FRAN-

FRANCISCVS DAVIDIS in Tranſyluania, idem GONESIVS eſt in Polonia, SERVETVS nempe illuſtratus. In Heluetia literis operam nauans in SERVETI libros incidiſſe, hisque primum corruptus videtur. MELANTHON conqueritur, quod grandem librum *de communicatione nec dialectica nec phyſica* Wittebergam ſecum attulerit, atque easdem, quas Io. CAMPANVS ante probauerat hypotheſes, Chriſti diuinitatem impugnantes, iſtic ſparſerit, idem addit: quamvis mature abſcedere iuſſus ſit, ſemen tamen aliquod reliquiſſe. Diſputare volenti Wittebergae GONESIO de dogmatibus ſuis Antitrinit. moderatiſſimus alioquin MELANTHON impedimenta poſuit, illius tamen cum aliis conſuetudo, non nullis hoc loco nocuit. Vid. *Collect. epp.* PHIL. MELANTH. ad CAMERARIVM fol. 701. Mentio eius, ratione habita ad ſcriptum Num. I. allegandum, fit in Apol. Form. Conc. C. IX. fol. 261. edit. Magdeburg. 1593. 4. Wengrouiae miniſter fuit, quo loco etiam quaedam ipſius ſcripta impreſſa ſunt. Quod non in omnibus cum reliquis in Polonia Vnitariis conſenſerit, in *hiſt. Socin. Polon.* ſatis expoſitum eſt. Calumniis accenſendum, quod LVBIENIECIVS p. 215. perhibet, quod Wittebergenſes et alii, quibuscum ore et per litteras GONESIVS contulit, hunc, in veri cultores, per quos craſſiores Antitrinitarios, praeexiſtentiam Chriſti, ante natiuitatem e Maria negantes, intelligit, armauerint. Quod ante F. SOCINVM in Polonia cum MART. CZECHOVICIO Paedobaptismum oppugnauerit, ex hiſt. Soc. Polon. conſtat. Initia vero publice damnati ab Vnitariis Paedobaptismi a BERNH. OCHINI in Poloniam aduentu 1563. deducit Ios. SIMLERVS, in praef. libri de *aeterno Dei Filio*, p. 3. Vid. HOORNBECKIVS l. c. T. I. p. 28. SALIGIVS l. c. T. II. p. 623. WEISMANNVS in *Memorab. hiſt. eccl.* T. II. p. 536. De ſcriptis GONESII ſatis accuratam exhi-

exhibuit expositionem HOFMANNVS de *typograph. in Polon. et Lithuan.* p. 91. seqq.

SCRIPTA:

1. *De communicatione (Idiomatum) nec dialectica, nec physica, ideoque prorsus nulla.* Magnae molis fuisse opus, viuente adhuc MELANTHONE ab auctore *Wittebergam* adlatum, ex iis, quae iam diximus, constat.
2. *Libri contra Paedobaptismum;* qui in Synodo Brzest. Lithuaniae 1558. 15. Decembc. publice lecti et examinati sunt. Vid. LVBIENIECIVS, L. II. C. VIII. p. 144. seqq.
3. *Scriptum ad* LAVR. CRISCOVIVM *contra Paedobaptismum*, a. 1562. postridie Io. BAPT. exaratum.
4. *Scriptum latinum aduersus diuinitatem Filii Dei et Sp. S.* Meminit eius Io. LAETI *in compend. hist. vniuers.* p. 542. edit. *Lugd. Bat.* 1643. 8.

Aduersus vnum scriptorum Num. 2. 3. 4. allegatorum sine dubio directa est SIM. ZACII, *Prossouian. confessio fidei Eccles. Vilnens. contra exsurgentes Anabaptistas. Bresc. Litthuan.* 1559. Falso prodidit LVBIENIECIVS l. c. L. III. C. III. p. 177. prodiisse hunc librum Vilnae. Vid. HOFMANNVS l. c. p. 29.

5. *Doctrina pura et clara de praecipuis Christianae religionis capitibus: contra Sabellianorum, Ebionitarum, Nestorianorum et aliorum haereticorum impia et perplexa sophismata, ex puro et expresso Dei verbo collecta, idque secundum Veterum eius illustrationem.* Circa annum 1562.

Huic opposuit HIERON. ZANCHIVS *responsionem aduersus blasphemum* PETRI GONEDZII *libellum etc.* T. VIII. Opp. f. 533-552. ex qua, quid in articulo de Trinitate senserit GONESIVS, disci potest. Vocat eum ZANCHIVS Tritheitam et Eutychianum, qui in libro suo statu-

ſtatuerit: Patrem, F. et Sp. S. tres eſſe Deos, ita tamen, vt ſolus Pater ſit ille verus Deus, quem vnicum praedicant S. litterae, a quo excluditur tum Filius, tum Sp. S. Duas vero naturas ita cum EVTYCHETE in Chriſto confundit, vt perſuadeat τον λογον ita factum eſſe carnem, vt vere per ſe paſſus ſit tota ſua eſſentia, non autem duntaxat carne. In Deo enim disiungit perſonas, in Chriſto autem confundit naturas. Quatuor GONESIVS in opere hoc tractauit capita, enarrante eadem ZANCHIO. *Primum* caput, quod hic Dei hoſtis agitat, eſt, quod Eccleſia hactenus docuerit, et doceat vnam eſſe Patris, F. et Sp. S. ουσιαν, eoque omnes ſimul tres vnum tantum eſſe Deum, quia ομοουσιοι ſunt. Fieri enim non poſſe docet iſte Sophiſta, ſi vna eſt omnium ουσια, quin, qui Pater eſt, idem etiam ſit Filius et Spiritus S. ac proinde SABELLII errorem reuocari. Vt ergo vitetur is SABELLIANVS error, cum et Pater Deus ſit, et Filius itidem Deus eſſe praedicetur, idemque de Sp. S. dicatur; plures vt conſtituantur Dii neceſſarium eſſe contendit. Atque hoc in priore libri primi parte, quae eſt de Deo, Filio eius et Sp. S.

*Alterum* caput, quod probare nititur, eſt: ſolum Patrem eſſe vnum illum verum Deum, quem vnicum eſſe praedicant ſcripturae. Proinde pluralitatem Deorum minime cum S. litteris pugnare, ſi quae de vno ſunt Deo, hae de ſolo Patre intelligantur, quemadmodum contendit eſſe intelligendas. Atque hoc caput habet in altera parte prioris libri, qui eſt de vno vero Deo, Patre Domini noſtri I. C.

*Tertium* caput eſt de duabus in Chriſto naturis. Contendit enim, Neſtorianos eos eſſe, qui ita de Chriſto, Deo et homine loquuntur, vt duas in eo res coniunctas

eſſe,

esse, doceant, Deum scilicet et hominem, eoque ATHANASIVM inprimis Nestorianum fuisse, cum dixit, sicut anima rationalis et caro vnus est homo, ita Deus et homo vnus est Christus. Hoc multa Sophistica exagitat in primo libro de vnigenito Dei filio.

*Postremo* capite laborat in refutando dogmate, de communicatione idiomatum. Hoc enim vociferatur inventum esse diabolicum libro secundo de vnigenito filio Dei. Vid. SALIGIVS l. c. T. II. p. 655. IO. DAN. HOFMANNVS l. c. haec praeterea GONESII scripta Wengrouiae impressa allegauit.

6. *De filio Dei, quod ante conditum mundum fuerit et quod omnia per ipsum facta sint, aduersus falsas deprauationes Ebionitarum.* 1570. 8. polon.
7. *De Baptismo Christianorum aduersus baptismum recentiorum;* eod. anno. 8. polon.
8. *De tribus,* i. e. *de Deo, Filio eius et de Sp. S. aduersus Trinitatem Sabellianorum;* eod. 8. polon.

## NICOLAVS COPECIVS.

Transsyluanus. Nihil, quantum recordamur, de eodem notatum inuenimus, praeter quod testantibus *act. MSSCC.* a. 1630. inter alumnos Racouienses susceptus, ipsique Stipendium 50 flor. concessum fuerit.

## IOANNES COQVIVS, VEL COQVVS.

SMALCIO in diar. ap. ZELTN. l. c. p. 1192. *Cucus,* vel *Gallus,* item *Gallus Rothomagiensis* venit, qui de eo narrat, quod a. 1612. Socinianos in Polonia accesserit, tertio vero Iunii discesserit. Addit de eodem: Homo levior, quam religiosior. Venerat huc veritatis (ex mente SMALCII) addiscendae caussa, et tamen in sua pertinacia

*Aria-*

*Ariana* haerens discessit. SOCINI deinde placita eum approbasse extra dubium positum est. Post annum 1630. commercium epistolicum instituit cum RVARO, cuius ad binas COQVI epistolas, responsoria, vel potius fragmentum epistolae amicissimae legitur in RVARI Epp. Cent. II. p. 421. et ex edit. ZELTN. p. 688. Vbi vero locorum vixerit, et quae praeterea fata eius fuerint, nullibi obseruatum legimus.

## MARCVS CORNELIVS.

Noribergensis, inter praecipuos sodales Crypto-Socinismi Altorffini fuit, qui praeclara indole et ingenio alacri praeditus, in Academia Altorffina in litteras incumbens a. 1610. in tenerrima aetate, vix annorum XVII. numerum supergressus, a MARTINO RVARO et IOACH. PEVSCHELIO ad Socini castra seductus, quod ZELTNERVS pluribus exponit l. c. p. 264. seqq. A coetu Racouiensi solemni ritu in fratrum numerum susceptus est, cuius rei testis est epistola a Io. CRELLIO, Collegarum nomine Racouia ad CORNELIVM MARCI scripta, quam ZELTNERVS l. c. p. 378. ex *MSC.* inseruit. Qua ratione officio internuntii inter Socinianos functus et primam in Philosophia lauream adeptus, patefacta vero haeresi in custodiam traditus et ad examen vocatus fuerit, reliquis vero Socinianis Altorffinis in custodiam datis sanabilior ad meliorem frugem redierit, et quae eius posthac fata et merita fuerint, ZELTNERVS l. c. p. 484. seqq. 541. seqq. 772. seqq. prolixe satis ex actis exposuit.

## PHILIPPVS COSMIVS, VEL COSMVS.

Sub hoc nomine latere voluit THEODORVS SIMONIS, Berchsteda Holsatus, medios inter Pontificios in Polonia versans, postquam ab eodem editi essent libelli aduersus Papatum et Pontificios, quorum tituli SANDIVM latuerunt,

quos-

quosque Num. 1. 2. et 3. allegabimus. Vid. LVBIENIECIVS l. c. p. 277. SANDIVS l. c. p. 143. et ZELTNERVS l. c. p 37. Fuit homo ſibi in religione minime conſtans, ſed modo huc, modo illuc fluctuans, graecis vero litteris apprime excultus, et inſignis Philoſophus, qui narrante Io. MOLLERO in *Cimbria literata*, T. I. p. 629. XVII. ſe annis varias Germaniae ſcholas et Academias, ſtudiorum gratia, obiiſſe ipſe teſtatur. In Euangelico-Lutherana religione natus atque educatus, a. 1615. Altorffinam Academiam inuiſit, ibidemque illo fortaſſis tempore Socinianismi veneno adflatus eſt. Hoc ſtudioſe incluſum pectore ſeruans, poſtea vero inter Reformatos aliquantisper numerari voluit, in Belgio per aliquod tempus degens. Poſt reditum ex academiis, Ludimagiſter aliquandiu Lüneburgenſis extitit, teſte MOLLERO l. c. Ob diſſolutam vitae impiae in Proteſtantium Eccleſiis licentiam, aliasque LEONH. LESSII, Ieſuitae, pro Romanae veritate, rationes, ad Pontificios transgreſſus, Apoſtaſiam ſuam Colloquio Halberſtadii publico a. 1629. defendere non dubitauit, de quo CASP. SAGITTARIVS in *hiſt. Halberſtad.* p. 108. allegante MOLLERO inquit: " A. 1629. d. 16. Ian. nequiſſimus Apoſtata, THEOD. SIMONIS, Ludimagiſter quondam Lüneburgenſis, M. PAVLVM MÜLLERVM, Cathedralis Eccleſiae Paſtorem, ad Colloquium religioſum prouocauit, cumque, pondere argumentorum victus, progredi amplius non poſſet, niſi Pontificia religio ſaluifica foret, diris ſe deuouit. Ea vix prolocutus, tam graui narium profluuio laborare coepit, vt, cum ſumma ignominia, proripere ſe neceſſum haberet." Poſthac homo in religione *Proteo* mutabilior coetui Pontificio valedixit, quod MÖLLERVS fuſius exponit, cauſſasque reditus ad Proteſtantes, incertitudinem ſcilicet doctrinae, et idololatriam cultus Eccleſiae Romanae publici,

blici, in *Retractatione*, Ministerio Hamburgensi a. 1630. inscripta, ipse enarrauit. Tandem in Poloniam commigrauit, ibidemque Socinianismum calculo suo probauit. Ex dedicatione GE. FHELAVII, V. D. M. Dantiscani, libro CHRIST. ANGELI *de statu et ritibus Ecclesiae graecae* a. 1655. praemissa, constat, eum aliquamdiu Gedani vixisse, praeceptoremque ipsius FHELAVII domesticum circiter a. 1638. extitisse. Anno 1640. eodem loco adhuc subsistebat, siquidem testantibus *Actis MSSCC.* isto tempore RVARO a Synodo committebatur, vt illum ad Rectoratum Scholae Kisselinae in Volyhnia, ex Racouiensis Gymnasii ruinis ad tempus instructae vocaret, cum stipendio annuo 400 flor. ex prouentibus scholasticis soluendo, ad quam stationem quoque post PETRVM STEGMANNVM semet admoueri passus est, et ne propter librum istum N. 1. allegandum periculum subiret, PHILIPPVS COSMIVS vocari maluit.

SCRIPTA:

1. *Retractatio, in qua caussae exponuntur, quare Pontificis Romani iudicio neglecto, puram legis et Euangelii doctrinam, in Augustana Confessione expositam, iterum sit amplexus.* Sine loci mentione 1630. 4. Idem liber sub nouo titulo *Dissertationis de principiis falsis et idololatria religionis Pontificiae, qua sui e Papatu discessus rationem reddit,* Lugd. Batau. 1631. 8. prodiit. Addit MÖLLERVS l. c. p. 630. Libellus eruditus, cuius versio, ni fallor, fuit germanica: *Vanitas Romanae Cathedrae,* oder der gründliche Beweiß, daß die bäbstliche Lehre auf falschem Grunde bestehe, und derwegen ein verwerflicher und irriger Wahn sey, cuius Vesaliensem editionem Catalogus nund. A. 1631. autumn. Lipsiensis p. 33. promisit.
2. *Epistola ad* CORNELIVM IANSENIVM, *contra violentam*

*se conuertendi methodum. Emmerici* d. 12. Febr. 1632. scripta. Inserta est GISBERTI VOETII Caussae Papatus desperatae p. 762. seq. et recusa sub initium libri sequentis, *de statu Papatus*, quo loco etiam apologetica eiusdem aduersus LIBERTVM FROMVNDVM extat.

3. *De statu et religione propria Papatus, aduersus* CORN. IANSENIVM, Episcopum Iprensem, *Autore* THEODORO SIMONIS HOLSATO. Lugd. Batau. apud FRANCISCVM HEGERVM. 1638. 8. Alph. 1. pl. 14. Huic, cum de Papismo in genere, tum de singulis illius erroribus, differenti, praemissae sunt: 1) Epistola ad CORN. IANSENIVM N. 2. allegata; p. 3. 2) Epistola dedicatoria ad ANDR. RIVETVM, GISB. VOETIVM, ANDR. COLVIVM et MART. LYDIVM, Theologos Reformatos, scripta *Heusden*, Cal. Iulii 1637. p. 10. 3) Epistola apologetica ad LIBERTVM FROMVNDVM, Regium Professorem et Doctorem Theologiae Louaniensem, in *Crisi caussae Papatus desperatae* GISB. VOETII se criminatum, p. 15-26.

Duabus liber absoluitur partibus, quarum *prior* capita IX. *posterior* XIII. habet. Sub finem accedunt p. 506. LIBERII *Papae* epistola ad Presbyteros et Coepiscopos Orientales; p. 597. eiusdem alia ad VRSACIVM, p. 510. eiusdem alia ad VINCENTIVM, p. 526. IACOBI LAVRENTII, Pastoris Amstelod. epistola ad auctorem, qua CAES. BARONII *Liberium* excusantis rationes et exceptiones contra LIBERII Papae Arianismum refutantur. Tandem accedit *Appendix de vita* S. FRANCISCI, p. 537. et *Epilogus* ad Papistas, p. 555. Totius operis finem facit capitum et contentorum Tabula, quam hoc loco in compendio subiicimus. Pars I. *C. I.* Praetextus, ortus, progressus et occasio ruinae Papatus stri-

ſtrictim deſcribitur, p. 27. *C. II.* Papatus veteri Eccleſiae vel ignotus, vel ab eadem reiectus fuit, p. 46. *C. III.* Continua Epiſcoporum legitimorum ſucceſſione caret, p. 77. *C. IV.* Iudicio erroneo et humano religionem ſuam ſuperſtruit, fruſtraque ſub Eccleſiae nomine deliteſcit, p. 104. *C. V.* Corruptiſſimus paulatimque vires eundo acquirens Eccleſiam obſcurauit, non extinxit. p. 142. *C. VI.* Eſt officina turpiſſima SIMONIS MAGI Taxa Cancellariae et poenitentiariae apoſtolicae, p. 167. *C. VII.* Papatus idololatricus eſt, p. 173. *C. VIII.* Et Antichriſtianus, p. 226. *C. IX.* Eſt incurabilis, p. 248.

Pars II. *C. I.* Bulla profeſſionis fidei. Circulus papiſticus. Haereſeos purgatio, p. 279. *C. II.* Apoſtolicae et Eccleſiaſticae traditiones, reliquaeque R. E. obſeruationes et conſtitutiones, p. 334. *C. III.* Sola S. ſcriptura eſt fundamentum fidei, interpretanda ex ſeipſa, non ex ſenſu Romanae Eccleſiae, quae nec ſcripturam, nec interpretationem ſinceram habet, p. 359. *C. IV.* Septem vere ac proprie dicta Sacramenta nouae legis a Chriſto non ſunt inſtituta, p. 398. *C. V.* De iuſtificatione et libero arbitrio, p. 424. *C. VI.* Sacrificium Miſſae. Praeſentia Chriſti ſub accidentibus panis et vini, p. 439. *C. VII.* Sacramenti ſub altera tantum ſpecie, panis ſumtio. Miſſae priuatae, p. 452. *C. VIII.* Purgatorium. Preces pro defunctis, p. 459. *C. IX.* Sanctorum et Angelorum inuocatio, p. 462. *C. X.* De imaginibus, p. 463. *C. XI.* Indulgentiae et earum efficacia, p. 465. *C. XII.* Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Mater et Magiſtra non eſt, p. 474. *C. XIII.* Concilia Oecumenica et ſpeciatim Tridentinum. ANDR. RIVETVS in iudicio praefixo tractatum his verbis commendauit: „Placet mihi partitio et methodus. Video

etiam, te iugulum cauſſae petere. Nec dubito, quin eius lectione moueantur, qui in hoc luto adhuc haerent, et confirmentur, qui Chriſto nomen dederunt. "

4. *Ianuae Comenianae graeca verſio*, quam teſte LVBIENIECIO Kiſielini adornauit. Prodiit Amſtel. 1642. et 1649. 12. Et emendata a CVRCELLAEO, Amſtel. 1644. 1649. et 1665. 8. Plures editiones notauit MÖLLERVS.

5. Synodus Siedliſcenſis a. 1641. ipſi 50 Thaleros Ioachim. ſtatuit, ſi librum Io. CRELLII *de vno Deo Pàtre* in linguam graecam transferendum in ſe ſuſciperet, quem quoque laborem perfecit, vt ſtatim ſub Io. CRELLIO dicetur.

6. Qua ratione librum *de prouidentia*, ſtipendiis inuitatus concinnandum ſtatuerit, *Acta MSSCC.* conuentus Czarcouienſis a. 1642. exponunt.

7. Falſo eidem tribuerunt nonnulli libellum Atheum, ab anonymo editum, ſub titulo: RELIGIO SIMONIS, Cracouiae 1588. quo anno noſter forte nondum natus fuit. Vid. MÖLLERVS.

## GEORGIVS CRATZERVS.

Allegat WOLFGANGVS FRANZIVS in *Diſpp. in Aug. Conf.* Diſp. IV. §. 71. GE. CRATZERI Catechismum Germanicum Photinianum, quem a. 1582. Claudiopoli in Tranſyluania in lucem prodiiſſe commemorat. Sed neque auctoris, neque ſcripti huius Catechetici vlla in *actis MSSCC.* fit mentio.

## IOANNES CRELLIVS.

Vitam eius adornauit *I. P. M. D.* qui eſt IOACHIMVS PASTORIVS ab HIRTENSBERG, (in *Actis MSC.* ſaepius appellatur HIRTEN, vel HIRTENIVS,) *Medicinae Doctor*

*Doctor et Historiographus R. Polon.* Praemissa illa est *scriptis* illius *exegeticis, Eleutherop.* 1656. fol. nec non *Ethicae Aristotelicae et Christianae,* Cosmop. 1681. 4. ex qua scriptores recentiores Io. FABRICIVS *hist. Biblioth.* T. II. p. 74. Io. GE. HEINSIVS *hist. Eccl.* T. II. ARNOLDVS, RAMBACHIVS, LE LONG, STOLLIVS, LAVTERBACHIVS l. c. p. 351-365. WALCHIVS, aliique complures, quae de IOANNE CRELLIO, qui semet ipsum aliquando CIRCELLVM, nec non IVNIVM BRVTVM POLONVM adpellauit, viro facundia et eruditione celeberrimo, sed quoque propter opiniones pessimae notae famosissimo proferunt, mutuati sunt. Habuit THOMAS CRENIVS CRELLII vitam, quam ipsius manu exaratam esse iudicauit, et ex qua in *animadu. philolog.* p. 244. seqq. quaedam exposuit; sed CRELLII manu eam esse scriptam ZELTNERVS l. c. p. 62. not. b. negat, quippe quam rectius calluit, eamque cum hoc CRENII MSCto collatam, toto ab eo coelo distare deprehendit, qui quoque a vita CRELLII *Pastoriana,* operibus illius praeposita, nec *MSCtum Crenianum,* nec belgicam editionem de anno 1663. differre iudicat.

Comparet antiquitus *Crelliadarum* familia sub nomine CRELL aut KRELL, quod deinceps terminatione latina CRELLII prolatum, quem ad modum ex *Groot,* GROTIVS, ex *Saumaise,* SALMASIVS, *Thou,* THVANVS. Distincta est CRELLIORVM Socinianorum progenies: 1) ab ea, quae ex Misnia orta, a WOLFGANGO CRELLIO, Siegenensium Pastore, ad alios in Academia Francof. ad Viadr. viros eiusdem nominis celeberrimos propagata est. Huic stemmati forte accensendus IACOBVS CRELLIVS, Misnensis, quem a. 1546. a primo Acad. Regiom. Rectore GE. SABINO in numerum ciuium Academ. susceptum esse, in albo acad. animaduertimus; 2) A PAVLI CRELLII, Wittebergensis Theo-

logi atque FORTVNATI CRELLII, Philosophi Heidelbergensis progenie et cognatione. Vid. I. C. Becmanni *Notitia Vniuers. Francof. ad Viadr.* p. 167. Diuersam esse familiam CRELLIORVM Socinianismum profitentium, a caeteris, PAVLVS aliquando CRELLIVS, SAMVELIS frater in epistola ad me data, insignium diuersitate comprobauit; in IOANNIS enim CRELLII insignibus tres comparere rosas; in WOLFGANGI vero tres pedes aquilinos, me docuit, quod vero BECMANNVS l. c. iam obseruauit.

Patriam agnouit IOANNES CRELLIVS *Franconiam*, et in ea *agrum Helmetshemium*, *Kittingae* oppido non ignobili vicinum, Baronum Limburgicorum ditioni subiectum. Pater ipsius IOANNES CRELLIVS, Bidershemio e Comitatu Hanouiensi oriundus, amplius viginti annis Ecclesiastico munere primum *Helmetshemii*, deinde *Winterbusae ad Moenum* functus est, teste PASTORIO, cui quoque narrationem accuratam Scholasticorum tyrociniorum CRELLII, Noribergae, Stolbergae et Mariaebergae positorum acceptam ferimus. Matrem habuit ANNAM GRINEVALDIAM, Noribergensem, feminam honesto loco natam et sequioris sexus ornamentis conspicuam. Lucem primum vidit a. 1590. d. 26. Iul. st. vet. Praeclarae ipsi concessae erant dotes, insigni quippe polluit ingenio et tenacissima memoria. Domi per decennium primis litterarum rudimentis imbutus, a. 1600. d. 15. Iunii *Norimbergam*, parentum cura deductus est, ibique per triennium in aedibus agnati sui IOANNIS KLINGII, qui reipubl. Norimbergensis a secretis fuit, in litteras incubuit. Inde *Stolbergam* migrauit, quo loco biennium, et quod excurrit, studiis operam nauauit. Hinc *Mariaebergam* Misniae ciuitatem concessit, sed paulo post reuocatus, curante KLINGIO *Norimbergam* a. 1606. repetiit. Sic multa eruditionis supellectile instructus eodem

anno *Altorffium* ſalutauit, inque numerum alumnorum ſuſceptus eſt. Primum hic tempus linguis tribuit, praecipue graecae, hebraicae ac latinae, deinde ad Philoſophiae ſtudia conuerſus. Aderant iam tum in hac Muſarum ſede quidam Socinismi veneno infecti, inter quos GE. RICHTERVS CRELLIO exſtitit commilito ac contubernalis. Hujus nec non SONERI ac GITTICHII admonitionibus de probata veritate dubitare, eoque facilius Socinianorum fauere coepit placitis, quo certius eſt, eundem doctrinam a patre acceptam friuole contemſiſſe, ac ad Reformatos tranſiiſſe, quorum tamen praedeſtinationis dogma nunquam ſuſcepit. Racouienſi coetui palam coniunctus, SONERVM Praeceptorem ſuum non tantum agnouit, ſed quoque, vbicunque potuit, praedicauit, praeterea autem GITTICHII conſuetudine intima multum in conceptis erroribus profecit. Vid. CRELLII epiſtola ad GITTICHIVM, adtextam T. IV. Opp. exeget. f. 541. Ita autem vitae CRELLII auctor apud CRENIVM in *animadu. Philol.* P. V. p. 244. ſcribit: " *Collegerat ſibi* CRELLIVS *non vulgares iam ſcientiarum atque eruditionis opes, cum ſingulari Dei cura monetur, ignorare adhuc aliquid, atque illud tanti momenti, vt eius ignorantiam agnouiſſe, nulli non praeſtaret ſcientiae. Iſtud erat purior Dei ac Chriſti cultus: circa quem, ſi quos habuerat, retinuiſſet errores, error pene erat omnis reliqua illius ſcientia. Sed probior nempe erat illius indoles, quam vt vel Deus poſſet non offerre veritatis ſuae ſecretum, vel ipſe oblatam non recipere. Inuenit* CRELLIVS *inter ipſos Academicos, qui veritatis ei faculam adlucerent.* (ERN. SONERVM *Doct. Med. et Philoſ. Prof. publ.*) *Quam ille tanto facilius etiam amplexus eſt, quod pridem eam, quam a patre acceperat doctrinam adſpernatus, aliam imbiberat, quae, Praedeſtinationis ſi excipias dogma, cuius cruditatem noſter*

*nunquam concoquere potuit, propius a vero aberat.*" Neophotinianismi errores in Academia Altorffina ita dissimulauit, vt longo tempore suspicionem euitauerit; hinc quoque in Baccalaureorum numerum receptus est, ipsique alumnorum inspectio oblata. Cum vero munus hoc magisterialem requireret dignitatem, in eaque suscipienda ipsi incumberet in Augustanam Confessionem iuramentum persoluere, ipse contraria huic sentiens, munus illud recusauit. Post haec audacior factus, placita sua clam tamen et circumspecte diuulgare, aliosque inprimis IOACH. PEVSCHELIVM et PAVLVM GROE data forte occasione, iisdem, quibus pectus suum a SONERO atque GITTICHIO infeliciter imbui passus erat, occultis modis corrumpere coepit. Id cum rumorem excitaret, CRELLIVSQVE parum securum se putaret, SONERVS quoque interea temporis morte decessisset, de loco meditabatur, quo sentiendi libertas nullum contraheret periculum, sicque a. 1612. Calendis Nouembribus, atque adeo vix mense vno post SONERI obitum interiecto, siue male sibi conscius, siue Racouiensium doctorum amore flagrans, sine comite, clam omnibus, variaque tempestate et pedestri quidem itinere in Poloniam concessit, vel potius aufugit, ibidemque a VAL. SMALCIO et IO. STOINIO susceptus, coetui Socinianorum nomen suum dedit. Recepit eum in aulam suam IAC. SIENIENIVS, Palatinides Podoliae, huiusque munificentia, quae tanta in sectae huius socios, quanta vix maior fuit, nullo adhuc muneri praefectus, sustentabatur. Synodus interim ipsi a. 1613. 20 fl. donauit. Eodem Anno 1613. mense Maio per decretum Synodi Racouiensis Professor graecae linguae in schola Racouiensi et corrector librorum lat. et german. constitutus, inque numerum alumnorum susceptus est. Graecam linguam quatuor singulis septimanis horis professus

fessus est. Vid. *Act. MSSCC.* Hoc loco praelectionibus SMALCII et colloquiis MOSCOROVII multum temporis consecrauit; inprimis vero concionibus lingua Germanica, Latina ac Polonica habendis multum operae tribuit. Tandem ipsi 1616. proficiscente cum iuuenibus Polonis ad exteros PAVLO CROKIERIO, Rectoris munus in schola Racouiana demandatum est, et quidem in initio ad tempus reditus CROKIERII in patriam. Matrimonio sibi tunc iunxit virginem ROSINAM, SIMONIS PISTORII, coetus Czarkouiani ministri filiam, quae ipsi tres filios, totidemque filias peperit. A. 1618. mense Maio in Synodo *Racouiae* habita Ministerio Ecclesiastico initiatus, Domino ORZECHOVIO, coetuique Piascensi, ad vnius tantum anni spatium minister concessus est, quam primum schola Racouiana eius opera et vigiliis sine detrimento carere possit. Sed vel plane non in hunc locum concessit, vel ad breue tempus; anno enim 1620. iterum Minister et scholae Racou. Rector, et a. 1621. Ex-Rector in actis adpellatur, quodque SMALCIO datus sit Collega ibidem notatur. Anno 1622. ad petitum D. SACKEN, coetui Mesericensi commodandus fuisset per vnum annum CRELLIVS, ipsique coetus Smiglensis cura per hoc tempus commendanda; sed hoc Synodi decretum complemento et successu caruit.

Post aliquot a fuga sua annos ad matrem suam, insciam hactenus vbi locorum esset, et quid rerum ageret, litteras dedit, hancque, apostasia filii multo moerore confectam, ad Socinianorum castra pertrahere tentauit. Subdole confectae sunt istae litterae, in quibus nefarias opiniones maximam partem silentio inuoluit, vel ambiguis verbis sensuque recondito et a ueritate euangelica alieno profert; hinc illae ex reliquis ipsius scriptis, in quibus mentem suam clarius explanauit, explicandae sunt. Quia in-

terum multum lucis adferunt historiae, et CRELLII mentem declarant, easdem ex ZELTNERO l. c. p. 192. hoc loco inserimus: " Was mich anlanget, bin ich noch, Gott Lob! ziemlich gesund; Wiewohl ich der stärksten keiner bin: auch durch tägliche Arbeit und Studiren hab ich am Leib mehr abgenommen, als mein Alter mit sich bringt. Ich bin nun fünftehalb Jahr allhier zu Rackow in Kleinpolen, 15 Meilen hinter der königlichen Hauptstadt Crakow, der Schul oder Gymnasii, wie wirs heissen, Rector. Meine Besoldung ist des Jahrs ordentlich 200 fl. Ausserdem bringt es sonst noch etwas ein. Wiewohl jetzund, weil diese Jahre her Unruh im Land gewesen, solches zufälliges Einkommen sehr geschmälert worden. Zu arbeiten ist genug. Denn (welches die verstehen werden, welche studirt,) ich muß meinen Discipuln proponirn, Logica, Ethica, Physica, Graeca, Orationes Ciceronis, cum analysibus Logicis, auch die Woche zweymal disputiren, einmal in Philosophicis, das andermal in Philologicis, auch ihnen wöchentlich Materias Orationum proponiren, und solche Exercitationes, so viel die Zeit trägt, corrigiren. Es kommt zu Zeiten auch andere Arbeit unter die Hand, also, daß ich wenig Ruhe habe. Aber solches thue ich alles gerne, weil ich sehe, daß solche Arbeit zu Gottes Ehren und der Menschen Nutzen gereicht. Man muß sich zu Zeiten selbst nicht ansehen: sondern vielmehr andern dienen, und ihren Nutzen betrachten; wissend, daß Gott solches reichlich belohnen kan. Jetzt ists auch fünftehalb Jahr, daß ich mich verheirathet habe, mit *Rosina*, Herrn *Simonis Pistorii* (welcher vor diesem in der Stadt Tarnowitz, im Fürstenthum Jägerndorf, dem Fürsten von Brandenburg zugehörig, nun aber hier in Polen nicht weit von Crakow Pfarrherr ist,) Tochter. Vor einem Jahr, den 10. Februarii, hat mir unser Herr Gott erst einen Erben beschert, welchen ich *Theophilum*

*lium* genannt; welcher zugleich mit meiner Hausfrau, noch frisch und gesund ist. Ich zweifle nicht, daß man euch herzliebe Mutter, wird bisher geschrecket haben, wegen meiner Religion und Glaubensbekenntniß. Aber ich bitte, ihr wollet euch nicht bekümmern, und kein schwer Herz machen. Denn ich halte mich durch die Gnade Gottes fest an unsern Herrn Jesum Christum, und an sein heiliges seligmachendes Wort, welches klar zeiget: So du mit deinem Mund bekennest Jesum, daß er der Herr sey, und glaubest in deinem Herzen, daß ihn Gott von den Todten auferwecket hat, so wirst du selig, wie *Paulus* schreibt *Rom. X. Cap.* Und an denselben Ort: Wer den Namen des Herrn wird anrufen, soll selig werden. Und wiederum 1 *Cor. XII. Cap.* daß niemand kan Jesum einen Herrn heissen, ohne durch den heiligen Geist. Als auch *Iohannes* in der ersten Epistel am 5. *Cap.* Wer da glaubt, daß Jesus sey der Christ, (das ist der Gesalbte, oder unser himmlischer König,) der ist von Gott geboren. Solches alles glaube ich in dem Herzen und bekenne mit dem Mund. Ich glaube mit *Thoma*; daß Christus mein Herr und mein Gott sey. Ich glaub dem, was der Apostel *Petrus* sagt in der Apostel Geschichte 2. *Cap.* daß Jesum Gott auferwecket; daß Gott den Jesum, welchen die Juden gekreuzigt haben, zu einen Herrn und Christ gemacht habe. Ich rufe auch den Namen des Herrn an. Und weil niemand ihn anrufen kan, er glaube denn an ihm, *Rom. X.* So folgt unwidersprechlich, daß ich an ihn glaube, und also, wie an gedachten Ort geschrieben, und an unzählichen andern Orten, nicht werde zu schanden, sondern selig werden, sofern ich in diesen meinem Glauben werde festiglich beharren. Welches ich denn durch die Gnade Christi thun will, bis an mein Ende. Weil mir denn die heilige Schrift, welche wahrhaftig, und niemand betrügen kan, solche tröstliche Hofnung gibt,

meiner Seelen Seligkeit, so sollet ihr an derselben nicht zweifeln: und euch in dem Fall nicht betrügen oder bekümmern: sondern euch dessen ganz vergewissern, daß ich von dem Glauben an den Herrn Jesum Christum, durch welchen wir sollen, nach der Verheissung Gottes selig werden, nicht gewichen, auch bis an den Tod durch seines Geistes Kraft nicht weichen will, und daß ich mich schlecht halte an das Apostolische Symbolum oder Glaubensbekenntniß, welches man mich von Jugend auf gelehrt. Glaube schlecht: daß der Herr der allmächtige Gott und Schöpfer Himmels und der Erden; welches ist der Vater unsers Herrn und Heilandes Jesu Christi. Und daß derjenige sey der eingeborne Sohn Gottes, und mein Herr, welcher durch den H. Geist empfangen, aus der Jungfrauen Maria geboren, gelitten, gestorben, begraben, zur Hölle gefahren, von Todten auferwecket, gen Himmel gefahren, zur Rechten Gottes sitzt, und von dannen kommen wird, zu richten die Lebendigen und die Todten. Also auch von dem H. Geist habe ich ein solches Bekenntniß, welches mit der heiligen Schrift übereinstimmet. Unterdessen forsche ich der göttlichen Wahrheit, welche in der H. Schrift offenbaret ist, in der Furcht Gottes fleißig nach: Bitte Gott um seinen H. Geist und Verstand seiner Geheimniß: prüfe nach des Apostels *Pauli* Vermahnung 1 *Theff. V.* alles, und das Gute behalte ich: Befleißige mich durch die Gnade und Hülfe Gottes, daß ich mög ein gutes Gewissen behalten, bis auf den Tag Christi, welcher einem jeden geben wird nach seinen Werken: wie die Schrift an unterschiedlichen Orten bezeuget ꝛc." Quemadmodum hac ratione, pietatem studiumque integritatis prae se ferente, ad partes suas trahere tentauit matrem suam, sic quoque fratri Germano suasor exstitit ad suscipienda Socinianismi placita. Cum enim mercatus caussa Gedanum ingressurum noscerect, ad Mart.

Rva-

RVARVM litteras dedit, quas CRENIVS l. c. T. V. p. 261. publicae luci expoſuit, in quibus haec CRELLII verba maxime notantur: "Fratrem meum, Germanum ſi ad nundinas Dantiſci futurus eſt, Tibi quaeſo, commendatum habe, et ſi quid illi poteris de religione inſtillare, vel ſaltem ad veritatem penitius cognoſcendam eum animare, id, vt facias, oro: quanquam te orare nil eſt opus, qui hanc operam omnibus ſponte tua praeſtas ac lubens, eamque ipſam ob cauſſam iſtic locorum es futurus." Poſt quinquennium muneris ſcholaſtici ad miniſterii munus Racouienſe a. 1623. vocatus eſt, eo tempore, cum redierat ab exteris MART. RVARVS, qui idem munus ad tempus in ſe ſuſcepit, cui iam ante CRELLIVM deſtinatus erat. Vix hoc aggreſſus erat miniſterium, cum exorta Racouiae peſte cum quibusdam vitae ſuae conſulere, atque vrbe excedere ſtatueret. Cumque hoc modo negotiis publicis vacaret, STOINII impulſu, qui apud eum plurimum valuit, *ethicam chriſtianam* concinnauit, et ad difficiliorum locorum S. ſcripturae explicationem ſemet adplicuit. Poſt haec CRELLIVS *Smiglam* (fortaſſis ſecunda vice) vocatus; ſed cum eſſent, qui hoc ipſi diſſuaderent, alii autem, qui ipſum ad hoc munus ſubeundum hortarentur, ſors in conſilium adhibita eius manſionem Racouiae determinauit. Nihilo tamen minus *Smiglam* profectus eſt coetus viſitandi cauſa. In eius abſentia, Racouiam adorti ſunt milites, ſub SIGISMVNDO III. hinc inde per Poloniam graſſati, cumque latrocinantes manus omni ciuium ſupellectili iniecerint, domus maxime CRELLII abſentis, illis praedae ceſſit, ita, vt redux ex itinere domum deuaſtatam, imo et librariam ſupellectilem direptam inueniret. Praefuit interim miniſterio per decem annos, et teſte vitae ipſius ſcriptore adeo fuit aſſiduus in laboribus, vt nec licita

cita quidem curarum laxamenta sibi permitteret, et ab amicis subinde refrenari opus haberet. Vix dies abibat, quo non aliquam partem concionibus eccles. tribueret. De continuo labore suo, praecipue in conscribendis libris, ita ad MART. RVARVM a. 1624. d. XIX. Iulii Racouia, apud CRENIVM l. c. P. V. p. 257. scribit: " Vt aliquid de rebus nostris scribam, ante Synaxin Czarcouianam *Ethicam Christianam* cum Deo bono absolui, eamque ob caussam non nunquam quatuor per diem horas, quanquam non continuas, ei rei impendi. Nunc absoluta ad *Ephesios* epistola, in ea, quae est ad *Colossenses*, versor reuocatis disputationibus diu intermissis. Impendo autem Dominis Studiosis S. Theologiae, duas per singulos dies horas." Quam in transferendis N. T. libris in linguam germanicam, et corrigendo atque emendando Catechismo Racou. praestitit operam, alio loco exposituri sumus. Tanta igitur cura CRELLIVS sectae suae rebus prospiciens, maximo luctu perculit illam praematura morte e vita ereptus. Obiit enim 1633. anno 43. aetatis. Cum circa tempus pentecostalium dierum post habitam concionem, de valetudine queri coepetit, paulo post febre petechiali lecto affixus, ipse vltimam horam praesentiens, post aliquot hebdomadas exstinctus est.

Mirantur in eo coetus huius sodales eruditionem, flumen dicendi, promtitudinem animi, modestiam, comitatem, mansuetudinem, patientiam, prudentiam, et animum in aduersis imperterritum. De morte eius RVARVS in epistola ad GROTIVM 1633. data Cent. I. epp. N. XXXIII. ex edit. ZELTN. p. 136. sic scribit: "Quas tu litteras meis iunctas ad Generosum SLVPECIVM atque DOMARADZIVM destinasti, eas iam curaui. Sed ad CRELLIVM, quo tuas mittam, non inuenio; is enim rebus humanis iam valedixit:

xit: quia tamen existimo argumentum earum nihil habere secreti, permittis, ceu opinor, mihi, vt eas resignem, mihique habeam. Aegrotare coeperat vir optimus, me praesente, qui illuc veneram 4. iduum Maii, cum paulo ante eruditissime pro concione de sensu duorum extremorum versiculorum capitis 3tii, posterioris ad *Corinthios* disseruisset. Ex febri maligna, quae passim, tum per oppidum grassata, domum quoque illius infecerat: Ex illa dum 21: dies mente integra (quod in illo morbo rarum) laborasset, tandem 4to non. Iulii paulo ante octauam horam, aetatis circiter quadragesimum tertium annum placide exspirauit, praesente fere tota loci illius ecclesia, quae paulo ante ad illum valedictura conuenerat, illiusque spiritum Domino Iesu voce Ecclesiastae SCHLICHTINGII, multis cum lachrymis commendauerat." Paulo ante obitum Anno 1633. Synodi decreto statutum est, vt CRELLIO oculorum acie priuato fratres succurrerent in describendis operibus eius, statutisque singulis diebus horis, ex ipsius ore dictata calamo exciperent; in quem quoque finem KRZYSKIEVICIVS amanuensis ipsi a Synodo concessus est. Quos in se susceperat, ast nondum perfecerat labores, RVARO ad perficiendum commendati sunt, quem ad hoc negotium Seniores Racouienses inter omnes maxime idoneum reputarunt. Vid. adpendix ad *acta MSSCC. Synodi* a. 1633. Vita excedens post se reliquit CRELLIVS ex matrimonio filios, THEOPHILVM, CHRISTOPHORVM et IOANNEM. Primo genitus loco THEOPHILVS, Geometra (Ingenieur) ad aulam Principum RADZIVILIORVM, vxore sterili relicta e vita discessit. De CHRISTOPHORO et IOANNE paulo post speciatim. Vix dici potest, quantis virum hunc encomiis celebrauerint Sociniani. Sub eius effigie operibus CRELLIANIS praemissa haec leguntur disticha:

" CREL-

"CRELLIVS hos oculos, haec ora modesta gerebat:
Sic animo mitis cum pietate fuit.
Hunc cito mors rapuit nimis; at per viua manebit
Scripta, quibus viuos post sua fata docet.
Haec lege, qui mores, qui sacra volumina nosse,
Qui cupis accenso coelitus igne frui."

Io. STOINIVS, in epistola praeliminari, CRELLII *Comment. in Matth. et Ep. Pauli ad Rom.* praefixa, summas ipsi tribuit laudes, eumque de singulari in explicandis difficillimis S. scripturae locis, scientia et promptitudine celebrat, cui encomio de ipsius modestia haec addit: "Quod sane, nisi reuererer manes amicorum meorum principis, sigillatim ostendere facile possem. Sed parcendum est etiam post obitum hominis, quem ego non modestissimum, sed ipsam modestiam merito dixerim, verecundiae. Nam cum in viuis esset, nihil maiori cum rubore tulit, quam si, quod erat in illo, agnosceretur, ac longe facilius conuitia et maledicta, quae nunquam meruit, quam laudes, quas merebatur, audire sustinuit. Videor itaque iniurius quodammodo in mortuum futurus, si illud, a quo viuus vel maxime abhorruit, et quod vehementer deprecatus fuisset ne fieret, post obitum ipsius nimis expresse, aut etiam fuse expugnare velim. Modestiae tamen ipsius vel ideo expressa mentio facienda videbatur, quia admodum insigniter ac conspicue hac virtute eminuit, et quia, si vlla, profecto haec spiritui illi, qui penetralia S. paginae introspicit, grata est, eumque fouet. Tanto autem haec in illo conspectior, quanto CRELLIVS maior. Nam quod minores parum sibi tribuant, raro quidem est, non tamen adeo mirum; sed quod tam sublimis Theologus et Philosophus, vt scripta ipsius abunde testantur, tam demisse de se senserit, id vero miraculi instar, iure censeri potest. Quanquam

quam vero huic vni veluti fundamento, reliquas eum virtutes superstruxisse et tanquam sororio vinculo copulatas coniunxisse, non tantum vero simillimum, sed et verissimum est; tamen germanam ipsius sororem, mansuetudinem ac lenitatem vel inprimis in omni vita sectatum esse, eadem, quae scripsit comprobant."

Idem de CRELLIO exponit, quod omnia fere scripta sua, sola meditatione praeuia et absque omni chartae subsidio studiosis in calamum dictauerit. Quibus addit: "Magnus ille fuit, meo quidem iudicio, cum coram dissereret ac praelegeret quidpiam ex sacro codice; sed, ni fallor, se ipso maior, cum dictaret; longe vero maximus, cum ipse scriberet ac recognosceret." Opera CRELLII sub titulo *Bibliothecae FF. PP.* supra generatim recensuimus.

De eiusdem scriptis exegeticis, maxime *commentario in ep. ad hebraeos* H. GROTIVS in ep. ad RVARVM scripta, in huius epp. ex edit. ZELTN. p. 156. iudicat, quod plena eruditionis, nec sine magna vtilitate sint, et quod Reformati etiam Pastores agnoscant et eruditionem et vtilitatem horum commentariorum. RICH. SIMON in Hist. crit. Comment. N. T. p. 846. obseruauit: CRELLIVM, adnotationes et scripta MALDONATI et SOCINI in concinnandis commentariis suis saepius in consilium vocasse, vtrumque tamen non absque iudicio sequutum esse. RVARVS, CRELLIVM praedicat ab ingenii solertia et iudicii maturitate epp. Cent. II. p. 187. De corrigendis et imprimendis libris CRELLIANIS saepius in Synodis institutae sunt deliberationes. Ita a. 1658. in consessu Dazuiensi IOANNI ARCISSEVIO *Seniori* committebatur reuisio *commentarii in epistolam ad Romanos*, eiusdemque *tractatus de Spiritu S.* et vt vtrumque librum, sumtu ad fidem publicam facto

 impri-

imprimendum curaret. Sed specialia quaedam de his scriptis palmarii inter Socinianos doctoris, praecipue de editionibus vetustioribus et versionibus ad rem litterariam facientia nobis incumbunt notanda.

SCRIPTA:

1. IOANNIS CRELLII *declaratio sententiae de causis mortis Christi.* Racouiae 1618. 8. Liber hic post obitum CRELLII, a STOINIO et SCHLICHTINGIO testantibus *Act. MSC.* reuisus, denuo prodiit a. 1635. 8. et 1637. 8. cum praefatione Io. STOINSCII. In linguam Belgicam quoque translatus; imo mentionem faciunt gallicae versionis *Sorberiana* p. 54. Insertus est Tomo I. Opp. CRELLII exeget. estque pro compendio vel prodromo disputationis inter CRELLIVM et GROTIVM institutae occasione editae ab hoc a. 1617. *defensionis fidei catholicae de satisfactione Christi, ad versus F. Socinum,* habendus. Vid. Io. FABRICIVS l. c. P. II. p. 66. STOINIVS in praefatione de hoc opere ita iudicat: "Inter selectiores, qui verae ac genuinae de eodem sententiae lucem foenerarunt, qui meo quidem iudicio paucissimi sunt, non postremus, ni fallor, est nostro Seculo IOANNES CRELLIVS. Nam et in conflictu cum Amplissimo Viro H. GROTIO, eruditionis nostro seculo facile principe, quo nemo acutius, aut doctius, quod sciam, nos oppugnauit, non pauca praestitisse videtur: et in hoc breui licet scripto (quod pro compendio disputationis cum dicto GROTIO haberi potest) ita se gessit, vt procul dubio inuenturus sit non vnus, quod non discat, atque haud scio, an etiam is, qui se iam didicisse vel scisse persuasum habuerat."

Aduersus CRELLIVM prodiit: D. ABR. CALOVII *noua declaratio de caussis mortis Christi, ad elidendum fidem*

*fidem catholicam de satisfactione Christi, a* IO. CRELLIO, FRANCO, *Socinianae haereseos promacho acerrimo nuper producta, ad lancem S. literarum examinata, publicisque disputationibus in Illustri Gedanensium Athenaeo discussa, in vnius Redemtoris Christi gloriam.* 1646. 4. pl. 19. Insertum est scriptum CALOVII Operibus Anti-Socinianis, P. II. fol. 613. seqq.

2. *Commentarii in Euangelium* MATTHAEI *et epistolam* PAVLI *ad Romanos inchoati a* IOANNE CRELLIO, FRANCO. Typis PAVLI STERNACII. Anno MDCXXXV. 8. Praemisit praefationem IO. STOINIVS, coetus Racouiensis minister, scriptam Racouiae 1636. 16. Maii, in qua effusis in CRELLIVM encomiis, de perfecto S. litterarum interprete agit, qualem fuisse CRELLIVM iudicat. *Prior* commentarius habet pagg. 292. et 30. praef. et indic. *posterior* 249. et indic. 15. Sunt vero isti commentarii potius fragmenta; immaturum enim est opus, et potiore sui parte truncatum, vt iudice STOINIO, e matris vtero potius excisus foetus, quam natus infans videri possit. In commentario enim in MATTHAEVM ad C. V. 4. et in ep. ad *Rom.* ad C. IV. 4. substitit auctor. Quae in MATTHAEVM exstant, ab ipso quidem CRELLIO Theologiae Studiosis priuatim in calamum dictata sunt; sed sola meditatione praeuia, non vero scripto antea concepta, multo minus relecta aut recognita. - - - Quae in epistolam ad Romanos commentatus est, ea quidem propria manu, posteaquam totam epistolam Collegio theologico praelegisset, consignare coeperat; sed quod vltimam eis manum non adposuerit, vel hoc argumento est, quod ad finem non sint perducta. - - - Aliis enim magis vrgentibus propter amicorum desiderium ac preces, imo et Synodi

totius decretum laboribus interruptus est. Nam librum *de vera religione* (scil. VOLKELII) diligentissime recognoscendi, et sub incudem nouam reuocandi, annexo et libro *de Deo et attributis eius*, imo et superaddito libro, *de vno Deo Patre*, necessitas ipsi quaedam imposita fuit, et ita plus temporis, quam putabat, illis Commentariis detractum: praesertim cum interim modo hic, modo ille, aliud atque aliud, vt sui caussa scriberet, vel dictaret, ab ipso postularet: vt curam sollicitam non de suo tantum Racouiensi coetu - - - - sed de omnibus pene aliis praeteream, et litterarum ad varios, non suos tantum, sed et exteros exarandarum infinitos et immensos labores silentio inuoluam." Vt haec commentariorum fragmenta, quae Opp. CRELLII T. I. inserta sunt, imprimerentur, a. 1635. statutum, STOINIOQVE vt praefationem praemitteret, commissum est.

3. IOANNIS CRELLII FRANCI *de vno Deo Patre, libri duo. In quibus multa etiam de Filii Dei et Spiritus Sancti natura differuntur. Racouiae, typis* SEBASTIANI STERNACII, *anno Christi* 1631. 8. pagg. 636. praef. et indic. 33. Vid. DAV. CLEMENT *Biblioth. hist. et Crit.* T. VII. p. 328. Prima haec et rarissima libri est editio, qui iterum cum refutatione Io. HENR. BISTERFELDII, Lugd. 1639. 4. et germanica eius versio facta per Io. LVD. WOLZOGENIVM, 1645. 4. Belgica vero Racouiae 1649. 4. (Vid. *Catalogus Bibliothecae* MOSHEMII, p. 125.) nec non a. 1653. et 1668. 4. imo *Anglicana* Cosmopoli 1665. 4. prodierunt. Insertus quoque est liber *Tomo IV. Opp.* CRELLII. Germanica versio hunc prae se fert titulum: Johannis Crellii Franci, von dem einigen Gott dem Vater, zwey Bücher. Darinnen auch nicht wenig von der Natur des

Sohns

Sohns Gottes und des H. Geistes gehandelt wird. Aus dem Lateinischen ins Hochteutsche übergesetzt. Gedruckt im Jahr Christi 1645. 4. pagg. 327. et praef. cum ind. 22. In longiore praefatione WOLZOGENIVS nomen suum non significauit; eundem vero libri huius fuisse interpretem, non SANDII tantum testimonio l. c. p. 116. sed *actis* quoque *MSSCC.* euincitur, quae WOLZOGENIVM in hac versione expunxisse Philosophica referunt, cuius reuisionem et censuram Synodus a. 1636. RVARO demandauit. De versione hac eiusque scopo ita WOLZOGENIVS in *praefat.* inquit: Wir haben uns darin so viel möglich beflieſſen, alles klar und wohlverständlich fürzubringen, damit es von den Einfältigen und ungelehrten, (als denen zu Dienste diese Arbeit der Uebersetzung fürnemlich vorgenommen worden) gar wohl möchte verstanden werden, rc. Anno 1644. Siedliscensis Synodus WOLZOGENIO demandauit, vt cum RVARO de versione hac typis exscribenda deliberaret, cui quoque concessum est, sumtus in opus hoc impendendos, ad fidem publicam mutuo accipiendi.

De transferendo opere in linguam graecam in Synodo Siedliscensi a. 1641. coetus Socinianus consilia contulit, et COSMIO 50 thaleros Ioach. pro hoc labore pollicitus est. Suscepisse quoque eundem et perfecisse ex *actis MSSCC.* Synodi Czarcouiensis 1642. colligitur, quae illi pro praestito labore 100 flor. exsoluit, librumque per IOANNEM STOINIVM Succamerario Kiiouiensi transmisit. In Synodo Siedliscensi 1643. RVARVS iubebatur versionem libri huius graecam prelo typographico committere, si id absque maximis impensis, insigni cum emolumento coetus fieri possit.

Exhibet liber CRELLII infensissimam oppugnationem aeternae ac essentialis deitatis Christi et personalitatis Sp. Sancti, ita vt in supellectile libraria coetus huius primarium locum occupet. Totus in eo est auctor, vt probare nitatur, verum Deum, vnum esse non modo essentia, sed et persona. Occasionem, atque caussam libri edendi in praefatione his verbis significat: "Edidimus non ita pridem - - - librum *de Deo et eius attributis*, quem IOANNIS VOLKELII *de vera religione* libris praefiximus. In eo cum de vnitate Dei ageremus, res videbatur postulare, vt ad vnitatis istius rationem penitus explicandam ostenderemus, Deum summum non essentia tantum, sed et persona vnum esse, nec quenquam esse alium, quam Patrem Domini nostri Iesu Christi. Et coeperamus quidem pluribus id argumentis demonstrare, argumentaque illa aduersus vulgares, aut aliquanto speciosiores exceptiones munire. Verum cum opus nobis, vt ibi diximus, sub manu cresceret, hanc tractationem a reliquo opere seiungendam putauimus. Etenim partim argumentorum copia, quae vltro se nobis ex sacris litteris offerebant, scripti nostri molem augebat; partim illud, quod nollemus quicquam eorum scientes prudentes praeterire, quod ad argumentorum nostrorum vim labefactandam aliquid momenti habere credi posset. Nam cum ob hanc inprimis de vno Deo Patre sententiam - - - acerbissimis omnium odiis et insectationibus simus expositi; operae pretium videbatur ostendere, quanta nobis hac in parte fieret iniuria, quamque adeo in se ipsum esset Christianus orbis, qui hanc diuinae veritatis partem tam contumaciter repudiaret: praesertim cum tam varius, tamque insignis huius doctrinae in sacra Theologia,

logia, totaque religione Christiana sit vsus, quemadmodum sub finem horum librorum docebimus. Tanto autem hunc laborem putaui magis esse necessarium, quod viderem, nostros homines, cum ab aduersariis, hostili fere animo ac calamo, assidue oppugnarentur, in eo potissimum fuisse occupatos, vt illorum rationes refellerent, suas autem fere breuiter tantum, aut hinc inde sparsim, scriptis suis inseruisse, cum respondentium potius, vt diximus, partes, quam argumentantium sustinerent. etc." Videtur CRELLIVS in hoc libro maiori ambitu praestare voluisse, quod sibi F. SOCINVS iam proposuerat, quodque aliis negotiis distractus non praestitit, vel si praestitit, liber iste in direptione bonorum eius 1598. periit, iudicante SANDIO, l. c. p. 73. ita autem SOCINVS ad calcem *responsionis ad librum Wuieki* p. 467. de hoc proposito inquit: "Si Deus vmquam tantum otii et bonae valetudinis dederit, vt quemadmodum animus est, aliquando actoris partes, in hac de diuinitate quaestione, ipsi sumamus; spero, me eodem ipso Deo fauente, eiusmodi pro sententia nostra argumenta et rationes ex sacris litteris petitas collecturum, easque eodem tempore aduersus omnes impugnationes ita praemuniturum, vt fortasse piis hominibus et diuinae veritatis amore incensis - - - parum admodum ad plenam huius rei tractationem desiderandum esse videatur." Singuli libri tribus absoluuntur sectionibus. *Lib. I. Sect I.* directe probare nititur, *Patrem Iesu Christi solum esse Deum illum summum;* et primum quidem ex illis S. scripturae testimoniis, quae de Patre expresse loquuntur. Dicta sunt: Io. XVII. 3. 1 Cor. VIII. 6. Eph. IV. 6. Matth. XXIV. 36. Sequuntur argumenta ex iis locis ducta, in quibus Patris quidem nomen non ex-

 stat,

ſtat, de eo tamen reuera ſermo eſt, 1 Cor. XII. 4-6. 1 Tim. II. 5. Rom. III. 30. Alia argumenta petuntur ex iis locis, in quibus nomine ſolius Dei, aut ſolius ſapientis Dei, aut ſolius veri Dei, ſolus Ieſu Chriſti Pater deſignatur, nec non ex viſionibus, apud DANIELEM et in Apocalypſi IOANNIS occurrentibus etc. *Sect. II.* oſtenditur, *Chriſtum non eſſe Deum illum ſupremum, vt intelligatur ſolum Patrem, Deum illum ſummum eſſe.* In hunc cenſum CRELLIO veniunt inter XXXVI. argumenta, l. c. ſequentia: Quia Chriſtus a Deo creberrime diſtinguitur, filius Dei nominatur, ex Io. V. 19. XII. 44. quia aliquando diem vltimi iudicii ignorauit, ex Matth. XX. 23. XIX. 17. et verbis Chriſti ad Patrem: Non ſic vt ego volo, ſed ſicut tu, ex Hebr. V. 5. Io. XIV. 28. quia Filius a Patre in mundum miſſus, mandata a Deo acceperit eaque ſeruarit, preces ad Patrem fuderit, ipſique omnia a Patre data, imo diuinitas ipſi donata ſit, opera et verba ſua Patri adſcribat, nec prima, ſed ſecunda rerum ad ſalutem ſpectantium ſit cauſſa; ex Io. VIII. 16. 14. 29. quia Pater appellatur Deus Chriſti; ex 1 Cor. XI. 3. caput Chriſti Deus, 1 Cor. III. vlt. Chriſtus (eſt) Dei, 1 Cor. XV. 24. 28. quod Chriſtus Dei et hominum Mediator et Sacerdos ſit, a Patre reſuſcitatus, imago Dei inviſibilis dicitur etc. *Sectione III.* oſtenditur, *Sp. Sanctum Deum ſummum non eſſe, vt pateat, ſolum Patrem Deum ſummum eſſe;* quod Spiritus S. nuſpiam aperte Deus in S. litteris appelletur, nec praecipiatur vt illum adoremus et inuocemus, et ne exemplum quidem eius rei exſtet; quod mentio illius in plurimis locis omiſſa fuerit, nequaquam omittenda, ſi is Deus ille ſummus eſſet, ex Matth. XI. 27. quod a Deo ſaepiſſime diſtinguatur, Dei virtus ſit, Chriſtus Spiritus ſancti filius

foret,

foret, si is Deus summus esset, quod hominibus a Deo donetur, et arrhabo appelletur, quo homines dicuntur obsignari, eoque perfundi, baptizari, potionari; ex locis, quae partitionem quandam Sp. Sancti arguunt; quod Spiritum extinguere vetamur, Sp. Sanctus aliquando non fuerit, et an esset, a discipulis quibusdam ignoratum fuerit; quia a Patre procedere dicitur, et a Patre et Filio mittatur, non loquatur a semet ipso, sed quaecunque audit Io. XVI. 13. ex 1 Cor. II. 10. quod Sp. S. omnia scrutetur etiam profunda Dei, quod super Christum aliquando descenderit. In libri huius conclusione auctor se persuasum habet, orthodoxam de S. Trinitate sententiam ipso S. litterarum silentio refutari, nec quicquam prohibere, quo minus ea argumentis a ratione petitis refutetur.

*Libri secundi, Sectione I. de tribus, quae vulgo statuuntur, supremae deitatis personis generatim agitur.* Dogma de Trinitate se ipsum euertere, quia simul vnus et tres Dei forent; quaelibet persona diuina, trina in personis, et personae diuinae realiter eaedem et diuersae, simul vna, et tres supremae deitatis substantiae forent; quia tres vnius eiusdemque rei subsistentiae esse nequeunt, personae diuinae simul essent communicabiles et incommunicabiles, et nisi vna Dei persona statuatur, infinitas esse statuendas. *Sectione II. de secunda, quae statuitur, supremae deitatis persona differitur.* Dogma de aeterna Filii Dei ex essentia Patris generatione refelli, quia Filius sui ipsius filius, et infiniti forent filii, vti et Spiritus Sancti, Filius Dei ab aeterno et fuisset et non fuisset, adhuc generaretur, et in omnem aeternitatem generandus esset. Dogma de incarnatione Filii Dei refelli putat his argu-

mentis: quia Pater et Spiritus S. hac ratione fuiſſent incarnati; ſecunda deitatis perſona defuiſſet eſſe perſona; quia Deus ſummus et homo diſparata ſunt; et quia duae in Chriſto forent perſonae. *Sectione III. de tertia, quae vulgo ſtatuitur, ſupremae deitatis perſona diſſeritur, et Spiritum S. Dei Filium fore oſtenditur, ſi ſententia de eo vulgaris vera eſſet.* In Concluſione tandem operis, vſum huius de vno Deo Patre diſputationis demonſtratum eſſe, auctor arbitratur.

Opus hoc CRELLII toto ambitu refutandum ſuſcepit 1) IO. BOTSACCVS in *Anti-Crellio,* h. e. IO. CRELLII FRANCI *de vno Deo Patre librorum II. confutatione, in qua multa etiam de Filii Dei aeterna Deitate et Sp. S. natura, contra* SOCINVM, SMALCIVM, BLANDRATAM, ENIEDINVM, *caeterosque Chriſtomachos diſſeruntur etc.* Gedani 1641. 4. Alph. 5. pl. 7. et 1679. 8. Vid. REIMANNI *catal. Biblioth. theol.* p. 480. BOTSACCVS librum hunc eo fine ſcripſiſſe dicitur, vt ſe ſuſpicione fauoris erga Socinianos liberaret. Vid. HARTKNOCHII *Hiſt. Eccl. Pruſſ.* p. 824. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. theol.* T. I. p. 904. De opere hoc elenchtico-didactico ven. Facultas Theologica Acad. Regiom. in praemiſſa illi adprobatione, ita iudicat: "CRELLIVM non modo κατὰ πόδα ſequitur, eiusque veſtigia valide premit, verum et in libro tertio, per ſex ſectiones 1) Solide refellit varias Photinianorum exceptiones ad noſtra pro Deitate Chriſti argumenta; 2) Duas in Chriſto naturas valide ex diuinis oraculis demonſtrat, et aduerſariorum φλυαρίας fortiter deturbat; 3) Clare per inductionis modum probat, Eccleſiam ſtatim ab Apoſtolorum temporibus ad Nicenum vsque concilium, articulum fidei de SS. Trinitate et aeterna Filii et Sp. S. Deitate pie crediſſe

didiſſe

didiſſe et conſtanter aſſeruiſſe. Hunc pium, eruditum et ſolide per demonſtrationem Spiritus confectum tractatum operoſe commendare, ſuperuacaneum eſſe exiſtimamus, cum ſcriptum ſe ſatis commendet, praeſertim, ſi materiae dignitas, quae hic pertractatur, conſideretur." Iudicium hoc ſcriptum iam eſt a. 1636. ipſo die *Martini*. 2) ABRAH. CALOVIVS *in Anti-Crellio ſeu refutatione librorum* IO. CRELLII *de vno Deo Patre*, Diſpp. V. Dantiſci 1644-1646. habitis. Dantiſci 4. pl. 18. Quod aduerſus alligatum BOTSACCI et CALOVII ſcriptum DAN. ZWICKERVS calamum ſtrinxerit, ſub hoc notabitur. 3) Idem CALOVIVS in diſſertationibus theologicis Roſtochienſibus, Roſtoch. 1637. 4. Alph. 1. pl. 12½. quae in omnibus paginis hunc titulum prae ſe ferunt: *Paraſceue in refutationem Libb.* IO. CRELLII *de vno Deo Patre*. 4) IO. HENR. BISTERFELDIVS, *Philoſophiae in Illuſtri Schola Albenſi Profeſſor*, *de vno Deo Patre, Filio et Spiritu S. myſterium pietatis, contra* IO. CRELLII FRANCI, *de vno Deo Patre libros duos. Lugd. Batau.* 1639. 4. *ex Officina Elzeuir.* et *Amſtelod.* 1659. 4. et *Franequerae* 1695. 4. cui operi CRELLII libri toti inſerti ſunt, ita vt theſis et antitheſis in duabus columnis iuxta ſe poſitae conſpiciantur. Aduerſus BISTERFELDIVM ANDR. WISSOWATIVS cauſſam coetus ſui ſuſcepit, vt ſuo loco dicetur. 5) IOSVA PLACAEVS, Tr. *de diuinitate I. C. Salmur.* 1655. qui eiusdem operibus *Franeckerae* 1699. 4. iterum inſertus eſt. PARS I. *de argumentis, quibus efficitur, Chriſtum prius fuiſſe, quam in vtero B. virginis ſecundum carnem conciperetur*, iam ante XXXIII. diſputationibus abſoluta prodiit *Salmur.* 1649. 4. recuſa anno 1660. Tertiae vero parti, quae eodem loco 1657. 4. prodiit, CRELLII refuta-

tio de vno Deo Patre inserta est. 6) Ex Pontificiis CRELLII operi semet opposuit DIONYS. PETAVIVS *in dogmat. theol.* Vol. II. L. IV. *de Trinitate.* 7) PAVLVM quoque FELGENHAVERVM, in lucem emisisse: *Examen Photinianorum, in quo respondetur ad singula argumenta, quae proposuit Socinianus ille* IO. CRELLIVS *de vno et vero Deo etc.* infra sub FLORIANO CRVSIO notabimus.

4. *Ad librum* HVGONIS GROTII, *quem de satisfactione Christi aduersus* FAVSTVM SOCINVM *Senensem scripsit, Responsio,* IOANNIS CRELLII FRANCI, *Ecclesiae Racouiensis ministri. Racouiae, Typis Sternacianis, anno a nato Christo* 1623. 4. Alph. 3. pl. 5. seu pagg 551. 13. praefat. et 25. indic. Opus hoc insertum Bibliothecae FF. PP. T. IV. Opp. CRELLII, vna cum GROTII opere et eiusdem 2. epistolis ad CRELLIVM scriptis. Non scripto tantum, cuius in titulo mentio fit, nimirum *defensione fidei catholicae de satisfactione Christi aduersus F. Socinum,* 1617. 8. sed suis de Sociniana haeresi sententiis GROTIVS CRELLIO ansam suppeditauit ad certamen secum ineundum. In libello enim, quem *Pietatem Ord. Holl.* inscripsit, ita inquit p. 2: *Cum haeresis sit venenum Ecclesiae, et quidem praesentissimum: sed tamen haereseos aliqui sint gradus, vt sit haec illa nocentior, peiorem aliam non reperiri haeresi* SOCINI; p. 3. *ad cuius etiam mentionem pii omnes exhorreant;* et p. 41. *tantum interesse inter Papistas et Socinistas, quantum inter tyrannidem et effrenem licentiam.* Has GROTII sententias CRELLIVS in praefatione scripta Racouiae 1623. refutare nititur, simulque lectoribus suadere, non negari in Sociniano coetu Christi satisfactionem, sed potius dignam Deo et S. literis consentaneam statui.

De

De editi libri procraſtinatione inquit: "Scias prope biennium iam extitiſſe GROTII librum in publico, cum reſpondendi laborem in me recepi, quod antea non feceram, partim quod alios ad eam rem magis idoneos eo munere defungi cuperem; partim quod tantum otii a caeteris meis laboribus impetrare me poſſe vix ſperarem, quantum ad hanc ſcriptionem requireretur; partim denique quod interueniens GROTII calamitas alacritatem ad reſpondendum adimeret. Verum cum nihilominus vindicias poſtularet veritas a GROTIO oppugnata, opus hoc diuino fretus auxilio ſum aggreſſus, ſed quod ob eos, quos dixi, labores meos tardius progredi fuit neceſſe. Erat enim tunc ea muneris mei ratio, vt paucae mihi per ſeptimanam horae, quas huic labori liceret impendere, reſtarent. Poſtquam vero eum ad finem perduxi, non pauca interuenerunt, quae recognitionem libri diſtulerunt, et ipſa temporum iniquitas publicaeque calamitates, turbatis operis noſtris typographicis, editionis conſilium impediuerunt. Nunc aliquid nactus opportunitatis, librum, quantum licuit, recognoſcere coepi et prelo ſtatim ſubieci, preſſurus etiam diutius, ſi permiſiſſent ii, quorum voluntate labor hic fuit ſuſceptus, vel metuendum non fuiſſet, ne diuturnior mora iis, qui eccleſiarum noſtrarum ſententiam GROTII libro confectam crediderunt, animos adderet.

Circa quaeſtiones ad Politicam, aut iuris ciuilis diſciplinam ſpectantes, inque hoc opere obvias, ſemet minus inſtructum atque armatum ad pugnam incedere profitetur; additque: "Quod ſi placuiſſet Deo ad haec vsque tempora ſeruare SOCINVM, qui ſtudio iuris ciuilis, cuius ſcientia ei prope haereditaria extitit, ab adoleſcentia fuerat innutritus, habuiſſes et hanc et reliquas omnes

omnes disputationis huius partes accuratius ac plenius tractatas. Audiuimus enim ex iis, qui familiariter ipso sunt vsi, eum, quamquam modestissime de se et sentiret, et loqueretur, significasse tamen, si, vt tum iactabatur, excellens sibi obtingeret aduersarius, qui librum de I. Christo Seruatore adoriretur, tum demum se totum hoc argumentum vberrime explicaturum." In libro ipso capitum inscriptiones, quas GROTIVS constituerat, positae sunt, capitum vero argumenta, quae ipse docuit, his verbis exponit. *C. I.* Sententia de satisfactione Christi per poenarum solutionem examinatur, refutatis iis, quae ad eam stabiliendam a GROTIO adducuntur: sententia vera de ratione, qua remissio peccatorum ex morte Christi proficiscatur, defenditur. *II.* Ostenditur, Deum in remittendis peccatis considerandum esse vt partem offensam liberrimam, de iure proprio, quod ad poenas de nobis repetendas habebat, cedentem. *III.* Probatur, sanctionem illam legis, qua omnes, qui peccassent, nulla fidei et resipiscentiae habita ratione, morti subiiciuntur, sub N. foedere non relaxatam tantum, sed abrogatam esse. *IV.* Ostenditur, Christum salua iustitia puniri non potuisse. *V.* Docetur, non fuisse sufficientem caussam, quae Deum moueret, vt cum nos ipsos punire nollet, Christum poenae subiiceret. *VI.* Demonstratur, Deum noluisse a Christo satisfactionem per poenarum solutionem exigere, eamque cum remissione peccatorum non posse consistere; additur non nihil de ea satisfaciendi vi, quae actioni Christi tribuitur. *VII.* De reconciliatione nostri cum Deo agitur, et Deum tunc, cum Christum pro nobis in mortem traderet, nobis actu ipso iratum non fuisse, et sic nec morte Christi placatum, ostenditur. *VIII.* Ex redem-

redemtione noſtra per mortem Chriſti facta ſatisfactionis dogma non ſtabiliri docetur, ſimul etiam de mediatoris voce et de poenarum ex perſonae dignitate, aeſtimatione non nihil agitur. *IX.* Explicatur, quid ſit, Chriſtum pro nobis eſſe mortuum. *X.* Agitur de expiatione peccatorum interuentu mortis Chriſti facta: ſeu de ſacrificio et ſacerdotio Chriſti, eiusque in paranda nobis peccatorum remiſſione efficacia.

Specimen in hoc ſcripto modeſtae atque eruditae controuerſiae CRELLIVS exhibuit, licet ab eodem pro peſſima cauſſa inſtitutae. Reſponſionem GROTIVS ipſe non dedit, hacque omiſſione ſuſpicioni locum fecit, ſemet non ingenue ac cordate pro ſatisfactione Seruatoris ſcripſiſſe, vel opere hoc CRELLIANO ita conturbatum fuiſſe, vt miſſa ſua de ſatisfactione Chriſti ſententia, CRELLIANAM amplexus fuerit. Accedit, quod peculiari epiſtola CRELLIO pro reſponſo ad librum ſuum gratias perſoluerit; quae epiſtola inſerta quoque eſt BARTHOLOMAEI fortgeſetzten Anmerkungen, *Coll.* IV. T. I. p. 396. quemadmodum quoque GROTIVM a Socini erroribus non plane alienum fuiſſe ex aliis rationibus conſtat. Vid. HERM. RAVENSPERGERI *iudicium de libro* GROTII *de ſatisfactione Chriſti. Groeningae* 1617. 4. et I. H. AB ELSWICH *in notis ad* MARTINI SIMONII *tr. de literis pereuntibus*, p. 66.

GROTII opus, quod prima vice prodiit, Lugduni 1617. 8. et 4. deinde repetitis vicibus, non ſoli tantum diſplicuit CRELLIO, ſed ipſis quoque GROTII fidei ſociis, nec his immerito, quia ex ſuſceptis Arminianorum placitis veritatem orthodoxam aduerſus SOCINVM parum accurate defenderat. Calamum igitur aduerſus eum ſtrinxit et Theologus, et ICtus, quisque ex princi-

piis

piis ſcientiae ſuae. *Alter* erat HERM. RAVENSPERGERVS, in ſcripto iam allegato: *Iudicium de libro* HVG. GROTII, *cui titulus: Defenſio fidei catholicae etc.* cui poſtea Io. GERH. VOSSIVS pro defendendo GROTIO oppoſuit: *Reſponſionem ad iudicium* HERM. RAVENSPERGERI *etc. Lugd. Bat.* 1618. 4. Alter erat VLRICVS HVBERVS in libro: *De foederibus, teſtamentis, liberationibus, ſatisfactionibus, acceptilatione, iure crediti diuini, aequitate, diſpenſatione et redemptione, diſſertationes iuridico-theologicae VII. quibus earum rerum iuridica popularis ſignificatio, quae fuit olim, quatenus S. ſcriptores de illis rebus egerunt, explicatur: cum variis vtilium rerum obſeruationibus. Franequ.* 1688. 8. Vid. *Acta erud.* 1688. p. 471. et vniuerſam harum controuerſiarum hiſtoriam in BARTHOLOMAEI fortgeſ. nützl. Anmerk. Vol. I. Coll. IV. et V. p. 386. et 507. ſeqq. Quae HIER. MOSCOROVIVS aduerſus GROTII opus in publicam lucem emiſit, infra ſub hoc auctore notabimus.

Interim CRELLII librum ſub examen vocarunt 1) D. ANDR. ESSENIVS *in Triumpho Crucis; ſiue fide catholica de ſatisfactione ac merito Chriſti, adſerta ac vindicata ab exceptionibus atque obiectionibus Socinianorum, potiſſimum vero ab illis, quas* Io. CRELLIVS *in reſponſione ſua ad librum* HVG. GROTII *de eodem argumento protulit. Amſtel.* ap. LVDOV. ELZEVIRIVM. 1649. 4. Alph. 3. pl. 6. et editio altera emendata, et diſſertatione *de ſubiectione Chriſti ad legem diuinam aucta. Vltraiecti* 1665. 4. 2) LAMBERTVS VELTHVYSENIVS, *in ſpecimine refutationis libri* CRELLII *de ſatisfactione Chriſti. Vltrai.* 1648. 12. Vid. PLACCII anon. p. 104. N. 695. 3) EDVARD. STILLINGFLETHVS in diſſ. *de ſatisfactione Chriſti*, quae 1669. et 1697. prodiit. 4)

FRAN-

FRANCISCVS TVRRETINVS *in dispp. de satisfactione Christi etc. Lugd. Bat.* 1696. 4. 5) AB. CALOVIVS *in Scriptis Anti-Socinianis etc. Vlmae* 1684. fol. P. II. N. 7. *Diatribe, mysterium de satisfactione I. C. ad salutem aeternam cognitu omnibus necessarium asserens;* N. 8. *De Satisfactione Christi;* N. 9. *Noua declaratio de caussis mortis Christi, contra* CRELLIVM.

5. I. CRELLII *Franci Ethica Christiana, seu explicatio virtutum et vitiorum, quorum in sacris literis fit mentio. Praefixa est eiusdem Ethica Aristotelica, ad sacrarum literarum normam emendata. Cum triplici indice accuratissimo, vno librorum et capitum, altero locorum Scripturae citatorum et explicatorum, tertio materiarum, quae in vtraque Ethica tractantur. Selenoburgi, sumtibus* ASTERIORVM, *typis Venetis.* 4. Impressionis annus non notatur. Praefixa dissertatio super *Ethicis Crellianis* absoluitur pagg. 78. Ethica Aristotelica emendata, 248. et Christiana, 674. et indic. pagg. 80. Liber STERNIORVM *Luneburgensium* nomen et typos *Venetos* simulans, *Amstelodami* prodiit apud BLAVIOS, horumque sumtibus, curante STEPH. CVRCELLAEO, cuius opera et studiis nonnulla Socinianorum opera luci publicae in Belgio sunt exposita. Vid. *Epp.* RVARI ex edit. ZELTNERI, p. 326. Idem liber hoc indice comparuit: IO. CRELLII *Franci, Ethica Aristotelica, ad sacrarum literarum normam emendata. Eiusdem Ethica Christiana, s. explicatio virtutum et vitiorum, quorum in sacris literis fit mentio. Huic editioni praeter praefixam auctoris vitam, accedit Catechesis Ecclesiarum Polonicarum a* IO. CRELLIO, IONA SCHLICHTINGIO, M. RVARO et A. WISSOWATIO *recognita atque emendata, notisque eorum illustrata. Cosmopoli* per EVGENIVM PHILALETHEM

cIↃIↃCLXXXI. 4. Vita Io. CRELLII ab I. P. M. D. descripta, et dissertatio super Ethicis CRELLIANIS: simulque de virtutum ethnicae, hebraeae atque Christianae inuicem comparatione, habet plagg. 10. Ethica Aristotelica in IV. partes diuisa, pagg. 240. et plagularum signa ab *l* ad *hh*. Ethica Christiana, quae in V. partes et complura capita diuisa est, cui tres adiunctae sunt orationes Ethici argumenti, cum indice locorum S. scripturae, habet Alph. 4. et pl. 3. Orationum argumenta sunt: 1) *De honestatis natura et fonte*; 2) *Cur nec Moses, nec Philosophi perfectam virtutem praescribere et constanter vrgere potuerint, et cur quaedam ad virtutis perfectionem spectantia, non ita praescripserit Deus per Christum, vt, ea non assequi, cum certa pernicie sit coniunctum*; 3) *De amore sui*. Vid. PLACCIVS *Pseudon.* N. 657. p. 184. Tandem *Catechesis Racouiana*, sine praecedente plagulae custode, hunc prae se fert titulum: *Catechesis Ecclesiarum Polonicarum, vnum Deum Patrem, illiusque filium vnigenitum Iesum Christum, vna cum Spiritu Sancto, ex S. Scriptura confitentium. Primum anno MDCIX. in lucem emissa; et post earundem Ecclesiarum iussu correcta ac dimidia amplius parte aucta; atque per viros in his coetibus inclytos*, IOANNEM CRELLIVM FRANCVM, *hinc* IONAM SCHLICHTINGIVM *a Bukowiec, vt et* MARTINVM RVARVM, *ac tandem* ANDREAM WISSOWATIVM, *recognita atque emendata: Notisque cum horum, tum et aliorum illustrata. Nunquam antehac hoc modo edita. Stauropoli. Per Eulogetum Philalethem.* cIↃIↃCLXXX. Vid. de hac editione Catechismi, *historiam nostram Socin. Polon.* Auctor dissertationis praemissae ita de CRELLII opere Ethico inquit: "Ethica Christiana tibi damus, opus posthumum Io. CRELLII,

qui

qui ſuismet aliis ex ſcriptis tibi forte an innotuit. Compluribus ante obitum annis, impulſu viri cuiusdam nobilitate iuxta generis ac eloquentiſſima ingenii facultate conſpicui, deproperauerat ille dictando, nulla praeuia ſcriptione, haſce vmbratiles quodammodo proluſiones ad diligentiorem cogitandi contentionem idoneas. Implere iſthaec, ac ne relegere quidem poſtea ipſi dabat iugis labor, quo diſtinebatur, alia ex alia ſubnaſcens cura et ſpiſſiſſime intercurrentia ex transuerſo negotia. Denſis tamen hiſce impedimentis obluctatus, ex integro recaleſcere ac reſumere impetum omiſſum induxerat: ab illo etiam impulſore ſuo ſtimulatus, vt praeter tactas iam quaeſtiones, alios etiam dignos vindicatione nodos proponeret vltro, euoluendos a ſe, diluendosque hiſce in libris. Sed in ipſo pene adparatu mors eum intercepit praematura; cuius in vicinia, ſingulari ab amico ſuo, inſignis et multiiugae viro doctrinae rogatus, quid Ethicis iſtis fieri vellet? Reſpondet, ſe totum, ſi quod ſit, operae ſuae pretium transſcribere in eum, qui correctioni admoliretur manum. Is igitur ipſe, cui datum hoc reſponſum, pleniorem quidem non aggreſſus emendationem; ſed excitus precibus aliorum, collegit exemplaria diuerſa et meliore ſelecto ad collationem reliquorum, voces quasdam interpunxit, iugulauit nonnullas, inſperſit etiam aliquando, quo ſenſus conſtaret planior, illibata tamen auctoris mente. etc."

Teſtantibus Actis MSSCC. RVARVS quoque operi huic emendando diligentiam adplicuit, quem a. 1635. Synodus monuit, vt illud reuiſum breui tempore Racouiam mitteret, quo ab aliis quoque corrigeretur. In eadem Synodo STOINIO et STEGMANNO cura in lucem proferendi librum maxime eſt commendata. In praefatione

fatione operibus CRELLII in Biblioth. FF. Polon. praemiſſa, circa hoc opus, *Bibliothecae* inſertum *Tomo* IV. opp. CRELLII, notatur, quod Ethica Chriſtiana huius auctoris, a prolixa illa de *veritate Chriſtiana et gentili* diſſertatione, ſint liberata, retentis illis, quae de Ethicis CRELLIANIS agunt. Illa enim diſſertatio non ipſius IOANNIS, ſed CHRISTOPHORI CRELLII labor eſt. Vid. IO. VOGTII *Catal. libb. rarior.* p. 194. LA CROZE *eſſais de litterature*, T. I. p. 83. ſeqq. Fuſiorem operis huius recenſionem inſtituit, et diſſentientes de variis illius, inprimis *Catecheſeos Racouienſis* editionibus, eruditorum relationes compoſuit ac conciliauit BAVMGARTENIVS *in Recenſ. Biblioth. Halenſ.* T. IV. p. 212-220.

Extat huius libri Belgica verſio ſub tit. *Chriſtelycke Zeede-Konſt*, *door* IOH. CRELLIVS; *Na de Copye gedrukt tot Lunenburg*, *by* IOHANN *en* HENRICH STERNS *Gebroederen.* Anno 1651.

CRELLII Ethicae Chriſtianae oppoſuit Theologus Regiom. DAV. VOGEL praeter inauguralem diſputationem pro Gradu, *de pietatis fuco et candore ex* 2 *Tim.* III. 1. ſeqq. *Gryphisw.* 1717. diſputationem II. et III. *de fictitiis pietatis gradibus Vnitariorum aduerſus* CRELLIVM. *Regiom.* 1718. et 1720. Quod Ethica haec Pelagianis ſuperſtructa ſit fundamentis ac principiis, notauit BVDDEVS *in Iſagog. hiſt. theol.* p. 650.

6. *Tractatus de Spiritu S. qui fidelibus datur. Auctore* IOANNE CRELLIO *Franco.* 1640. et 1650. 8. Prior editio Francof. poſterior in Belgio prodiit, in vtraque locus non notatur. Inſertus *Tomo* IV. *Opp.* CRELLII, p. 455. ſeqq. Translatus quoque in linguam Belgicam prodiit 1664. 8. pagg. 430. ſub tit. IOANNIS CRELLII *Verhandelinge, van den Heiligen Geeſt:* Die den Geloovigen

loovigen gegeven word. In't Iaar ons Heeren, 1664. Vid. DAV. CLEMENT *Biblioth. hist. et Crit.* T. VII. p. 331.

7. *Vindiciae pro religionis libertate*, sub nomine IVNII BRVTI POLONI. *Eleutheropoli* MDCL. 4. et MDCLXXXI. 4. Insertum Opp. CRELLII l. c. Prodiisse quoque *Eleuther.* 1637. 12. et 1650. 8. ap. GODOFR. PHILADELPHVM, a quibusdam notatum esse recondamur. Monendum tamen, ne hoc CRELLII opusculum, cum alio STAN. LVBIENIECII, quod similem prae se fert titulum, commutetur. Belgica versio lucem vidit 1649. Vid. PLACCII *Pseudon.* N. 485. p. 143. WALCHII *Biblioth. theol. selecta*, T. I. p. 911. CRELLIVM libri huius esse auctorem, quod a quibusdam in dubium vocatum est, *acta MSSCC. Synodi* a. 1635. Racouiae habitae manifeste euincunt. Statutum enim in eadem est, vt RVARVS librum CRELLII *de seruanda pace et fide etiam haereticis*, qui idem sane liber est, alibi extra Poloniam imprimi curaret. Librum hunc LE CENE in gallicam quoque linguam transtulit, eumque operi inseruit, quod prodiit sub tit. *Conversations sur diverses matieres de Religion, ou l'on fait voir la tolerance etc. avec un traite de la liberte de conscience etc. Philadelphie* (i. e. Amstelod.) 1687. 12. Vid. BAYLII *Opp.* T. IV. fol. 629.

8. *Commentarius in epistolam Pauli Apostoli ad Galatas, ex praelectionibus potissimum* IOANNIS CRELLII, *ecclesiae Racouiensis ministri, conscriptus a* IONA SCHLICHTINGIO *a Bukowiec, eiusdem ecclesiae ministro. Racouiae typis Sternacianis. Anno Christi* 1628. 8. *pagg.* 316. *et* 26. praefat. et indic. Merito opus hoc CRELLII operibus exegeticis insertum est, quamuis in illud publicandum SCHLICHTINGIVS studium suum collocauerit, qui hac

 de

de re in praefatione, quam litteris initialibus I. S. ſubſignauit, ſcribit: "*Porro commentarii iſtius* natales et ortum accipe. IOANNES CRELLIVS frater meus idemque collega in Domino chariſſimus Theologiae ſtudioſis hanc epiſtolam viua voce ſine ſcripto explicuit: lectionibus iſtis et ego interfui. Vbi reditum erat domum, ne ea, quae dicta eſſent, obliuione effluerent, aut ſaltem infra priuatum paucorum vſum deliteſcerent, ſumpto in manus ſtylo, literis illa mandabam: quae deinde eidem collegae meo relegenda et recognoſcenda tradebam, vt is, quandoquidem ex eius potiſſimum lectionibus hauſta eſſent, vbi viſum foret, ea vel mutaret, vel etiam augeret. Itaque commentarius iſte ab illo primum veluti genitus et efformatus, et multis in locis auctus, a me primum ſuſceptus et in lucem editus eſt; vt non immerito illum quidem eius patrem, me vero matrem tantum ac nutriculam nominare posſis." Quod huius generis ſcripta plura edita non fuerint, ita SCHLICHTINGIVS in initio praefationis excuſat: "Non pauca huc vsque ex Eccleſia noſtra prodierunt ſcripta, in quibus controuerſa quaedam in Chriſtiana religione dogmata variis diſputationibus agitantur: Ea vero, quae iuſtam aliquam Theologiae partem docendo pertractarent, ſane quam nos vellemus pauciora. Quod non vlla ſcriptorum Eccleſiae noſtrae incuria aut negligentia factum eſt: ſed quadam neceſſitate; quod viderent euellendas ſibi primum eſſe ex Eccleſiae agro malas et noxias errorum herbas, diuinae gloriae hominumque ſaluti multum obſtantes, quae tot ſaeculorum lapſu in immenſum excreuerant; - - - praeſertim cum ipſa erroris euulſione, veritas perſaepe inſeratur. Neceſſitatem vero hanc auxit aduerſariorum pervicacia, qui euiden-

euidentiſſimae veritati et clariſſimis ſcripturae teſtimoniis cedere nolentes, ſubinde ſumpto erroris patrocinio deſcenderunt in certamen, et editis in lucem libris nos prouocarunt, id quod etiamnum faciunt."

Quae SANDIVS l. c. p. 116. de hoc commentario narrat, quod a. 1660. belgice prodierit; dubium relinquunt, an non commentarium, cum paraphraſi confuderit, quae 1658. lucem adſpexit. Vid. REIMANNI *Biblioth. Theol.* p. 666.

9. IOANNIS CRELLII FRANCI *explicatio capitis decimi quinti prioris epiſtolae* PAVLI *ad Corinthios. Typis* PAVLI STERNACHI. *Anno Domini* 1635. 8. *pagg.* 282. et praef. 3. Opus auctoris vltimum atque poſthumum. Ita enim praefationis auctor anonymus, (quem PETRVM MORSCOVIVM eſſe ſuſpicamur) inquit: "Noſtrarum eſſe partium ducimus, poſtquam CRELLIVS praematura morte interceptus eſt, vt poſthumis eius ſcriptis te (lector) ſolemur." Idem narrat, quod CRELLIVS deſideriis et iteratis precibus amicorum, in hac potiſſimum parte, quae reſurrectionem corporum noſtrorum tangit, ſatis voluerit facere; "idque (ſunt verba editoris) eo fecit lubentius, quod ſciret, in ea omnis ſpei noſtrae, quam in coelum iam miſimus, cardinem verti; et nihilo ſecius magna cum dolentis animi aegritudine videret, quantopere hic extra veri viam prolabantur homines, nec poſſint ad germanam verborum PAVLI mentem pertingere. Viſum autem illi eſt, omnia altius repetere et in totum caput iuſtum expedire commentarium, vt ſic plenius conſtaret opus, contextus verborum, et tota rerum ſeries magis ſub conſpectu ponerentur, nihilque eſſet vltra, quod ſenſum aliqua obſcuritate inuolueret. Coeptus eſt liber paucis ante obitum diebus ad limam

reuocari, et a mendis, quae inter extemporalem dictandi festinationem forte irrepserant, vltima manu repurgari; sed cum iam maxime feruebat opus, nec parum in emendando auctor progressus erat, inopinato eum vita destituit." Prodiit quoque Belgica versio 1653. 4. sub tit. *Verklaring over het XV. Cap. 1 Cor. etc.*

10. *Commentarius in epistolas* PAVLI *Apostoli ad Thessalonicenses. Ex praelectionibus* IOANNIS CRELLII FRANCI *conscriptus a* PETRO MORSKOVIO *a Morskow. Racouiae typis* PAVLI STERNACII, *anno a Christo nato.* 1636. 8. pagg. 247. et 21. praef. et indic. Eadem ratione qua CRELLII praelectiones in epistolas ad Thessalonicenses, ita quoque eiusdem explicationes in priorem ad TIMOTHEVM, ad TITVM et PHILEMONEM calamo excepit MORSCOVIVS, quas omnes operibus CRELLII exegeticis, vna cum his typis antea expressis, insertas legimus. De hoc opere ita MORSCOVIVS in praefatione, quam die 3. Maii 1636. scripsit, inquit: "Ad commentarium venio; - - - hoc tantum de illo in praesentiarum tibi videtur indicandum, rem fere hic esse a CRELLIO, verba vero a nobis et ea quidem non omnia. Erat videlicet in more magno illi Theologo, viua tantum voce auditoribus suis in euolutione et explicatione scriptorum apostolicorum sine vllo scripto praeire: qua ratione cum istarum quoque epistolarum interpretationem aggrederetur, auctor ipse mihi fuit, vt scripto ista, propter et memoriae subsidium, et aliorum, qui lectionibus istis non interessent, emolumentum consignare vellem; parui ego libenter, tam iusta et non cum aliorum tantum, verum meo etiam ipsius singulari fructu coniuncta imperanti: cumque ita, quae tum ex illius disserentis ore hauriebam in chartam coniicerem, vt quae

quaedam etiam, quae non dicta videbantur, de meo, ſenſus illius expiſcandi gratia adderem, tradebam illi recognoſcenda: quae ille poſtea ad ſuum arbitrium finxit et refinxit, multis inductis, nonnullis etiam de ſuo additis. In primis vero illa in poſteriori epiſtola C. 3. a v. 6. ad finem vsque omnia ſunt plane illius. Nam cum in his, doctrinae de excommunicatione, in qua multi coecutiunt, plenius pertractandae campus mihi aperiri videretur, nixus ego an abuſus dicam facilitate, et in omnes de quolibet bene merendi partes accincta propenſione viri, ſpatium tantum nudum et ſine litteris in charta reliqueram, addito, velle me, vt iſtam materiam ſuis ipſe verbis, prout ipſi videretur, pertractandam ſuſciperet. Nec detrectauit ille, qui omnibus cuperet eſſe omnia, et ſuo ipſe ſtylo, vt ambiueram, omnia perſequutus eſt; addito tamen, tam plenam doctrinae de excommunicatione tractationem non huius eſſe loci, et velle poſtmodum ethicae ſuae recognitae inſeri, quae commentationis huius pomoeria excedere viderentur. Verum vt ipſum commentarium ſcribebam ego, et recognoſcebat ille, non ſine edendi; ita nec iſta poſtquam tradiderat mihi, aut ille in manus reſumſit vmquam, aut ego vel in minimis mutare fas mihi putaui, exceptis tamen iis, quae temporibus condonanda videbantur."

Reuidendi ac prelo committendi commentarium hunc nec non eiusdem auctoris paraphraſes in epiſtolas apoſtolicas negotium a. 1635. Synodus demandauit STOINIO et SCHLICHTINGIO, addito hoc iniuncto, vt in praefatione notaretur, quod auctor eas tantum in calamum dictauerit, neque edi iſto tempore voluerit. Prodiit iſte commentarius belgice 1658. 4. et 1664. 8.

nec non anglica verſio, ſub titulo: *Expiator peccatorum*, notante SANDIO. In *Sorberianis* p. 53. ſeqq. maxime hic CRELLII commentarius, nec non ille in *ep.* PAVLI *ad Hebraeos* laudatur.

Belgica verſio omnium CRELLII paraphraſium in epiſtolas Apoſtolorum, hunc prae ſe fert titulum: *Paraphraſis, dat is, Uytbreyding van* IOHANNES CRELLIVS FRANKVS *over de meeſte en vornaemſte Brieven der Apoſtelen. Van welkem het Regiſter aan d'andern Zyde ſtaat. Uyt het Latyn vertaalt. Tot Vrederykſtad, voor Filalethius Vreederyk, na het Iaar* 1658. 4. pagg. 118. 52. 16. 15. 12. 93. 45. et 12. Exhibentur in hoc Volumine CRELLII paraphraſes in Epp. PAVLI *ad Rom. Gal. Epheſ. Philipp. Coloſſ.* et *Hebr.* quae operibus eiusdem exegeticis Tom. III. Bibliothecae FF. PP. inſertae ſunt. Cum ſcripta exegetica CRELLII teſte SANDIO l. c. p. 118. a. 1665. prodierint; verſio paraphraſium belgica aliquot annos praeceſſit editionem earum latinam. Alio quoque ordine illa verſio typis exſcripta eſt, ac quidem titulus easdem indicat; quia paraphraſi epiſtolae ad Romanos variantes quaedam lectiones in exemplaribus calamo deſcriptis obuiae, ex paraphraſibus epp. *ad Galatas*, *Epheſios* et *Philippenſes* ſubiunctae. Huic operi duplex adtexta eſt appendix. *Prior* exhibet paraphraſin epiſtolarum IACOBI et IVDAE a D. K. F. concinnatam, quae litterae Dirk Kampenhuyzen, coniiciente BAVMGARTENIO *in hiſt. libbr. memorab.* T. XI. p. 28. innuunt. *Poſterior* abſoluitur paraphraſi commatum XV. priorum, primi capitis Euangelii IOANNIS, cuius auctor eſt IONAS SCHLICHTINGIVS, quaeque latina exſtat in *Bibliotheca FF. PP.*

11. *Problemata N. cum ſolutionibus* CRELLII, *Tomo IV. Opp.* CRELLII *inſerta.*

12. *Solutio III. quaeſtionum, a* IO. STOINIO *propoſitarum, eodem loco.*

13. IOANNIS CRELLII, FRANCI, *Liber de Deo et eius attributis, praefixus eſt quinque libris* IOANNIS VOLKELII, *Miſnici, de vera religione.* Racouiae typis SEBASTIANI STERNACII. 1630. 4. et in Biblioth. FF. PP. occurrit. Idem liber CRELLII et VOLKELII iunctim, Amſtel. 1642. editus, Magiſtratus iuſſu combuſtus. Inſertus quoque eſt MARESII *hydrae Socinianismi expugnatae, et Roterodami* a. 1649. et pluribus locis iteratis vicibus, in belgicum idioma transfuſus lucem adſpexit, ſub tit. *Van Godt en ſyne Eygenſchappen etc.* Item Freiburgi 1663. Vid. IO. VOGTII *Catal. libb. rar.* p. 714. Occurrit in hoc opere CRELLIANO: Demonſtratio exſiſtentiae Dei ex mundi exſiſtentia, de nominibus Dei hebr. et graecis, Deſcriptio de Deo, qui eſt ſpiritus aeternus, et de attributis diuinis, ad quae intellectum et voluntatem Dei refert; nec non de illis, quae affectuum inſtar Deo inſunt, et de decretis diuinis.

14. *Explicatio difficiliorum ſcripturae S. locorum, vna cum reſponſione ad aliquot quaeſtiones.* An idem liber ſit, qui a. 1656. belgice prodiit, cuius titulum SANDIVS allegat l. c. p. 118. certo a nobis dici nequit.

15. *Commentarius in epiſtolam ad Hebraeos, ipſius ope a* IONA SCHLICHTINGIO *concinnatus.* Racouiae 1634. 8. Belgice 1658. 4. Vid. SANDIVS l. c. p. 117. et 119. Inſertus operibus CRELLII in Biblioth. FF. PP. Vol. III.

16. *Commentarii et Paraphraſes in omnes Epiſtolas Paulinas.* Has ſingulas concinnauit, ſub quibus vero comprehenduntur, quae iam in ſuperioribus Numeris 2. 8. 9. 10. 14. 15. de huius generis lucubrationibus ſunt recenſita.

17.

17. *De expiatione peccatorum nostrorum*, tractatus germ. 8.
18. *Expositio fidei.* MSC.
19. *Epistolae* ad MICH. GITTICHIVM, it. ad MART. RVARVM aliosque MSSCC. Vna ad RVARVM scripta, inserta est THOM. CREENII *animad. philol.* P. V.
20. *Responsio ad ep.* MICH. GITTICHII, *scripta Racouiae* 1614. 19. *Octobr.* inserta Tomo IV. Opp. CRELLII l. c.
21. *Tractatulus, in quo docetur, omnibus pietatem esse colendam*, insertus l. c. Belgice lucem vidit sub tit. *Kort Vertoog van de Godsaligheyd, vertaalt door* DAN. VAN LOENEN. *Amsterd.* 1673. 12. et 1678. 12.
22. *Responsio ad* M. CORNEL. MARCI, Altorph. *argumenta, quibus probare nititur, Christum esse Deum illum vnum, et Sp. S. esse personam.* Adtexta est *commentario in II. Ep. ad Timoth.* P. III. *Opp.* CRELLII, et quae ibidem desunt, ZELTNERVS suppleuit l. c. p. 774. seqq.
23. *Discursus de felicitate.* Fragmentum hoc comparet P. IV. *Opp.* CRELLII.
24. Quod CRELLIVS transferendis in linguam Germanicam *libris N. T.* operam suam nauauerit, alio loco notabimus; nec non
25. Quod *Catechesin Racou.* emendauerit ac notis illustrauerit, quae post nouam SCHLICHTINGII et WISSOWATII reuisionem 1665. 8. et 1680. 4. prodiit, quae editio CRELLII *Ethicae* adtexta. Vid. N. 5.
26. IO. CRELLII, FRANCI, *prima ethices elementa. Opus posthumum, Racou.* 1635. 8. Liber in rarissimis habendus, distinctus plane, ab altera CRELLII *Ethica*, quae in 4. prodiit. Vid. *Catal. libb. rar.* DAN. SALTHENII, p. 530. N. 2663. Praefationem praemisit PETRVS MORSCOVIVS ex decreto Synodi 1635. Liber lectionibus Scholasticis destinatus, iam ante eius editionem huic vsui

vſui inſeruiit. De eodem H. GROTIVS in epiſtola ad RVARVM, *Lutet.* 1639. d. XVII. Maii data in huius epp. ex edit. ZELTNERI, p. 163. ſcribit: "In Ethices compendio multa ſunt docta, multa ad vitam vtilia. Nimis in quibusdam Ariſtotelizat. Verum hoc ipſum quoque deprehendiſſe, ſed morte praeuentum emendare nequiſſe, ex praefatione diſco." De nouo igitur ex ſcriptis CRELLII Ethicis concinnando compendio, familia Sociniana cogitauit, hincque in Conſeſſu Raſzcouienſi a. 1655. GEORGIO CIACHOVIO committebatur, vt vtramque CRELLII Ethicam in compendium redigeret, et in linguam polonicam transferret. An hoc lucem viderit, certo a nobis ſtatui nequit.

27. *Epiſtola ad* MART. RVARVM, Gedanum ſcripta 1624. 19. Iulii, miſſaque per fratrem mercatus cauſſa eo proficiſcentem. Legitur in extenſo apud TH. CRENIVM *in animadu. hiſt. philol.* T. V. p. 261.

28. *Epiſtola ad* CORN. MARCI, Altorph. ſcripta Racouiae 1625. 21. Ianuar. inſerta operi ZELTNERI, p. 775.

29. *Epiſtola ad eundem* nomine publico coetus ſui ſcripta. Reſponſoria eſt ad CORN. MARCI petitum de ſe ſuſcipiendo in Vnitariorum communionem, quae probabiliter circa annum 1615. data, legitur apud ZELTNERVM l. c. p. 378.

30. *Carmina quaedam* in honorem fautorum ac amicorum, e. g. IO. GE. FABRICII, FRAVENBVRGERI, HAINLINII etc. concinnata, quae haud contemnendam CRELLII in poëſi latina facultatem comprobant, ZELTNERVS l. c. p. 214. 218. 240. etc. inſeruit.

31. Eundem ſcripſiſſe *epiſtolam de ſtatu impiorum poſt mortem* ad CHRISTOPH. SIENIVTAM, ex IO. NAERANI epiſtola ad RVARVM a. 1642. ſcripta, in huius epp. ex edit.

edit. ZELTN. p. 323. conſtat. Lucem vero eadem, quantum ſcimus, non adſpexit; in operibus CRELLII ſaltem non comparet, nec SANDIVS l. c. eiusdem meminit.

## CHRISTOPHORVS CRELLIVS. SPINOVIVS.

IOANNIS *ſenioris* filius ſecundo loco natus, IOANNIS iunioris frater ſenior, et THEOPHILI iunior. Anno 1642. Gedani, moderante ibidem ſtudia eius RVARO vixit, publicisque ibidem coetus Sociniani ſtipendiis ſuſtentatus eſt. Vid. *Acta MSSCC.* A. 1646. BAVMGARTIO, in Tranſyluaniam conceſſuro, ad ſcholam Luclauicianam ſucceſſor deſignatus, a. 1648. vero IOANNI ARCISSEVIO in exteras regiones ad amplificanda coetus ſui commoda delegato, itineris comes et cooperarius in demandato eidem negotio conceſſus eſt. In Synodo Raſzcouienſi a. 1650. ad coetum Krzelouienſem, vt in eodem ſermones ſacros haberet, delegatus eſt, ipſique iniunctum, vt patris ſui librum *de vno Deo Patre* contra aduerſarios tueretur, omnesque ſimul eadem opera refutaret, in quem finem RVARVS, BOTSACCI et CALOVII ſcripta, ſumtu publico compararet. A. 1651. Raſzcouienſi coetui, ſermones eccleſ. habendo inſeruiit ex ſtatuto conſeſſus Czarcouienſis; in quo monitum reiteratum, vt ſemet ad refutandum patris ſui aduerſarios pararet. In eodem conſeſſu omnes, qui Io. CRELLII ſcripta poſſiderent, admoniti ſunt, vt illa CHRISTOPHORO filio traderent, qui eadem praeuia cenſura in lucem publicam emitteret. A. 1652. Raſzcouienſi coetui adhuc commodatus eſt, qui eidem ſtipendium 400 flor. et alimenta ſuppeditauit, teſtantibus *Actis MSSCC.* Czarcouienſis conuentus. In eodem dignus habebatur, qui Miniſterio Eccleſ. initiaretur; ſed ipſe dilationem ac moram ſibi expetiit, quam quoque obtinuit. Sequente vero anno 1653. Siedliſciae

liſciae vna cum IOANNE PREVSSIO Miniſterio Eccleſ. ſolenniter initiatus eſt. A. 1654. in conſeſſu Czarcovienſi ſtatutum, vt ANDREAE WISSOWATIO ad coetum Raſzcouienſem translato, ſuccederet ad Ropcouienſem. Poſt exſilium Polonicum, coetui *Cruciburgi* in Sileſia ex exſulibus Polonis collecto miniſter praefectus eſt. A. 1663. vero, ipſi et fratri eius IOANNI cura coetus exſulum Polonorum, qui *Fridericopoli* iſto tempore erat, commendata eſt. Duplici vice in Angliam transfretauit, cumque 1668. ſecundum iter ſuſciperet a negotiis miniſterii eccleſ. in coetu Sileſiaco pro iſto anno liberatus eſt, hac tamen conditione, vt proximo anno ad coetum ſuum reuerteretur. Ad ſecundum hoc iter, ſpe ab amicis transmarinis ſibi facta educandi ibidem liberos ſuos inuitabatur; quod ſatis commonſtrat, quantum ſibi inter Anglos in primo itinere contraxerit fauorem. Vid. *Concluſa MSSCC. conſeſſus Cruciburgici* a. 1668. Quod coetus exſulantis per decem annos in Sileſia, et per totidem annos in Boruſſia, et quidem Andreaewaldae ad terminos Poloniae miniſter fuerit, et, dum in praeſentiſſimo periculo, coetus ſui commodis inſeruiendo, iter per Poloniam in Sileſiam faceret, a. 1680. d. 12. Decembris obierit, *acta MSSCC.* commemorant, quod etiam SANDIVS l. c. p. 162. exponit. Funus eius terrae mandatum eſſe priuatim in agro villae, *Radziborsko* dictae, ſub patrocinio MORSTINIORVM, qui ſolito more gentis dicuntur eſſe de RADZIBORSKO, attauis editi MONTSTERNIIS in Palatinatu Cracouienſi, mihi aliquando PAVL. CRELLIVS per epiſtolam nuntiauit. Duos reliquit filios, SAMVELEM et PAVLVM. Plura de eodem in *Act. Synod. MSSCC.* expoſita, ſuo loco a nobis inſerta ſunt.

SCRIPTA:

1. *Diſſertatio de virtute chriſtiana et gentili;* quae praemiſſa

missa est patris sui *ethicae christianae*, editae 1650. 4. et 1681. 4. *Cosmopoli*, i. e. *Amstelodami*.

2. *Epistola ad generos. Dn. Baron. N. N.* in qua habetur *narratio de colloquio Roznouiensi* inter Rom. Catholicos et Vnitarios habito. Scripta 1660. 19. April.

De hoc colloquio a die X. ad XVI. Martii a. 1660. habito, scriptum ANDR. WISSOWATII SANDIVS allegat, p. 149. nec non inter auctores anonymos, p. 178. quod vtrumque vnum idemque videtur. Venit quoque ad manus nostras MSC. cui titulus: *Summa colloquii Roznouiae habiti, communicata ab* ANDREA IOVEDECIO. A. 1660. d. 10-16. Martii, quod vero iam insertum reperitur WENGERSCII *historiae Eccles. Slauon.* p. 538-586. sed de his alio loco.

3. *Epistola de statu Vnitariorum in Anglia. MSC.*

## IOANNES CRELLIVS, *Iunior*.

IOANNIS CRELLII filius tertio loco natus, frater THEOPHILI et CHRISTOPHORI. A. 1642. Luclauiciis operam nauauit studiis, simulque infantes minores in schola istius loci instituit. A. 1650. in Raszcouiensi coetu sermones ecclesiasticos habuit, sed paulo post iter ingressus videtur; nam eidem iam A. 1651. in peregrinis regionibus versanti ex concluso consessus Czarcouiensis 300 fl. designati sunt; aequalis summa a. 1652. ex decreto consessus Czarcouiensis ipsi in exteris regionibus adhuc commoranti statuta est. Et cum hoc anno iter quoque in Angliam fecerit, Consessus RVARO commisit, vt CRELLIO, praeter statutam hanc summam, additamentum pro hoc itinere transmitteret. A. 1653. in consessu Siedliscensi, ipsi iterum 300 fl. designati sunt, simulque iussus est, vt in proximo consessu ex itinere in patriam rediret. Anno 1654. redux in

in conſeſſu Czarcouienſi, ad RVARVM ſubleuandum miſſus eſt, inſeruiendo coetui Gedanenſi et in vicinia lingua germanica et polonica. Straſſinii apud RVARVM habuiſſe hospitium ſuum, acta conſeſſus Raſzcouienſis a. 1655. nos docent, cuius concluſo CRELLIVS admonitus eſt, vt ſtudio medico abſtineret. Ex eiusdem conſeſſus actis conſtat, quod RVARI filiam in matrimonio habuerit Doctorisque in medicina gradum et titulum adfectauerit, niſi forte eodem alicubi inſignitus iam fuerit. Poſt generale exſilium polonicum vna cum fratre ſuo CHRISTOPHORO coetui Fridericopolitano ex exſulibus collecto miniſter praefuit a. 1663. Poſt aliquot annos in Belgium ſemet contulit, et officinae typographicae praefuit. Amſtelodami eum mortuum eſſe, PAVLVS CRELLIVS olim mihi ſignificauit. Quos reliquerit liberos, ſchema genealogicum ſub SAMVELE CRELLIO ſubiiciendum indicat. An ſcripta quaedam concinnauerit, omnino nos latet.

## SAMVEL CRELLIVS.

Vir doctiſſimus et ingenioſiſſimus IOANNIS CRELLII nepos, CHRISTOPHORI (non vero THEOPHILI, quod ZELTNERVS putauit l. c. p. 197.) filius. Familia SAMVELIS CRELLII, in nouis publ. litterar. Hamburgenſibus a. 1748. p. 345. et in Collect. Vet. et Nou. theol. a. 1750. p. 943. ſchemate quodam exhibetur, quod etiam reperitur in HEINSII H. E. N. T. contin. T. IV. p. 3398. Communicauit illud ipſe SAM. CRELLIVS cum PAVLO BVRGERO, Archidiacono Herſpruccenſi in diſtrictu Noribergenſi, cum a. 1731. Amſtelodami commoraretur. Hoc autem eſt ſchema genealogicum:

IOANNIS CRELLII FRANCI Filii,

THEOPHILVS, CHRISTOPHORVS, IOANNES.
Huius IOANNIS II. filii duo
MARTINVS et DANIEL
viuunt (scil. a. 1731.) Amstelodami.
Duo, IOANNES, qui typographus erat,
et PETRVS, mercator, mortui sunt.
(PETRVS reliquit filiam MARIAM et filium IOANNEM) (*)
Viuunt etiam (1731) duae filiae (IOANNIS II.) coelibes.
CHRISTOPHORI filius, SAMVEL CRELLIVS,
habet duos filios.
STEPHANVM et IOSEPHVM (qui habet duas filiolas)
et duas filias,
THEOPHILAM nuptam I. A. LEDDINO, Doctori Medico iam
viduam; alteram virginem DOROTHEAM.

Vitam SAMVELIS exposuerunt, vel potius quaedam ex vitae ipsius satis momenta collegerunt, MOSHEMIVS in diss. *de raptu Christi in coelum, quem Sociniani fingunt*, contra SAM. CRELLIVM, Helmst. 1729. quae inserta est *Syntagm. dissert. ad sanctiores disciplinas pertinent.* p. 333. seqq. IO. ERH. KAPPEN *in hist. Artemonis et Artemonitarum*, Lips. 1737. IOACH. LANGIVS *in compellatione epistolica ad Socin. inprimis ad* SAM. CRELLIVM, Amstel. 1740. PAVL. ANTONIVS *in Collegio Antithet.* p. 26. seqq. GOETTEN itzt leb. Gel. Europa, T. III. p. 277-304. SCHMERSAL in den Nachr. von jüngst verstorb. Gelehrten, P. I. CHAVFEPIE *Dicton. histor. Critiqu.* T. II. p. 88. HECHTIVS ad RAMBACHII *Introd. in controu. Socinist.* T. I. p. 208. *Noua litter. Hamburg.* 1747. p. 703. 1748. p. 345.

Natus a. 1660. mense Martio. Corrigendus proinde error typographicus in CHRIST. GVIL. FRANC. WALCHII *Comp.*

(*) Hunc coelibem Londini vixisse et a. 1745. adhuc fuisse superstitem, PAVLVS CRELLIVS olim me docuit.

*Comp. hiſt. Eccl. recent.* p. 198. quo annus natiuitatis 1710. proditur. Iuuenis in Gymnaſio Arminianorum, quod Amſtelodami eſt, ſtudiis operam ſuam nauauit; a. 1680. Berolinum acceſſit, ibidemque per aliquod tempus ſubſtitit, inde in Boruſſiam ſe contulit.

Complures annos *Koenigswaldae* prope Francofurtum ad Oderam, in quem locum ex Boruſſia conceſſit, vixit ibidemque miniſterio eccleſiaſtico inter Vnitarios Marchicos functus eſt, poſt obitum PREVSSII, imo illo adhuc ſuperſtite, ſed emerito a. 1696. cuius gener CRELLIVS noſter fuit. Anno 1687. in Synodo Selchouiae in Marchia habita, in Seniorum Synodi numerum ſuſceptus eſt. Ex hoc loco aliquando excurſiones Francofurtum et Berolinum fecit. Hinc in Belgium et ex Belgio in Angliam transfretauit, ibidemque a. 1697. editionem libri ſui: *Fides primorum ſaeculorum etc.* promouit Londini. Vſus eſt in Anglia Patrono illuſtr. Comite de *Schaftsburio.* Vid. *Lettres de Mr.* BAYLE, *avec des notes de Mr.* MAIZEAVX, T. III. p. 1087. et harum epiſtolarum indicem, ſub tit. CRELLIVS. Ex Anglia in Belgium rediiſſe veri ſimile eſt, ibidemque typis exſcribi curauit librum, cui titulum fecit: *Cogitationum nouarum etc.* Inde in Germaniam rediit, Berolinumque repetiit, quo loco a Bibliopola REINIERIO LEERS commendatitias exhibuit ANCILLONIO, qui eum humaniſſime excepit. Vid. Epp. BAILII, T. II. p. 791. I. C. DIPPELIVS PFAFFIO aliquando retulit, quod Berolini CRELLIVM diſputando ad ſilentium redegerit. Vid. PFAFFII *Introd. in hiſt. theol. liter.* P. II. p. 334. Poſtea Koenigswaldae iterum per aliquot annos commoratus, ibidem miniſterio eccleſ. inter Antitrinitarios Marchicos et Sileſiacos praefuit, quo loco ab anno 1710. aliquot epiſtolas ad LA CROZIVM dedit, nimirum a. 1710. 20. Nouembr.

 1718.

1718. 25. April. 1724. 16. Octobr. 1725. 21. Ianuarii, quae *Thesauro epistolico* LA CROZIANO, T. I. p. 89. seqq. insertae leguntur. Koenigswalda Berolinum non numquam accessit, ibidemque cum eruditis, LA CROZIO praecipue amicitiam contraxit. Cum in Academia Halensi sub Rectoratu STRYCKII in ciuium academ. numerum suscipi voluerit, id ipsi denegatum est.

Circa finem anni 1725. iterum ad Anglos migrauit, teste BAYLIO in Opp. T. IV. f. 874. vbi *initium Euangelii Ioannis* in lucem emisit, et a. 1727. exeunte mense Aprili Londino in Belgium se contulit. Vid. *Thes. epist.* LA CROZIANVS, T. I. p. 105. Eodem anno 1727. d. 17. Iulii Amstelodamo ad LA CROZIVM l. c. p. 102. scribit: "Iam mihi hic sedes figenda est, ob rationes id exigentes, quamquam non adeo libens relinquo Germaniam et admodum inuitus, tua eruditissima humanissimaque conuersatione carebo. Ex hoc loco aliquot ad LA CROZIVM dedit litteras l. c. Tomo I. insertas.

Compluribus CRELLIVS, in Anglia potissimum et Belgio patronis vsus est, et inter hos, praeter illustr. comitem *Schaftsburium*, Bibliopola famigeratissimo REINIERIO LEERS, BAYLIO aliisque. Exstat in Epp. BAYLII vna ad CRELLIVM in Opp. T. IV. fol. 873. (Epp. BAYLII T. III. p. 1086.) quae testimonio est, quanti eum fecerit, quaeque simul quaedam ad eius historiam spectantia exponit, ideoque illam hoc loco inserendam iudicamus.

*Vir Clarissime!*

"Imparem me agnosco agendis gratiis, quotquot debeo pro tam luculentis atque copiosis obseruationibus collectionibusque circa *Rocos*, quibus me locupletasti. Conabor earum opera, elucidare hoc argumentum historicum, in supplemento Lexici mei, (cuius impressio necdum

scio

ſcio quando inchoabitur) nec praetermittam frui ſubſidiis, quae adnexa eſſe voluiſti, egregia ſane, et quae virum ſubacti ingenii ac iudicii redoleant; quae non adulandi animo dico, ſed ex ſincero teſtimonio. Pergratum mihi fuit, Vir Illuſtriſſime, talem accipere notam amicitiae diligentiaeque tuae, ſed pudet ac piget, non adeſſe mihi occaſionem, animum opera quadam teſtificandi; libentiſſime acciperem, ſi qua ſe offerret.

Fratrem tuum, dignum ſane ſuo nomine, (PAVLVS is eſt CRELLIVS) audio Cantabrigiae verſari, et in optimarum artium vberiori cognitione comparanda gnauiter laborare. Hinc eius Patroni, praeſtantiſſimi Comitis, (*Mylord* SHAFTSBVRY) amori erga antiquam litteraturam ingens accedet commodum.

Salutem plurimam tibi dicit LEERSIVS noſter, omniaque fauſta precatur. Idem eſt meum votum ferventiſſimum. Vale, Vir Clariſſime, et me amare pergito,

Tui Studioſiſſimum

*Roterod.* 21. *Iunii* 1706. BAYLE."

Verſatus quoque eſt in Anglia cum GRABIO, cui frequentes cum CRELLIO intercesſerunt ſermones, quique faciles probosque hominis mores laudabat, et inſigne inueſtigandae antiquitatis ſtudium, finem vero et ſcopum praefixum mirum quantum teſtabatur. Vid. Io. CHRISTOPH. WOLFFII epiſtola ad LA CROZIVM data Hamb. 1716. d. 6. Octobr. *in theſ. epiſtol. La Croziano*, T. II. p. 131. Idem WOIFFIVS ſe audiuiſſe narrat, *Clar.* HVDSONVM ab aliis edoctum, quas partes ſequeretur CRELLIVS, eum a Bibliothecae Bodleianae forulis arcuiſſe, veritum ſcilicet, ne ad SANDII exemplum eius codicibus acceptum aliquando ferret, quod peſſimae cauſſae incruſtandae et ornandae idoneum putabat. ISAACO quoque NEVTONIO CRELLIVS

acceptus fuit, qui longum aliquando cum eodem colloquium inſtituit et abeunti donum inſigne exhibuit. Tantos ſibi patronos atque amicos conciliauit, et morum comitate et ſingulari eruditione. A teneris enim operam nauauit tum litteris S. quam profanis, inprimis antiquitatibus ſacris et hiſtoriae eccleſiaſticae.

In Germania magni eum fecit LA CROZIVS, cuius ad illum ſcriptae epiſtolae VIII. id teſtantur *in Theſauro epiſt. La Croziano*, Tom. III. N. 53-60. p. 108-116. Nunquam tamen intermiſit LA CROZIVS in hiſce epiſtolis ſuum CRELLIO teſtari diſſenſum, imo dolorem ex placitis illius paſſum. Ita in epiſtola IV. ſcripta 1727. menſe Aprili l. c. p. 113. ſcribit: "Nihil miror ARTEMONIVM a me diſſentire: iam enim animi eius ſenſus intimos noui, qui vtinam nihil eius aeternae ſaluti noceant, quod ex animo voueo. Eum enim amo, et egregias eius animi dotes magnifacio. Plura ea de re inter nos confabulabimur, cum huc redieris, nam vix arbitror te perpetuo in Batauia futurum, etſi id adſirmare videaris." In epiſtola quinta, ſcripta 1729. 20. Iunii ead. pagina ita LA CROZIVS: "Defenſionem tuam (Vid. inter ſcripta eius N. 10.) deferri curaui in Bibliothecam Regiam, de qua defenſione hic iudicium meum non interponam: quid enim id curares? Animus eſt modo, quidquid vitae ſupereſt, pacifice tranſigere. Me vero tui miſeret, qui bonum ingenium et eruditionem minime vulgarem conſumis in imminuenda maieſtate Seruatoris noſtri. Scio tibi aliter videri; at velim cogites, in eiusmodi ſtudio de ſalute aeterna agi, cuius iacturam rerum omnium maxime formidabilem eſſe cenſeo. - - - In ſententia mea orthodoxa firmus et conſtans ero vsque ad mortem: nec tamen diſputabo aut rixabor. Veritas religionis ita certa eſt apud me, vt nulla muta-

mutatione ſacri textus, nulla etiam ſophiſtica obiectione conuelli poſſit." In epiſtola ſexta l. c. p. 114. ita inquit: "Te ſemper amaui et inuito ſententiarum in rebus grauiſſimis diuortio, pro homine bono et moderato habui. Vtinam, cum talis ſis, noſter eſſes. Id forte erit aliquando, quod precor ex animo Deum O. M. vt quam primum faciat. Tunc erit gaudium in coelo et in animis amicorum tuorum, inter quos primum fere mihi locum, quodam iure meo flagito. In epiſtola ad MOSHEMIVM d. 6. Non. Octobr. 1718. data, CRELLIVM LA CROZIVS adpellat hominem, quo, ſi haereſin immedicabilem demas, nihil melius, nihil ſedatius eſt; additque eumdem Berolinum nonnunquam veniſſe e ſeceſſu quodam ſuo, ſeque adire ſolitum fuiſſe.

Quod ex honorario, ſcriptis ſuis, quibus inclaruit ſibique inter Socinianos Doctoris locum acquiſiuit, a Librariis ſtatuto maxima ex parte vitam ſuam ſuſtentauerit, nobis probabile admodum videtur. Sunt vero omnia, quae in lucem emiſit opera, eruditionis ac ſtudii literarii non vulgaris laude minime defraudanda. Obiit CRELLIVS Amſtelodami a. 1747. d. 12. Maii anno aet. 87. In *nouis litterariis Hamburg.* 1747. p. 703. narratur, quod circa vitae finem errorum ſuorum ipſum poenituerit, huiusque poenitentiae non ſimulatae haud obſcura dederit documenta, quod PAVLO BVRGERO, Archidiacono Herſpruccenſi in iisdem nou. publ. Hamb. 1748. p. 345. eam ob cauſſam veri haud abſimile videtur, quia ſibi Amſtelodami degenti CRELLIVS a. 1731. oretenus teſtatus fuerit, in colloquiis cum Celeb. SCHAAFIO Lugdunenſi inſtitutis, quaedam placita, iam ſibi dubia reddita eſſe, adeo vt iam anceps circa eadem haereat. Sed in iisdem nouis 1749. p. 92. et p. 480. certiores red-

dimur: CRELLIVM ad vltimum vitae ſuae halitum perſtitiſſe Vnitarium, quod etiam frater ipſius, PAVLVS, mihi coram pluribus vicibus teſtatus eſt. Fruſtra igitur ex Herrenhuthanis ALETOPHILVS TACITVS, qui eſt RICHTERVS medicus, CRELLIVM ſectae ſuae vindicare adnititur, in ſcripto, cui titulum fecit: Gedanken über die vielen die Herrenhutiſche *Vnion* betreffende Streitſchriften, 1749. 8. Quamuis facile nobis perſuaderi patiamur, quod per XI. annos cum Herrenhuthanis conuerſatus et colloquutus fuerit, horum coetui externe adhaeſerit, eorumque ſermones publicos per vltimum vitae ſuae biennium audiuerit, quod idem RICHTERVS perhibet. Vid. *Noua publ. Goetting.* 1750. EBERH. HENR. DAN. STOSCHIVS, in *hiſtoria recentiſſ.* ſec. XVIII. quae P. E. IABLONSKII *hiſt. Eccl.* Tomum III. conſtituit p. 424. inquit: "Memini CRELLIVM, cum eum *Amſtelodami* a. 1742. inuiſerem, et multus inter nos de variis religionis chriſtianae capitibus ſermo eſſet, animo paulo commotiori teſtatum eſſe, ſe SOCINI placita non ſequi, quin potius toto corde ſatisfactionem Ieſu Chriſti, *eo ſenſu, quo Remonſtrantibus docetur*, credere, ſibique perſuaſum eſſe, omnes aliquando homines in I. C. ſaluandos, et inferni poenis liberandos eſſe. Addebat, ſe certo ſcire, paucos, vel nullos proprie dictos Socinianos nunc quidem dari." In Io. CHRISTOPH. STRODTMANNI *Europa litter. noua*, T. I. p. 283. ita ipſe CRELLIVS ſcribit: Ich habe allezeit unter den *Vnitariis* von Chriſti Verſöhnungsopfer, ſo als die Remonſtranten, ohne Widerſpruch gelehret, es iſt auch von ihnen dem von mir edirten Unterricht (vid. ſcripta N. 14.) nicht widerſprochen worden.

Procreauit in matrimonio SAMVEL STEPHANVM et IOSEPHVM, qui ambo vxorati ſine maſcula prole in *Georgia*, noui orbis Colonia, auſpiciis Magnae Britanniae Regis

fun-

fundata, vitam fortaſſis adhuc trahunt. STEPHANVS ibidem *Iuſtitiarius pacis* eſt, quo titulo Angli eiusmodi officiales inſigniunt. IOSEPHVS eodem loco ex agricultura vivit. Fuere quoque SAMVELI duae filiae, quarum altera THEOPHILA I. A. LEDDIO, Doctori Med. nupta, altera DOROTHEA caelebs vixit; vtraque patri moribundo Amſtelodami adfuit, quod ex relatione PAVLI CRELLII cognoui.

Quae vel peculiaria CRELLII fuerint placita, a Socinianorum diſciplina diuerſa, vel quae cum his communia habuit, ipſe quodammodo et ex parte (plura enim ſcriptorum ipſius recenſio docebit) exponit, in epiſtola ad amicum, quae legitur in *Theſ. Epiſt. La Croziano*, Tom. I. p. 110. quam hiſce inchoat verbis: "De titulo fratris non ſuccenſebis, puto, quandoquidem etiam *reu.* ABADIE, acerrimus licet Vnitariorum antagoniſtes, et quo nemo fortius SOCINVM aggreſſus eſt, SOCINI tamen aſſeclas fratres errantes vocare non dubitat, initio operis *de diu. Chriſti.* Iam vero ſcis, me SOCINVM, qua SOCINVS fuit, id eſt, ab aliis diuerſa excogitauit, plane deſerere. In dogmate de vno Deo Patre conſtanter perſiſto. Quoad alia diuerſarum partium orthodoxis communia, cum orthodoxis ſentio, aut ad eos propius accedo. MAHOMETIS doctrinam non ego tantum, verum etiam, qui SOCINVM ſtricte ſequebantur, ſemper ſunt deteſtati et abominati. Nec video, quomodo ii, qui Chriſtum non Prophetam ſolummodo aliis excellentiorem, ſed Dominum coeli et terrae, Deo Patri, quantum fieri poteſt, coniunctum, imperiique eius reapſe participem, credunt, magis quam alii Chriſtiani Mahometiſmo obnoxii fieri poſſint. Fateor, illa Vnitariorum monſtra, quae Chriſtum inuocandum eſſe inficiantur, aut tantum pro propheta fere in regno demum millenario regnaturo habent, facilius eo inſaniae delabi poſſe.

Vt de NEVSERO dogmatis iſtius impii parente refertur. Parente inquam, FRANCISCVS enim DAVIDIS eo adhuc tempore, quo cum GEORGIO BLANDRATA GEORGIVM MAIOREM profeſſorem Wittenbergenſem refutabat, Dominum Ieſum inuocandum eſſe ſtatuebat, vt ex iſto opere non vno indicio conſtat. NEVSERVS vero non obſcure ſibi dogmatis huius inuentionem adſcribit, adeoque etiam FRANCISCVM illum ſeduxiſſe videtur. Imo potius orthodoxi in caſtra Turcarum non raro, et Iudaeorum quandoque, tranſeunt recta, nec id facturi ad SOCINVM prius diuertere opus habent. Cum e contra nullo, quod ſciam, exemplo conſtet, SOCINI aliquem in Chriſto inuocando aſſeclam ad Turcas vnquam defeciſſe, ne tunc quidem, cum e vicina Turcis Polonia anno 1658. et 1660. pellerentur. Et quomodo ad Turcas deficere facile poſſent, qui Dominum Ieſum, qua publice qua priuatim, teſtibus libris precum et orationum, quos in lucem diuerſo tempore ediderunt, inuocant, vt impuri *Mahometis* doctrinam abominabilem quantocyus aboleat? Sed num filium meum Halam dirigere debeam, dubito: Niſi enim ad menſam communem ſtudioſorum admittatur, ibi ſubſiſtere non poterit ob rem anguſtam domi, ſi numerum ſpectes, ampliſſimae. Iam vero tot filii familias alii aliis ſuccedentes pani iſti inhiant, eumque occupant, vt vix ſpes ſuperſit, poſſe eo aliquando veſci catellos."

Et in epiſtola ad LA CROZIVM l. c. T. I. p. 103. "Sane nihil fere noui re ipſa excogitaui. SOCINI Chriſtolog. ex antiquitate eccleſiaſtica vnitaria correxi, ſublimiorem ac moderatis orthodoxis paulo acceptiorem, ni fallor, reddidi, theologiamque Chriſtianam in eum ſtatum reducere conatus ſum, in quo mihi fuiſſe videtur, cum IVSTINVS MARTYR innouare inciperet. Vtinam eo reuerterentur laſſa-

lassati tot difficilibus de S. Trinitate conceptibus et disquisitionibus Theologi. - - - Abscindantur modi loquendi ab hominibus inuenti, missas faciamus voces istas, hypostasis, (Metaphysico sensu) tres personae, generatio, processio ab aeterno, communicatio idiomatum, personalis vnio etc. non vrgeamus nec obtrudamus proximo res, quas non intelligimus ipsi, et quas in scriptura proponi non videt, remanebit nobis theologia etiam rustico et idiotae cuiuis intelligibilis, nempe Deus ille Pater, et homo Christus Iesus, Deo Patri intime et inseparabiliter vnitus, et Sp. Sanctus a Patre et Filio procedens, id est, immediate mandata et instructiones accipiens, quem solus Pater et Filius ad nos mittunt ac expediunt. - - - Abscindantur, inquam, istae voces quas Spiritus S. non pronunciauit, et dogmata illa non obtrudantur aliis, habeamus autem charitatem Christianam vt granum sinapis; quam facilis tunc erit vnio, (et tolerantia ecclesiastica) ATHANASII cum SOCINO a me reformato atque correcto? Sed Platonicus ille Logos aut Arianicus exuconticus creatus ante mundum et cum filio hominis absque anima humana in vtero Mariae prodigiose, fataliterque coniunctus, in Vtopiam, vnde prodiit, omnino relegandus erit." A SOCINO denominationem CRELLIVS quacunque occasione declinauit, cum non in omnibus SOCINO calculum suum dederit. Quamvis in Vnitarismo suscipiendo ac defendendo Socinianis in genere conferendus sit; in specie tamen *Artemonitarum* placita adsciuit, de iisque iudicauit, totum terrarum orbem iisdem suum aliquando assensum praebiturum, quod Deus auertat. Speciem prae se tulit, desiderio conuictionis de veritate orthodoxa se flagrare. Hinc quoque cum aliquando Halam Saxonum transiret, sibi a *Ven. Facultate Theologica* expetiit colloquium instituendum, quod etiam de dicto

cto Io. I. habitum, tali fucceffu, vt omnes praefentes de effentiali Chrifti deitate confirmati fuerint. Vid. Praefatio PAVLI ANTONII *Colleg. Harm. Euangel.* T. II. praemiffa.

Multis eundem aliquando lachrymis teftatum effe legimus, fummo fe exinde adfici dolore, quod opinione fua de Chrifto fufcepta femet abdicare nequeat. Vid. MOSHEMII *fyntagma diff. ad fanct. difcipl. pertinentium*, p. 357.

Inter fingulares eiusdem opiniones referenda illa quoque eft, qua ftatuit de corporibus illorum, qui cum Chrifto furrexerunt, quod perfecta non fuerit ifta refufcitatio, fed corpora tantum fanctorum quorundam refufcitata, et in vrbem Hierofolymam deducta, deinde vero in fepulchro rurfus repofita, animas vero in coelum delatas effe. Vid. Io. AVG. DIETELMAIERI *hift. dogmatis de defcenfu Chrifti ad inferos*, edit. 2. §. 170. feqq.

SCRIPTA:

1. *Obferuationes in* D. PHIL. IAC. SPENERI *concionem de aeterna generatione I. C.* lingua germanica. Prodierat SPENERI concio fub tit. Die ewige Geburt des Sohnes Gottes, aus dem Wesen des Vaters, Berol. 1694. 12. pl. 3. Ad defendendam concionem aduerfus CRELLII obferuationes, SPENERVS edidit librum folidiffime concinnatum: Vertheidigung des Zeugniffes von der ewigen Gottheit U. H. J. C. als des eingebornen Sohnes vom Vater, Francof. ad Moen. 1706. 4. Alph. 5. pl. 11. cum praefat. D. PAVL. ANTONII. Vid. *Relat. innoc.* 1706. p. 620.
2. *Tractatus tres; quorum qui prior* ANTE-NICENISMVS *dicitur; is exhibet teftimonia patrum Ante-Nicenorum: In quibus elucet fenfus Ecclefiae Primaeuo-catholicae, quoad articulum de Trinitate. In fecundo breuis refponfio ordinatur, ad* D. G. BVLLI *defenfionem Synodi Nicenae.*

*nae. Auctore* GILBERTO CLERKE, *Anglo. Argumentum postremi: Vera et antiqua fides de diuinitate* CHRISTI, *explicata et asserta, contra* D. BVLLI IVDICIVM ECCLESIAE CATHOLICAE *etc. Per Anonymum. Anno Domini* 1695. 8. pagg. 184. In Anglia impressum esse librum valde rarum, ocularis inspectio docet. Diuersitas quidem styli suspicandi rationem suppeditat, diuersos trium horum tractatuum esse auctores; SAMVEL CRELLIVS tamen vnus idemque illorum scriptor est; nisi forte praefatio ab alio quodam praemissa fuerit. Nec secundi tractatus auctor est GILB. CLERKIVS, quod titulus venditat, qui haud paucos ad eundem errorem seduxit. Qui primum titulum generalem praefixit editor, CLERKIVM auctorem esse falso putauit; idem quoque auctorem tertii in ordine tractatus ignorauit prorsus. Haud pauci, v. g. PFAFFIVS *in theol. litter.* P. I. p. 310. VOGTIVS *Catal. libr. rar.* p. 35. STOLLIVS *in hist. Biblioth. suae*, p. 453. aliique complures CLERKIVM primi ac secundi tractatus auctorem reputarunt, hac in parte corrigendi, nec vllus vitae CRELLIANAE scriptor, notante BAVMGARTENIO *in Recens. Biblioth. Hal.* T. III. p. 548. huius scripti in eadem mentionem fecit.

Sunt hi tres tractatus antea separatim a CRELLIO editi, et a quodam anonymo in hoc volumine collecti, quoad argumentum sui similes, quorum PRIMVS hunc specialem prae se fert titulum: ANTE-NICENISMVS, *siue testimonia Patrum, qui scripserunt ante concilium* NICENVM, *vnde colligi potest sensus Ecclesiae catholicae, quo ad Articulum de Trinitate. Cosmopoli. Anno* 1694. Praefatio lectoribus significat, omnes coetus a Christo nomen habentes ad consensum patrum prouocare, exceptis Socinianis, qui soli S. scripturam testem compellant.

lant. Succeſſu temporis in cerimoniis aeque ac doctrinae capitibus, varios in Eccleſiam Chriſti irrepſiſſe errores, veritatem diuinam inquinantes; nimirum *callido ſerpente in myſterium Trinitatis ipſum ſe inſinuante, vt credulam mulierem a ſimplicitate fidei transuerſam abriperet, et ſic Chriſtus, eſſentiae ſuae ratione homo tantum, vileſcere coepit.* Vnitarios immutabili fide confiteri, quod homo Ieſus, propter ſupernaturalem natiuitatem ex Maria, ſingularem Dei amorem, ſanctificationem et miſſionem ab eodem et reliqua attributa, vnigenitus Dei ſit Filius; nec homo vilis, adeoque hos aduerſus antiquos patres adeo pugnare, *qui Chriſtum induebant, vt Platonem non exuerent.* Homouſianos non eandem ſemper fidei confeſſionem tenuiſſe, ſed ante concilium Nicenum diuerſa ab iis ſenſiſſe, qui poſt illud eccleſiae praefuerunt, in ipſo autem concilio cum detrimento verae doctrinae pro obtinendis commodis ſecularibus pugnatum eſſe. Magno teſtimoniorum numero auctor euincere conatus eſt, omnes eccleſiae patres ante ſeculum quartum, nimirum CLEMENTEM ROM. et ALEXANDR. IVSTINVM M. ATHENAGORAM, ORIGENEM, IRENAEVM, TERTVLLIANVM, NOVATIANVM, CYPRIANVM, ARNOBIVM, LACTANTIVM et EVSEBIVM Chriſtum a Deo diſtinxiſſe, ipſumque pro homine ſingulari, ſimul autem pro Dei filio propter varias ipſi conceſſas praerogatiuas habuiſſe; his patrum teſtimoniis explicatione variorum S. ſcripturae locorum, idem (vt auctor putat) probantium, pondus addere arbitratur. Tandem 34. argumenta in medium profert, quibus orthodoxam doctrinam impugnat, Socinianam vero defendit, et circa finem quinque allegat rationes, ex quibus intelligi poſſit, cur Socinianorum coetus maiora non coeperit incrementa.

SECVN-

SECVNDVS operis huius tractatus hoc titulo insignitus est: *Breuis responsio ad Domini* D. GEORGII BVLLI *defensionem Synodi* NICENAE. *In qua praecipua capita defensionis refutantur. Anno Domini* 1695. TERTIVS vero hoc indice notatur: *Vera et antiqua fides de diuinitate* CHRISTI *asserta, contra D.* D. G. BVLLI *iudicium ecclesiae etc. per Anonymum. Anno Domini* 1695. De auctore ita editor inquit: "Auctor huius tractatus quis sit, ego qui scire maxime vellem, nescire possum; qualis autem quantusque satis manifesto apparet, profecto ecclesiasticae litteraturae, limati iudicii, aequissimae mentis, mitissimi ingenii laudem, sibi cum paucis communem ex hoc ipso opere facile consequetur. Argumentum et forma huius cum primo tractatu in quam plurimis conuenit; in eo tantum diuersus, quod simul ad BVLLI defensionem auctor respondeat, nouoque fulcro Socinianum systema muniat. Ad hoc scriptum CRELLII ipse BVLLVS respondit in animaduersionibus in CLERKIVM, quae in eius operibus exstant. Vid. CLEMENT *Biblioth. curieuse histor. et critique*, T. I. p. 360.

3. *Fides primorum christianorum ex* BARNABA, HERME, et CLEMENTE ROMANO *demonstrata; defensioni fidei Nicaenae* D. GE. BVLLI *opposita. Auctore* LVCA MELLIERO, *V. D. M. Londini* 1697. 8. Prodiit D. GE. BVLLI *Defensio fidei Nicenae de aeterna diuinitate F. D. Oxonii e theatro Sheldon.* 1685. 4. *et* 1688. 4. *Amstel.* 1686. 4. Vid. *Acta Erud.* 1688. p. 647. Caussam BVLLI defendendam suscepit aduersus CRELLIVM, IO. ERN. GRABIVS in notis ad BVLLI opera; de quo GRABII opere SAM. CRELLIVS satis tenue iudicium tulit in epistola ad LA CROZIVM scripta l. c. T. I. p. 93. inquiens: "Quid solidi Cl. GRABIVS, GEORGII BVLLI defensor, reposuit

LVCAE

LVCAE MELLIERO, BARNABAM, Seculi I. ſcriptorem, praeexiſtentiam Chriſti minime crediduiſſe, et verba illa Dei: *faciamus hominem*, myſtico propheticoque ſolummodo ſenſu, ac nouae creationis tantummodo reſpectu, Filium Dei, ex mente BARNABAE, reſpicere, euidentiſſime probanti? Quid oppoſuit explicationi loci illius apud HERMAM: Filius Dei omni creatura antiquior eſt, adfuit enim Patri in conſilio ad condendam creaturam. - - - Quid inquam oppoſuit inter cetera, vix reſponſione digna. etc."

4. *Cogitationum nouarum de primo et ſecundo Adamo, ſiue de ratione ſalutis per illum amiſſae, per hunc recuperatae, compendium. Amſtel. apud Irenaeum Aſpidium* (*). *Anno Domini* 1700. 8. pagg. 184. De hoc libro, cuius argumentum in *act. erud. ſupplem.* T. III. p. 489. exhibetur, ita REIMANNVS *in Catal. Biblioth.* p. 670. inquit: "Notanda in hoc libello hypotheſium nouarum fragilitas, argumentorum, ex libris Apocryphis interdum et dictis S. S. corruptis petitorum, vanitas, paradoxorum cumulus et manifeſtum Socinismi ſtudium. Quare hoc Neo-Syſtema magis ad nouum diſſidium in Eccleſia excitandum, quam ad harmoniam vniuerſalem in ea parandam eſt accommodatum, quam tamen auctor in praefatione ſcribit, ſe pro ſcopo habuiſſe." Voluit nimirum in lucem proferre ſyſtema quoddam Theologiae dogmaticae, quibusdam indubitatis ac vniverſalibus principiis ſuperſtructum, quod quidem non omni emendationi exemtum iudicat, interim tamen aliis occaſionem et incitamentum ſuppeditare poſſit, magis perfectum et emendatum aliquando concinnandi.

In

(*) Sub hoc nomine celeberrimum Bibliopolam REINIERIVM LEERS latere, cum quo CRELLIVM familiariſſime vixiſſe conſtat, pluribus comprobatum videtur.

In id ſtudium ſuum conuertiſſe perhibet, vt coetuum chriſtianorum concordia reſtitueretur, quod vero ad lites amplificandas omnino comparatum eſt.

Vniuerſam Anthropologiam his ſuperſtruxit principiis: 1) Deum O. M. cum hominem in ſtatu innocentiae conditurus eſſet, immutabili lege conſtituiſſe, peccatores morte aeterna illico plectere, eosque ſtatim omni vita priuare. 2) Conſtituiſſe etiam, vt parentes noſtri primi, ſi in obedientia perfecta absque transgreſſione legis perſiſterent, liberos ſuos in ſtatum vitae, absque vlla morte propagarent. Ex his omnes articulos fidei deducendos eſſe arbitratur.

Omnis tractatio quinque abſoluitur partibus. In *prima* agit *de lapſu Adami et promiſſione Redemtoris.* §. XI. ita inquit: "Adamus ante lapſum probationis ſuae periculo nondum abſoluto arborem illam vitae non deguſtauit, imo neque eam videbat, oculi eius ab ea, non minus atque a nuditate corporis ſui videnda, miraculoſo ſpiritu erant detenti; ne turpitudine ſua in ſtatu innocentiae homo ſapientiſſimus aliquo modo turbaretur." §. XXXII-XXXVI. Methodo quidem Mathematica, ſed ex falſis principiis auctor ſtabilire nititur: ADAMVM grauius prae EVA delictum commiſiſſe, hinc quoque EVAE leniorem dictatam eſſe poenam. Quod enim ſubiecta fuerit viri dominio et partus doloribus, id ſane incommodum non per totam vitam ſenſit, cum ADAMVS vitae incommodis et moleſtiis ſemper obnoxius fuerit. Hinc quoque EVAM poſt lapſum ius liberos ad vitam aeternam procreandi retinuiſſe; quia vero in hunc finem marito carere non potuit, ideo Deus propter EVAM, ADAMVM quoque mortis ſententia abſoluit. Hinc ADAMVS eam matrem viuentium ſeu

vitam חוה, ſui et liberorum ſuorum reſpectu habito, appellat. EVAM poſt lapſum in Paradyſo, ADAMVM vero extra illam habitaſſe; EVAM, quoties opus ſibique viſum fuerit, ad illum iuiſſe, qui liberos ad mortem genuerit. Quapropter per *vnum* hominem, mortem in mundum ingreſſam dici. Poſtea vero EVAM ſemet impietati tradidiſſe, ſicque mortis aeternae ream feciſſe, quo ipſo vero liberos ſuos morti obnoxios nequaquam fecit, *quia Deus nullum tale poſt lapſum hominis condiderat decretum, vt vel peccata parentum poſt illum primum lapſum commiſſa, liberos ad aeternum damnaret interitum, vel ſola eius temporis pietas parentum in coelo collocaret. Pars ſecunda agit de liberatione noſtra per Chriſtum a poteſtate diaboli. Tertia, de ratione paſſionum et obedientiae*, qua totam de Chriſti ſatisfactione tractationem, niti putat hac propoſitione: Quod nos plenarie per Chriſti tentationes a diabolo perpeſſas Deo reconciliati fuiſſemus, ſi ipſi non actualiter, ſed tantum in ADAMO peccaſſemus. *Quarta, de noua creatione*, qua auctor euictum eſſe a ſe ſibi perſuadet: quod ſi homo ſtatim poſt lapſum mortuus fuiſſet, mundum quoque a Deo annihilatum fuiſſe; maledictionem diuinam aduerſus terram hanc enunciatam, nihil aliud ſignificare, quam mundum hunc propter hominum peccata aliquando interiturum, et propter Chriſtum tantum lapſo iam homine, mundum non interiiſſe. *Quinta, de ſacerdotio Chriſti.* Ita §. LIX. ſcribit: "In illo, qui mundum liberare debuit, Deus Pater habitauit et habitat. Hinc quae olim a Deo Patre habitaturo in Chriſto fieri et impleri debebant, recte quoque ipſi Deo Patri in V. foedere attribuuntur. E. g. Adſcendiſti in altum etc. Iſta Chriſto manifeſte ab Apoſtolo tribuuntur; ſed etiam de Deo

Deo Patre in Pſalmo dicuntur, quia ille, quatenus in Filio ſuo habitauit, merito dici potuit, cum Filio ſuo in terra fuiſſe, et vna cum Filio ſuo adſcendiſſe ſupra omnes coelos." In *appendice* adparet: *Conſideratio efficaciae paſſionum et mortis D. N. I. C. in auertendo aeterno interitu et magna poteſtate diaboli ab humano genere;* qui anno 1698. germanice prodiit, iam vero emendatus et in linguam latinam translatus lucem adſpexit. Fuſior libri recenſio legitur in *Act. erud. ſupplem.* T. III. p. 483-490.

Libro huic, praeter alios, qui eius contenta in tranſitu notarunt, et PETRVM SIGISM. PAPE, in libro: Unterſcheid unſerer Evangel. wahren, und der ſogenannten Socinianer falſchen Lehre, Berol. 1717. 4. oppoſuit Lipſienſium Theologus IO. SCHMIDIVS, *Stricturas in cogitationes nouas de primo et ſecundo Adamo.* Lipſ. 1702. 4. et auctor anonymus: Pauliniſche Parification des erſten und andern Adams. Vid. VITRINGAE *Obſeru. S.* ZACH. GRAPII *Theologia rec. controu.* P. II. C. VI. Qu. III. p. 157. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. theol.* T. I. p. 937. DAV. CLEMENT *Bibliotheque curieuſe hiſt. et crit.* T. I. p. 45. VOGTII *Cat. libb. rar.* p. 204. Quae recentiſſimo tempore, occaſione noui Syſtematis Theologiae Dogmaticae a *ven.* TELLERO editi, renouatae ſunt controuerſiae, ad noſtrum cenſum hoc loco pertinere non videntur. Illarum hiſtoria, vna cum verſione germanica ſtricturarum IO. SCHMIDII aduerſus SAM. CRELLIVM, luci publicae expoſitae leguntur in libello, cui titulus: Johann Schmidts kurze Anmerkungen 2c. auf Veranſtaltung und unter der Aufſicht Herrn D. Tellers in Helmſtädt aus dem Lateiniſchen überſetzt. Nebſt einer Geſchichte dieſer Ueberſetzung, einem Beytrag zu einer ge-

naueren Bestimmung der Grenzen der Nachahmung, und Anhang einiger Beylagen. Halae et Helmstad. 1766. 8.

5. *Breuis dissertatio, qua probatur, Coenam Domini non esse signum; vel partem commixtionis et familiaritatis priuatae; adeoque declarationem quorundam, qua profitentur, sese cum diuersa sentientibus, et leges quasdam Christi diuerso modo explicantibus ac exsequentibus, nullam comestione S. Panis commixtionem testari velle, prorsus esse superuacaneam. Amstelodami ex correctorio* SAM. PETZOLDI. Vid. WALCHII *Biblioth. theol.* T. I. p. 298. et 945. Scriptum hoc suum CRELLIVS allegat in epistola ad LA CROZIVM data l. c. T. I. p. 95. inquiens: "Non ego me a vobis segrego, sed vos me, mihique homodoxos a vestra Ecclesia separatis. - - - Inspice, si placet IRENICVM MAGNVM, nescio cuius auctoris, et dissertationem nostram de *Coena Domini* - - vtrumque tractatum retinere tibi poteris."

Huic opusculo, quod equidem doctrinam de S. Trinitate non tractat, attamen caussam Socinianorum ingenere defendit, opposuit GODOFR. OLEARIVS *Diss. theol. de communione per Sacramentum Coenae cum haereticis, maxime Socinianis, dissertationi anonymi opposita. Lips.* 1710. 4. pl. 6. In eadem p. 34-43. tota CRELLII dissertatio adposita est. Vid. infra N. 24. *Dissertatio XV.*

6. *Initium Euangelii S.* IOANNIS *Apostoli ex antiquitate Ecclesiastica restitutum, indidemque noua ratione illustratum. In isto opere ante omnia probatur,* IOANNEM *non scripsisse,* ET DEVS ERAT, *sed,* ET DEI ERAT VERBVM. *Tum etiam tota 18. prima eius Euangelii commata, et alia multa dicta Scripturae S. illustrantur; et non pauca antiquorum Ecclesiasticorum ac Haereticorum*

*loca*

*loca ventilantur ac emendantur.* Per L. M. ARTEMONIVM. PARS PRIOR. *Dicite igitur —, quoniam* IESVS *qui passus est pro nobis, qui inhabitauit in nobis, idem* IPSE *est* VERBVM DEI. IREN. *Lib. I. Cap. I.* ed. GRAB. *anno Domini* 1726. 8. mai. absque loci indicio pagg. 272. praef. et indic. 50. PARS II.

*Felix cui dederit mediocria commoda vitae*
*Notitiamque sui Filius ipse Dei.*

LAELIVS S....

*anno Domini* 1726. 8. mai. a pag. 273-624.

Exemplar quo vtor, donum auctoris fuit, qui manu sua parti II. haec adiecit: *Viro Nobiliss. atque Reuerendo, Domino Tobiae Wilcouio,* (de quo vid. *Hist. Socin. Pruss.*) *affini suo charissimo, mittit auctor librum istum.* Et in alia pagina idem sequentia sua manu adscripsit: *Ad pag.* 278. *lin.* 5. *a fine, post,* FACIENS DEO, *adde: Prout ipse Christus versu statim sequente* 19. *vbi ad istam criminationem Iudaicam respicit ac respondet, vocem* ὁμοίως SIMILITER vsurpans, (HAEC, *inquit,* ET FILIVS SIMILITER FACIT); *eo ipso indicat, se vocem illam* ἴσον *in significatione* SIMILITVDINIS *accepisse.* In libro ipso hinc et inde quasdam voces adiecit, quae vero tanti non sunt, vt exscribere illas opus habeamus. Ven. BAVMGARTENIVS exemplari quoque vsus est, manu CRELLII variis locis correctum et emendatum; ista vero emendatio quam exempli gratia adfert in *recens. Biblioth. Hal.* T. IV. p. 12. 13. in meo exemplari addita non est. Tenet quoque Bibliotheca Viri S. R. THEOD. CHRISTOPH. LILIENTHALII exemplar eiusdem libri paucissimis admodum ab auctore notis distinctum, cui haec verba praeposuit: *Viris Nobilissimis, Domino* STEPHANO *et* THOMAE WIDAVIIS, *vt et Domino* IOANNI SAMVELI

WIDAVIO, STEPHANI *filio*, *doctrinam auitam eiusque incrementum commendat auctor huius libri.* In hoc exemplari, peculiari ſchedula, haec CRELLII manu ſcripta leguntur: *In colloquio Thorunenſi a.* 1644. *in confeſſione Romano catholicorum, verba notatu digna:* Nihil referre, quod aliqui (ſcil. aduerſarii) per ſyllogiſticas conſequentias, propoſitiones aliquas iſtiusmodi (imputatiuas ſcilicet et criminoſas) recte ſe inferre et iuſte alicui imputare exiſtiment: Videndum enim eſſe, cui magis credendum, mihi ne, ſimpliciter, aperte, et in terminis terminantibus propoſitionem neganti, an alteri, per conſequentiam (quam ipſe legitimam eſſe nego) eandem mihi imputanti. Opus hoc LONDINI typis exſcriptum eſſe ipſo adſpectu docemur. Id ipſum auctor teſtatur in epiſtola ad IOACH. LANGIVM ſcripta. Impenſis ac ſumtibus quorundam amicorum et inprimis MATTH. TINDALII prodiiſſe, GOETTENIVS *in erudita noſtrae aetatis Europa*, T. III. p. 284-293. notavit. Sub litteris L. M. nomen fictitium LVC. MELLIERIVS latet, in quo transpoſitis litteris nomen auctoris continetur, quo iam antea edito N. 3. libro latuerat.

Nomine ARTEMONII mutuato id CRELLIVS intendit, vt a ſe odioſum alias Socinianorum nomen hoc ſtratagemate auerteret, quandoquidem ita videri voluit, quod in negatione aeternae Deitatis Chriſti, neutiquam vero in ſatisfactionis per Chriſtum praeſtitae negatione, F. SOCINO adſpiret, quod locum fecit quaeſtioni, an ARTEMONII ſyſtema omni ex parte Socinianorum ſyſtemati ſimile iudicandum ſit? Quodſi ex ſententia CRELLII per ſyſtema Socinianum, vniuerſus diſciplinae, quam efformauit F. SOCINVS omniumque huius coetus errorum ambitus, intelligitur, concedendum vtique eſt, non

omni-

omnimodam esse inter ARTEMONISMVM et SOCINIANISMVM paritatem, maxime cum nobis vniuersa haereseos ARTEMONITARVM forma ita perspecta non sit, vt de toto eiusdem nexu iudicare possimus. Si inter SOCINIANISMVM et ARTEMONISMVM, solo ad impugnatum de S. Trinitate et deitate Christi articulum, respectu comparationem instituimus, nec hac ratione dici potest, quod ARTEMONISMVS idem sit, ac SOCINIANISMVS, cum scriptores de eo, qua ratione ARTEMONIVS a veritate in hoc articulo aberrauerit, non omnes consentiant, nec CRELLIVS sufficientem habeat caussam, suam, quamuis a Socinianorum placitis, diuersam sententiam pro *Artemonismo* venditandi. Quodsi generaliori sensu per Socinianismum intelligi quis velit, quemcunque errorem orthodoxae sententiae in articulo de S. Trinitate et diuinitate Iesu Christi repugnantem, tum vtique dici potest Socinianismo similem esse Artemonismum. Vid. KAPPII *historia Artemonis et Artemonitarum*, Lips. 1737. Intelligi vult CRELLIVS per ALOGOS, (quos Euangelium *Ioannis* caeteraque eius scripta, quae insigniora pro Deitate Christi testimonia continent reiecisse scimus,) *Montanistas*; vid. eiusd. Initium Euangelii *Ioannis* illustratum, p. 88. seq. et p. 409. quem errorem CRELLII perstrinxit WEISMANNVS *in Memor. hist. Eccl. N. T.* T. I. p. 182.

In *praefatione* multum diffusa, quaeque confessionis CRELLIANAE speciem habet p. 4. inquit: "Satis iam diu, et per tot secula, quo sensu Christus sit DEVS, disputarunt, ac acerrime Christiani (sit verbo venia), nonnumquam cum inuicem litigarunt atque pugnarunt; - - - At vero, o boni! dispicite prius, num Christus vllibi in Scriptura S. vocatus sit EXPRESSE Deus, et,

num Spiritus S. eum DEVM cognominari voluerit. Si enim nuspiam eum ita vocauit, prout inter alia, huius libri P. II. C. III. probasse mihi videor; ergo etiam de eius DEITATE, nos loqui, scribere, disputare, contendere noluit. Quodsi véro aliter sentitis, ea tamen per totum librum de hoc argumento dixi, vt prius et ante omnia solide probare debeatis, Christum alicubi in SS. Scripturis DEI titulo EXPRESSE fuisse nuncupatum. Et postquam id solide probaueritis, tunc demum et non ante disquirendum erit, num ARII, an vero ATHANASII, vel SOCINI sensu DEVS sit habendus."

Christo primum post summum Deum, prae angelis coeterisque creatis locum competere, non autem summum illum Deum nec Θεανθρωπον esse, euincere nititur, partim ex testimoniis veterum, partim aliis argumentis, e. g. quia PRIMVS ADAMVS, per quem peccatores facti sumus, Deus et homo non fuit, hinc neque opus esse, vt ALTER ADAMVS, qui nos a peccatis liberavit, Θεανθρωπος sit. De Christi satisfactione, non satis determinate et perspicue loquitur, ita vt dici nequeat, quid certo statuerit, quamuis eandem certo modo profiteatur, ideoque se inter ac Socinianos magnum intercedere discrimen statuat. Ita autem inquit: p. XV. "Vidisti me non esse *Arianum*, nec *Athanasianum*; iam vides nec *Socinianum* esse. Id, quod *Socinismum* ab aliis omnibus in Christianismo denominationibus ac hypothesibus discernit, non est illa doctrina de vno Deo Patre, et de persona Christi, qui demum vi Altissimi in vtero virginis conceptus existere coepit. Huic enim sententiae, ab ipsis temporibus Apostolicis, a LVCA atque MATTHAEO, addicti erant VNITARII, si Arianizantes et Arianos postea exortos, Christi praeexistentiae asser-

afſertores, excipias. Verum illa erronea de iuſtificatione noſtra, de ſacrificio et ſacerdotio Chriſti opinio, Socinismum proprie conſtituit. Craſſam illam de ſatisfactione Chriſti ſententiam, quam nec GROTIVS, nec STILLINGFLETVS defendit, oppugnans FAVSTVS SOCINVS, in alterum extremum fuit delapſus. Sed vir iſte nobiliſſ. et magnanimus, qui ampliſſimos honores et vitae huius commoditates, cum ſua Italia reliquit, vt alibi libere ſentire, et quae vera eſſe putabat, cum aliis communicare poſſet, aliter nunc, arbitror, pro inſigni ſuo acumine, in tanta luce, ſentiret, ſi foret hoc noſtrum fato dilatus in aeuum. Cui me ergo ſectae adcenſebis? Equidem nulli ſum addictus, qui omnes exterminatas eſſe vellem; et in eiusmodi ſocietate Chriſtiana vixi, quae ad menſam Domini, vbi opiniones noſtras neque confitemur, neque abnegamus, admittere parata eſt omnem qui honeſte viuit, ſiue ſit Arianus, ſiue Homouſianus; nam etiam pro iſtis Chriſtus eſt mortuus. Liber tamen iſte meus, in quo laudo ARTEMONITAS, prodit me non cognomine ſolum, ſed re ipſa, eſſe ARTEMONIVM; non enim id vocabuli ab ARTE deriuare debes. [v]

*Partis prioris*, quam tamen poſteriori, melioris ordinis gratia poſtponendam eſſe iudicat, argumentum, ipſe CRELLIVS his verbis exhibet: *Probatur in Euangelii Ioannis Cap. I. Verſ.* I. *non illam lectionem,* DEVS ERAT VERBVM, *ſed,* DEI ERAT VERBVM, *primo ſecundo et tertio adhuc ſeculo Chriſtianismi extantem, quosdam Veteres allegaſſe, atque pro vera Ioannis lectione habuiſſe. Auctores quoque primi lectionis illius* ET DEVS ERAT VERBVM, *loco alterius in Ioannis Euangelium intruſae, quaeruntur ac indicantur.* Haec pars

XLVIII. capitibus abſoluitur. Cum nihil magis cauſſae Socinianae aduerſetur, quam Euangelii IOANNIS exordium, mirandum non eſt, tot a coetus huius propugnatoribus ſuſcepta eſſe tentamina, quibus illud inuertere ac detorquere omnem operam adhibuerunt. Inter quae quoque CRELLII ſtudia referenda, quibus euincere conatur, non legendum eſſe, *Deus*, ſed *Dei erat verbum* (*), quamuis ipſe profiteatur, ne vnicum quidem codicem MSCptum, nec antiquam verſionem, nec allegationem, huic opinioni munimentum ſubſtruere.

*Partis poſterioris*, quae XLVII. capita complectitur, argumentum ita profert: *Oſtenditur etiam ex ipſa S. Scriptura, quae* CHRISTVM, *adoranda licet et inuocanda diuinitate praeditum, Dei et hominum mediatorem nullibi tamen* DEVM *expreſſe vocat, ſed* DEO *innumeris locis contradiſtinguit; oſtenditur et ex* IOANNIS *Euangeliſtae contra* CERINTHVM *ſcribentis ſcopo, Ioannem non* DEVS ERAT *etc.* SED DEI ERAT VERBVM *omnino ſcripſiſſe, et ſcribere debuiſſe; atque ea occaſione, etiam aliis in huius Euangelii initio obſcuritatibus lux non exigua infertur.* Quod CLAVDIVS ALLOBROX iam perhibuerit, in initio Euangelii *Ioannis* legendum eſſe, *verbum erat Dei*, ſub hoc obſeruauimus; videtur tamen CRELLIVS id ignoraſſe, nec opinionem hanc a CLAVDIO mutuaſſe, quippe potius p. 209. MARTINVM CZECHOVICIVM, ſolum veram lectionem, et *Dei erat verbum*, aut mero ingenio, aut in codice aliquo *latino* noui Teſtamenti deprehendiſſe, obſeruauit, quem in *notis ad verſionem polonicam N. T.* ad hunc locum ita ſcripſiſ-

(*) Quemadmodum SAM. CRELLIVS antiquitatis praeſidiis deſtitutus ex Θεος facit Θεȣ, ita quoque Pauli verba Rom. IX. 5. profano auſu ita refinxit: ὧν ὁ ἐπὶ πάντων, Θεὸς, pro ὁ ὢν ἐπι πάντων Θεος.

ſcripſiſſe adfert: "*Quodſi hoc loco adeo clare prout quidam exiſtimant, filius Dei vocatus eſſet* DEVS, *vt nec veteres patres de eo dubitarent, aut aliud quid obſeruarent, ecquid ergo neceſſe erat alia conquirere argumenta, quibus rem ſuam contra Arianos probarent? Vnde et hoc patet, quod Ioannem ſcripſiſſe oporteat*, ET DEI ERAT ILLE SERMO; *quemadmodum et in Apoc. XIX.* 13. *et in illo hymno: Veni Redemptor; vbi ita extat*, VERBVM DEI FACTVM EST CARO, et non, DEVS VERBVM. *Quemadmodum etiam in quibusdam veteribus latinis codicibus reperitur, vbi extat*, DEI, non DEVS.

Ad calcem partis poſterioris *IV. Diſſertationes* adtextae ſunt, 1) De loco Mich. V. 2. et egreſſus eius a principio a diebus ſeculi, qua confirmantur dicta p. 74. 382. 409. 2) Qua probatur, veteres Chriſtianos et haereticos quosdam, ſeculo I. II. IV. et VI. credidiſſe, quod Chriſtus in principio Euangelii, poſt ſuam ex Maria natiuitatem, et ante ſuam mortem, in coelum adſcenderit, atque inde deſcenderit. 3) De dicto Hebr. I. 10-12. In principio tu Domine terram fundaſti etc. pertinens ad pag. 283. 4) Qua demonſtratur, dictum illud Ioan. VIII. πριν Αβρααμ γενεσθαι, εγω ειμι, non niſi ſenſu SOCINI explicari poſſe; ad maiorem confirmationem aſſertionis noſtrae, Chriſtum non fuiſſe realiter in principio veteris creationis apud Deum. In epiſtola ad LA CROZIVM l. c. T. I. p. 105. ipſe auctor quaedam corrigenda in libro ſuo exponit, e. g. quae de ANDR. OSIANDRI *harmoniae Euangelicae* Libris IV. p. 545-547. ſcripſerat; item p. XXII. Praefationis etc. Imo et alia non parui momenti habuit, nec pauca ad librum ſuum addenda, ſi ſecunda eius editio prodiret; quae vero non comparuit.

Opus

Opus hoc amplam quidem auctoris eruditionem, insignem literaturae, veteris maxime et iudicii promti copiam, cum modesta placitorum suorum defensione monstrat; non minus tamen eiusdem temeritatem atque audaciam in corrumpendis veterum scriptorum phrasibus, nimiamque diuinationum suarum aestimationem comprobat. Plures hinc excitauit aduersarios nec immerito, qui ipsius molimina irrita fecerunt, eiusque vel commenta, vel coniecturas refutarunt, quos magno numero allegauit GOETTENIVS l. c. T. III. p. 295-303. Inprimis (praeter IACKSONVM, de quo N. 7.) commendandi: 1) IO. PHIL. BARATERIVS, iuuenis XIV. annorum eruditissimus, qui ANTI-ARTEMONIVM, *seu Initium Euangelii S. Ioannis Apostoli ex antiquitate ecclesiastica aduersus iniquissimam* L. M. ARTEMONII *Neophotiniani criticam vindicatum atque illustratum etc. Norimb.* 1735. 8. Alph. 1. pl. 14. in publicam lucem emisit. 2) IO. FRANC. BVDDEVS in *commentatione* inscripta: *Verbum Deus, Ienae* 1728. et in libro *de Ecclesia Apostolica.* 3) IO. CHRISTOPH. WOLFFIVS *in Examine locorum quorundam in Pauli epistolis, quorum receptam lectionem* L. M. ARTEMONIVS *in initio Euangelii Ioannis restituto infeliciter sollicitauit;* insertum eiusdem *Curis* in IV. priores *Pauli* epistolas, p. 792. 4) IO. LAVR. MOSHEMIVS Diss. *de raptu Christi in coelum, in syntagm. dissert. ad sanctiores disciplinas pertinentium,* p. 333. seqq. 5) PET. WESSELINGVS in libro singulari *Probabilium, Franeq.* 1737. 8. In epistola ad LA CROZIVM scripta Amstel. d. 17. Febr. 1730. l. c. T. I. p. 107. CRELLIVS inquit: "BVDDEO et MOSHEMIO, si viuam et Deus permiserit, respondebo hoc anno, eosque in Artemonio refutando non esse IACKSONO fortiores ostendam, modo typo-

typographum inueniam." Plures, qui CRELLII librum quoad ſpecialiora momenta refutarunt, allegantur in BARTHOLOMAEI fortgeſ. nützl. Anmerk. Coll. I. p. 3. quo loco dictum *Ezech.* XXVIII. com. 1-10. aduerſus CRELLIVM in *Artemonio*, P. II. c. VII. p. 310. et 311. ſolide vindicatur, qui ex eodem adſtruere conatus eſt, quod immortalis cum mortali nunquam hypoſtatice vniri poſſit, quo ipſo diuinitatem Chriſti euertere contendit. Vid. *Nou. Act. Erud. Supplem.* T. III. p. 135. ſeqq. 146. ſeqq. Samml. von A. u. N. Theol. Sachen, a. 1736. p. 761. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. Theol.* p. 941. *Biblioth. Angloiſe*, T. XV. p. 536. *Biblioth. raiſon.* T. III. p. 253. BAVMGARTENII *Recenſ. Biblioth. Hal.* T. IV. p. 5. ſeqq. CLEMENT. *Biblioth. curieuſe hiſt. et crit.* T. II. p. 153. WALCHII *Biblioth. Theol.* T. I. p. 914. et 945. *Noua Acta hiſt. Eccl.* T. III. p. 94.

7. L. M. ARTEMONII *defenſio emendationum, in Nouatiano factarum contra V. Cl.* IO. IACKSONVM. *Accedunt alia ad librum* ARTEMONII *addenda.* Locus quidem in titulo non notatur; prodiit tamen, *Lond.* 1729. 8. pl. 4½. In hoc ſcripto rem ſuſcepit CRELLIVS cum IO. IACKSONIO, qui in editione operum *Nouatiani*, *Lond.* 1728. 8. Alph. 2. pl. 10. librum CRELLII Num. 6. notatum refutare aggreſſus erat. Maxime CRELLIVS aliis perſuadere adnititur, NOVATIANVM prima verba Euangelii IOANNIS ita allegaſſe: ET DEI ERAT VERBVM, haecque poſtea deprauata eſſe. Vid. *Annal. Theol. Decenn.* III. p. 589. *Bibliotheque raiſonnée*, T. IV. p. 285. *Relat. innoc. contin.* 1731. p. 594. Fortgeſ. nützl. Anmerk. Coll. I. p. 3. ſeqq. Scripti huius argumentum ex illis patebit, quae *in hiſt. Anti-Trinit. Anglic.* de Controuerſia *Whiſtoniana* aliquando expoſituri ſumus.

8. *Ex-*

8. *Explicatio loci vexati* 1 *Io. V.* 7. Legitur haec in *Biblioth. Anglic.* T. VII. P. I. p. 271. et sub examen vocatur in MOSHEMII disp. ad locum 1 *Io.* V. Pugnam quoque aduersus CRELLIVM iniit IO. FRANC. BERN. DE RVBEIS in diss. de tribus in coelo testibus, 1 *Io.* V. 7. Venet. 1755. Dissertationi huic suae supplementa addidit in *dissert. variae eruditionis, sub vna capitum serie collectae. Venet.* 1762. 4. Vid. ven. ERNESTI *Biblioth. Theol.* T. IV. p. 323. seqq.

9. *Obiectiones quaedam ad locum* 1 *Io. V.* 7. *et antiquitatem fidei Nicenae de SS. Trinitate spectantes.* Insertae sunt *thesauro La Croziano,* T. I. p. 89. Has maiori ex parte soluit OEDERVS, in epistola ad CHRISTOPH. BRÜCKMANNVM, Pastorem Norimberg. quae adtexta est *Agendis* PETRI MORSCOVII ab illo editis p. 333. seqq.

10. **Christliches Glaubensbekänntniß von einigen** *Vnitariis* **ans Licht gegeben.** Anno 1716. pl. 1. absque loci et auctoris commemoratione. CRELLIVM hasce pagellas concinnasse, nullum plane est dubium, quippe qui non tantum illarum defensionem suscepit; sed se ipsum quoque auctorem profitetur in epistola ad IOACH. LANGIVM data 1740. d. 23. Iulii. Cum haec Vnitariorum confessio improuidos et minus exercitatos facile corrumpere veritatisque brabaeo priuare potuerit, hinc eandem vna cum solida refutatione REINBECKIVS inseruit denen Berlinischen Hebopfern, T. I. p. 851. Aduersus hanc refutationem CRELLIVS publicae luci commisit:

11. **Verthädigung des Unitarischen in denen Berlinischen Hebopfern angefochtenen Glaubensbekänntnisses; oder eine Zugabe zu dem** *X.* **Beytrag derselbigen Hebopfern. Im Jahr 1720.** 8. pagg. 112.

In

In hoc libello exhibentur sequentes tractatuli: 1) Unitarische Anmerkungen über die im zehenden Beytrag der freywilligen Hebopfern Num. I. geschehene Prüfung des von einigen s. g. Socinianern ohnlängst publicirten Glaubensbekänntnisses. p. 3-71. 2) Der erste Anhang und zwar zu dem XVII. §. der Anmerkungen, in sich begreifende die Beweißthümer aus heil. Schrift, daß die im Himmel gebliebene Engel, nicht bald nach dem Falle des Teufels und seiner Engel in dem guten confirmiret, und unveränderlich gemacht worden, sondern erst durch Christum unsern Erlöser, zu dieser grossen Seligkeit gelangen. p. 72-95. 3) Der zweyte Anhang von dem Spruche Rom. IX. 4. 5. wovon bereits droben in den Anmerkungen §. XXIII. gehandelt worden. p. 96-110. 4) Eine Zugabe über dem §. XXIX. nach denen Worten: **Heute habe ich dich gezeuget.** p. 110-112.

Prima pars huius libelli iam antea a. 1718. separatim edita est. CRELLIVS enim in epistola ad *La Crozium* a. 1718. *Koenigswaldae* scripta in *Thes. epist. La Crozii*, T. I. p. 91. ad suam confessionis Vnitariae apologiam prouocat, deque illa dicit, quod peculiari quadam ratione, quae nullam locis scripturae vim adferat, ad illa testimonia pro deitate Christi, responderit, suamque disciplinam aliis testimoniis scripturae superstruxerit. Hoc ipsum quoque CRELLII scriptum sibi IO. CHRISTOPH. WOLFFIVS vehementer expetiit a LA CROZIO, in epistola, *Hamb.* d. VI. Octobr. 1718. ad hunc scripta, l. c. T. II. p. 131.

12. **Unpartheyische Erwäg- und Betrachtung des beyderseitigen Hauptgrundes derer Trinitarier und Unitarier, deren jene zum Fundament ihrer von diesen streitig gemachten Lehrpunkten setzen: die**

Sache ist von Gott in heiliger Schrift so geoffenbaret; drum ist sie wahr und zu glauben, was auch die Vernunft immer dagegen einwenden möchte! Diese aber zum Grund ihres Widerspruchs und Verwerfung festsetzen: die Sache ist nicht von Gott in heiliger Schrift so geoffenbaret, auch aller menschlichen Erkänntniß und Vernunft nach, an und in ihr selbst nicht möglich; darum ist sie auch nicht als wahr zu glauben! Denen Verständigen und der Wahrheit ergebenen zur weitern Ueberlegung mitgetheilet, und als eine Beylage der Berlinischen Hebopfer ediret. Anno 1719. 8. pagg. 16. Scriptum hoc vulgo tribuitur Io. CHRIST. SEITZIO. Vid. WALCHII *Bibliotk. theol. sel.* T. I. p. 947. CRELLIVM vero eiusdem esse auctorem accepimus.

Confutauit illud auctor anonymus, in der deutlichen Antwort, auf eine so genannte unpartheyische Erwäg- und Betrachtung des beyderseitigen Hauptgrundes der Trinitarier und Unitarier, quod scriptum exstat in den Berlin. Hebopfern. T. III. p. 153.

13. Der seine eigene Erfindungen als göttliche Aussprüche canonisirende Trinitarius, in Beantwortung der im drey und zwanzigsten Beytrag des Berlinischen Hebopfers befindlichen Anmerkungen gezeigt. 1722. 8. pagg. 48. Opusculum hoc, probandi dono destitutis veri speciem offundens, sub examen vocatum, eidemque antidotum paratum est in den Berlin. Hebopfern. T. IV. p. 208. 222. 234.

14. Kurzer Unterricht in der christlichen Religion. 1 *Tim. II.* 5. Es ist nur ein einiger Gott, und ein einiger Mittler Gottes und der Menschen, der Mensch Christus Jesus. *IM Iahre Vnsers LIeben* HeILan-

Heiland des Iesu Christi. (1717) 8. pagg. 56. SAMVELEM CRELLIVM isto tempore ministerio fungentem Koenigswaldae, catecheticae huius institutionis esse auctorem, communis fama inter Vnitarios adfirmat. Ipse tamen profitetur in IO. CHRISTOPH. STRODTMANNI *nou. crud. Europa*, T. I. p. 218. quod Catechismum hunc a quibusdam Vnitariis Marchicis polonice adornatum et Amstel. impressum, in linguam germanicam tantum verterit, et quaedam paulo immutauerit. Vid. KAPPII *hist. Artemonis et Artemonitarum*, p. 46.

Aduersus eundem PETRVS IAENICHIVS, *Rector et Prof. Gymnasii Thorun.* in lucem emisit: *Stricturas ad libellum Catecheticum*, germanice sequenti titulo editum: Kurzer Unterricht ꝛc. quibus inserto vbique auctoris textui et verbis respondetur, veraeque religionis capita asseruntur. *Thorun.* 1722. 4. Alph. 1. pl. 2. Vid. Fortgesetzte Samml. 1721. p. 1079.

15. **Untersuchung auf was Weise der Herr Jesus das Brodt gebrochen und seinen Jüngern gegeben.** 1694. 4. sine loci mentione. Tribuitur hoc scriptum CRELLIO in WALCHII *Biblioth. theol. sel.* T. I. p. 915. quod ipse CRELLIVS sibi vindicat in *MSC* infra N. 24. allegando, in cuius diss. XV. §. XX. ad illud prouocat, ac inter alia in eodem a se demonstratum esse narrat: Christum coenam illam ita instituisse, vt, quemadmodum ipsi poculum capimus, sic etiam ipsi de pane fracto et publice exposito, manu nostra sumamus; non id requirentes, vt nobis ab alio porrigatur et in manum tradatur. Videtur enim panem prius fregisse, et sic cumulum fracti panis in medio discipulorum posuisse et tunc dixisse: capite et edite, hoc est corpus meum fractum.

16. Kurze und einfältige Untersuchung, ob, und warum die Reformirte Evangelische Kirche die also genannte Socinianer mit gutem Gewissen dulden, oder auch in ihre Gemeinschaft aufnehmen könne und solle. Gedruckt im Jahre MDCC. 4. pl. 5½. Nec loci, quo scriptum impressum, nec auctoris nomen additum legitur. Post breue praeloquium de variis dissensionibus inter coetus, qui papatui vale dixerunt, quibus vnio et communio commendatur, auctor, quem SAM. CRELLIVM esse accepimus, rationibus euincere allaborat, quod Reformati, illaesa conscientia, Socinianos non tantum ferre, imo in societatem suam recipere possint, sed quoque debeant; non autem eos condemnare et haereseos accusare, nisi principiis suis ipsi obesse velint. In genere supponit, quod Sociniani credentes Iesum in carne manifestatum, esse Christum viui Dei filium, et sperantes per gratiam I. C. salutem aeternam se obtenturos, sint ciues Christi; et quod ipsi, quoad fieri possit omne studium conferant, vt veri Christi discipuli euadant, siquidem eius praecepta de abnegatione sui ipsius, ferenda cruce, sequela Christi et nouum ipsius mandatum de dilectione proximi, quantum in viribus ipsorum positum est, explere studeant. His addit, quod Sociniani cum aliis coetibus, papatui valedixerint, et excusso Antichristi iugo, aduersus huius idololatriam tanto pugnent zelo, quanto vix alius coetus. Quamvis igitur Sociniani diuersa ab aliis defendant placita, hi tamen sub Christi vexillo pugnantes omnibus reliquis Christi militibus pares sint iudicandi, quemadmodum in magno exercitu diuersae armaturae milites, non alii alios contemnunt, vel castris bellicis excludunt, sed omnes coniunctim et vna acie instructa communem hostem

hoſtem adoriuntur. In ſpecie, quod ſibi propoſuit thema, hiſce rationibus confirmare nititur: 1) Quia Sociniani S. ſcripturam prophetarum et Apoſtolorum, vnicam fidei et morum regulam ſuſcipiunt, nec ex ſubtili philoſophia, nec patrum ſcriptis vel conciliis fidei articulos eſſe probandos ſtatuunt, cum S. ſcriptura tantum loquuntur, hac vero tacente ipſi ſilentium obſeruant. 2) Quia Symbolum Apoſtolicum, quod omnium conſenſu vetuſtiſſimum eſt, tanquam verbo diuino conſonum, omnesque fidei articulos ſcitu et creditu ad obtinendam vitam aeternam neceſſarios ſuccincte complectens confitentur; quare etiam iuxta verba ipſiſſima huius ſymboli, coetus ſui confeſſionem publicae luci commiſerunt. 3) Quia Socinianorum doctrina eius conditionis eſt, vt ab omnibus Chriſti ciuibus iam inde ab Apoſtolorum temporibus, in omnibus regionibus, vbicunque Chriſtiani fuerunt, ſuſcepta ſit, nec vllus hodie in ciuitate Chriſtiana coetus reperiatur, qui non cum Socinianis idem crederet, quorum igitur fides vere catholica et omnium Chriſti ciuium communis ſit, et quos proinde nemo condemnare poſſit, niſi ſemet ipſum pariter condemnet. Hoc argumentum confirmare nititur, quia Socinianorum confeſſio, ipſis ſcripturae et Symboli Apoſtolici verbis concinnata, admodum paucis ad ſalutem obtinendam ſcitu neceſſariis fidei articulis abſoluatur. 4) Nemo eam ob rationem, quia quasdam theſes iuxta articulos fidei fundamentales ſubintroductas in dubium vocat, quas intelligere et credere nequit, tanquam haereticus condemnandus, communione excludendus, et ſalutis aeternae conſequendae ſpe priuandus eſt. 5) Quia non quilibet error, damnationi ſubiicit eum, qui illum defendit, nec vnius cuiusuis hominis

est, iudicium ferre de haeresi, nec vlli homini, praeter Christum et Apostolos conuenire, alterum vitae aeternae possessione excludere; hos vero potius malitiosis et sceleratis, quam circa fidem errantibus et dubiis, coelum occlusisse.

Omnia auctor in breui hoc scripto conquisiuit, quae ad sectae suae apologiam facere, omnibusque tolerantiam saltem, nisi etiam communionem cum eadem commendare possint. Idem scriptum, idque autographum videtur, quod in *Catalogo libb.* DAN. ERN. IABLONSKI, Berol. 1742. p. 377. N. 26. inter MSSCC. allegatur: Ursachen warum die Reformirten und Lutheraner die Vnitarios zu dem Abendmahl des Herrn admittiren könnten, a manu SAM. CRELLII.

17. SAMVELIS CRELLII **geistlichen Opfers schuldige Zugabe.** Amstelod. 1684. 8. Allegatur in DAN. SALTHENII *Catal. libb. rar.* p. 530. N. 2666.

18. *Epistola ad ven.* IOACH. LANGIVM. Antequam LANGIVS opus suum, cui titulum fecit: *Gloria Christi et Christianismi Apocalyptico-Prophetica, nec non Anti-Sociniana et Anti-Iudaica. Amstel. et Lips.* 1740. fol. Vol. II. Alph. 16. typis exscribi curaret, in lucem emisit publicam: *Compellationem epistolicam ad Socinianos et inprimis ad* SAMVEL. CRELLIVM, *virum celebrem et non indoctum, istorum omnium hodie Coryphaeum: qua is hunc cum istis non minus humaniter, quam serio rogat ac hortatur, vt cum abnegata et impugnata Filii Dei I. C. diuina maiestate in gratiam redire allaboret. Amstel. in Officina Romberg.* 1740. 4. plag. 4½. Hanc compellationem LANGIVS peculiari epistola scripta Halae 1739. d. 18. Octobr. CRELLIO transmisit. Vid. *Acta hist. eccl.* T. IV. p. 129. seqq. et p. 136. Exemplar compellationis

nis iſtius ad manus meas peruenit, quod olim fuit PAVLI CRELLII, qui in initio ac fine complures ſua manu adiecit animaduerſiones, quae primae lineae fuſioris refutationis concinnandae videntur. Reſpondit LANGIO CRELLIVS, data ad illum epiſtola *Amſtel.* d. 23. Iulii 1740. in qua conqueritur, quod Vnitariis in Belgio conceſſum non ſit quicquam circa controuerſias theologicas prelo committere, paratum interim ſe fore pollicitus eſt, quantum ipſi oculorum imbecillitas et ſenectutis moleſtiae permiſerint, quae ad refutandum LANGII ſcriptum conferre poſſint, ad eundem in MSC. transmittere, ſi ipſi fidem dederit, ſe illud, quamuis animaduerſionibus notisque additis, in lucem prolaturum (*). Sancte hoc quidem LANGIVS pollicitus eſt CRELLIO, in epiſtola ad hunc data *Halae* d. 14. Auguſti 1740. (Vid. *Acta hiſt. eccl.* T. VII. p. 976.) ſed *Mſptum* iſtud CRELLII, quo compellationem epiſtolicam LANGII refutare ſtatuit, in huius manus numquam, quantum ſcimus venit.

19. Duodecim epiſtolae CRELLII ad LA CROZIVM ſcriptae, inſertae ſunt *Theſauro* ſaepius allegato.

20. Epiſtola CRELLII ad miniſtrum eccleſiae Berolinum ſcripta d. XI. Octobr. 1731. qua inter alia ſignificat, certo ſibi perſuaſum fuiſſe, IOACH. LANGIVM, ARTEMONII ſui refutationem ſuſcepturum. Meminit LANGIVS autographi a ſe ſeruati in *compellatione epiſtolica etc.*

21. *Epiſtola ad Wetſtenium,* de qua Io. CHRISTOPH. WOLFIVS in epiſtola ad LA CROZIVM Hamburgi poſtridie

 Kalend.

(*) Conqueritur CRELLIVS, praecluſas eſſe Vnitariis officinas typographicas, grauesque dictatas editoribus eiusmodi ſcriptorum mulctas, imo ipſum exſilium, Londino ſaltim excepto; additque ipſa opera, quae in Belgio ex Vnitariorum partibus adhuc lucem adſpexerint, clam, et non ſine periculo fuiſſe impreſſa, foliaque e prelo madida, caute aſſeruanda et recondenda fuiſſe.

Kalend. Octobr. 1733. in *thesauro epist. La Croz.* T. II. p. 257. scribit: Prodiisse in Belgio epistolam ad WETSTENIVM SAMVELIS CRELLII intelligo, qua WETSTENII ad Remonstrantes denuo reuersi conamina satyrico sale perfricantur. Nosti ne, vbi nunc versetur, vel potius erret CRELLIVS ille? Miseror sane hominis vices.

22. *Annotationes quaedam de* MICHAELE SERVETO, *ad illustrationem eorum, quae in Cl. Viri* DE LA ROCHE, *Biblioth. angl.* T. II. P. I. *de eo nuper narrata sunt.* Insertae *Biblioth. Brem.* Cl. I. Fasc. V. N. IV. p. 739. Horum excerptorum SAM. CRELLIVM esse auctorem *ex thes. Epist. La Croziano* T. III. p. 210. discimus.

23. Quod *Crellius* ad nouam *Lexici* celeberrimi *Baeliani* editionem, multis augmentis locupletatam, symbolam suam contulerit, inter noua litteraria e Belgio olim nuntiatum legimus; quod quoque PAVLVS CRELLIVS, SAMVELIS frater nos oretenus et per litteras docuit; qui PAVLVS de se ipso testabatur, quod vna cum fratre suo in locupletando Dictionario illo BAELIO operam suam praestiterit.

24. *Antiquitates et monumenta quaedam priorum saeculorum Christianismi, et in specie ea, quae Ebionaeos, Nazaraeosque, nec non eorum historias Euangelicas concernunt, illustrata, MSC.* cuius autographum *Ven.* THEOD. LILIENTHALII nostratis Bibliotheca tenet. Complectitur illud circiter septingentas paginas compresse scriptas. In pagina titulum proxime sequente haec CRELLIVS scripsit: "Cum iste liber ante viginti et aliquot annos sit compositus, et postea demum alterum opus meum sub nomine ARTEMONII in initium Euangelii Ioannis fuerit conscriptum, vtrumque autem opus in Anglia non potuerit euulgari; hinc mihi imposita fuit necessi-

tas,

tas, ex iſtis *antiquitatibus* et *monumentis*, prout et ex meis ANTIQVIS ET NOVIS VNITARIANIS, lingua germanica concinnatis, quaedam, imprimis autem maximam partem diſſertationis quartae huius latini libri, in opus illud, quod ſub nomine *Artemonii* prodiit, transferre. Reſtant tamen in iſto, prout et in germanico modo memorato opere, longe plura, non exigui momenti, quae fruſtra non in ARTEMONIO quaeres. Haec adſcripſi anno 1730. menſe Februario."

Omnia ad ſtabiliendam Vnitariorum diſciplinam, in hoc opere erudito conquirere ſtuduit CRELLIVS, et hoc reſpectu omnino dignum, vt illius ſpecialiora a nobis argumenta aliquando proponantur. Hoc loco diſſertationum titulos, omiſſis *Prolegomenis* exhibemus. *Diſſ. I.* IOANNES Apoſtolus quamdiu vixerit et quando ſcripſerit? *Diſſ. II.* De *Cerintho* et *Nicolaitis*, IOANNIS aduerſariis. *Diſſ. III.* De *Alogis*, Euangelium et Apocalypſin IOANNIS *Cerintho* adſcribentibus. *Diſſ. IV.* Num principium Euangelii IOANNIS ab alio praefixum, aut ſaltem falſatum fuerit? *Diſſ. V.* Num caput vltimum in Euangelio IOANNIS, vel ſaltem duo vltimi verſus adiecti ſint ab aliis? *Diſſ. VI.* Verba de tribus in coelo teſtibus 1 Io. V. 7. IOANNIS non eſſe probantur. *Diſſ. VII.* Quinam fuerint *Ebionaei*, contra quos IOANNES dicitur ſcripſiſſe? *Diſſ. VIII.* De *Nazaraeis*, altero vt quidam voluerunt *Ebionaeorum* genere. *Diſſ. IX.* Qua reſpondetur ad obiecta contra praecedentis diſſertationis aſſertiones de *Nazaraeis*. *Diſſ. X.* IOANNES non ſcripſiſſe contra *Ebionaeos* probatur. *Diſſ. XI.* De Euangelio ſecundum Ebraeos, ſeu 12. Apoſtolorum, quo vtebantur *Nazaraei*. *Diſſ. XII.* De Euangelio *Ebionaeorum*, quod ſecundum MATTHAEVM vocabant. *Diſſ. XIII.*

De Euangelio ſecundum *Aegyptios*. *Diſſ. XIV.* De dictis Chriſti, quae olim exſtabant in Euangeliis aut libris quibusdam auctorum orthodoxorum, nunc ignoratorum aut incertorum. *Diſſ. XV.* Adpendicis loco probatur: Coenam Domini non eſſe ſignum, nec partem commixtionis, ſeu familiaritatis priuatae; adeoque declarationem quorundam, qua profitentur ſeſe cum diverſa ſentientibus nullam commeſtione ſacri panis commixtionem teſtari velle, eſſe prorſus ſuperuacaneam, anno 1699. Amſtelaedami edita, nunc auctior.

Opere hoc XV. Diſſertationum finito, in eodem volumine MSC. ſub nouo hoc titulo: *Antiquitatis Ecclesiaſticae illuſtratae Pars II.* ſequentia pertractantur argumenta: *C. I.* De AGBARI (non ABGARI) principis *Edeſſae* ad Ieſum Chriſtum, huiusque ad AGBARVM epiſtola. Genuina, nec recentiori tempore ſuppoſita eſſe ſcripta, cum quibusdam aliis defendit CRELLIVS; hoc vero ipſi peculiare eſt, quod ex his epiſtolis colligi poſſe ſtatuit: Eccleſiam primitiuam non Homouſiana, ſed Ebionaea potius et Artemoniſtica, ſeu Sociniana fide fuiſſe imbutam. *C. II.* De THADDAEI praedicatione, de qua EVSEBIVS ex *Archiuis Edeſſenis* refert, poſt aſcenſum Ieſu Chriſti, IVDAM, qui etiam THOMAS dicebatur, THADDAEVM Apoſtolum, vnum e ſeptuaginta ad AGBARVM miſiſſe, qui Edeſſae praedicauit. Ex hac praedicatione, quam iterum genuinam eſſe defendit, pro ſuo, quo captus omnino eſt praeiudicio colligit: THADDAEVM fuiſſe Sociniſtam, ab Apoſtolo THOMA etiam Sociniano ad AGBARVM miſſum, huncque plane alia praedicaſſe, quam IVSTINVM martyrem, quem repetitis vicibus pro auctore articuli de myſterio S. S. Trinitatis reputat. *C. III.* De HERMA. Quae MELLIERVS circa HER-

HERMAE verba de Chriſto: *Filius quidem Dei omni creatura antiquior eſt, ita vt in conſilio Patri ſuo adfuerit ad condendam creaturam*, ſcripſerat, inſimulque ZWICKERVM de iſtis verbis differentem, CRELLIVS, adverſus BVLLVM et GRABIVM defendit. *C. IV.* De POLYCRATE Epheſino apprime obſeruanda; quem niſi *Ebionaeum*, ſaltem *Nazaraeum* fuiſſe, monſtrare nititur. *C. V.* De ſcripto illo, quod vocatur *ſecunda Clementis ad Corinthios epiſtola.* Aduerſus BVLLVM et GRABIVM diſputat CRELLIVS, MELLIERVM defendit, et Socinianis aduerſari verba huius ſcripti omnino negat; verba nimirum iſta: *Fratres ita oportet de Ieſu Chriſto nos ſentire tanquam de Deo. - - - Nec decet nos humilia ſentire de ſalute noſtra: dum enim humiliter ſentimus de illo, parua etiam nos accepturos ſperamus.* Putat enim, Socinianos ita de Chriſto ſentire, VT DE DEO, longe ſupra humanam et omnium aliarum creaturarum ſortem exaltato, licet de eo non ſentiant, vt de ſummo illo omnium Deorum et Chriſti ipſius Deo ac Patre, qui ipſum ita eleuauit et extulit. Id enim de Chriſto ſentiunt: Diuinitatem, adeoque deitatem adorandam atque inuocandam a Deo Patre ipſi eſſe collatam, quando ipſi *dedit* nomen ſupra omne nomen, vt ipſi omne genu flectatur; quando ipſi *dedit* omnem in coelo et in terra poteſtatem, quando ipſum Chriſtum et dominum omnium *fecit*, fidelem ei, qui *fecit* illum.

25. *Antiqua et Noua Vnitariana*, lingua germanica concinnata, *MSSCC.* quorum paulo ante CRELLIVS mentionem fecit. Praefixus illis titulus eſt: Alte und Neue *Vnitariana*, mit vorangeſetztem Unitariſchem Glaubensbekänntniß und Urſachen, warum andere Proteſtanten die *Vnitarios* zu dem Abendmahl des Herrn

zulassen könnten und sollten; verfertiget Anno 1721. in folgenden Zeiten hie und da verbessert und vermehret. Haec Vnitariana duo saltem, nisi forte plura non exiguae molis volumina comprehendisse, ex citatione in dissertatione VII. §. XXXIX. MSCti Num. 24. allegati discimus, quippe qua prouocat ad *Antiquorum et nouorum Vnitariorum Volumen II.* in eoque paginam CCCVII-CCCX. Manuscriptum hoc ab auctore ex legato fratri suo PAVLO CRELLIO fuisse destinatum, per litteras amici a. 1747. d. 25. Aug. ad nos scriptas, certiores facti sumus. Haeredes vero PAVLI et qui rebus Socinianorum adhuc in Prussia praesunt, ad manus suas vnquam illud venisse, negant. Nondum tamen omni spe excidimus, nos aliquando eodem potituros. Excerpta ex his Vnitarianis complexum videtur, *Volumen Excerptorum Polon. et Latin. ex MSSCC. Crellianis, historiam Ecclesf. Slauonicam, inprimis Vnitariorum spectantium,* quod in *Catal. Libb.* DAN. ERN. IABLONSKI, inter *MSSCC.* p. 380. N. 20. et postea in *Bibliotheca Baumgarteniana* inter *MSSCC.* p. 74. N. 89. allegatur.

26. *De vocibus* αιων, αιωνα, αιων των αιωνων, it עולם *ab Interpretibus S. litterarum huc vsque male explicatis, quarum verum ac genuinum sensum a falso vindicat auctor anonymus.* Scopum principalem scripti huius esse, vniuersalem rerum omnium restitutionem asserere; nonnulla tamen auctorem eiusdem protulisse, ad oppugnandam Christi deitatem facientia ipsi visa, inprimis ad euertendum locum Mich. V. 2. *in nou. litter. Hamburg.* a. 1742. p. 375. et 1733. p. 677. notatur.

27. *Epistola ad generosos Dnos* WIDAVIOS, Vnitarios, in exercitu Borussico militum Praefectos, interrogantes: *An*

*An apud Reformatos S. Euchariſtia ipſis, ab Vnitariorum coetu longo ſpatio remotis, licitum ſit vti*, reſponſoria, germanice ſcripta, *Koenigswaldae* in Marchia Brandenb. menſe Septemb. 1717. *MSC.* Et WIDAVIORVM litterae, ſcriptae *Cliuiae* a. 1717. menſe Aug. et SAM. CRELLII reſponſoriae, illis, nomine fratrum *Griſelii* iſto tempore congregatorum datae, ad manus noſtras peruenerunt, quas admodum memorabiles alio loco ex *MSC.* inſerturi ſumus. Hi ipſi WIDAVII ſunt, quibus CRELLIVS *Initium Euangelii* IOANNIS *etc.* N. 6. poſthac dono obtulit.

## PAVLVS CRELLIVS.

SAMVELIS frater iunior, iure nobilitatis ac indigenatus olim in Anglia donatus, obiit aetatis anno 83. d. 18. Nouemb. a. 1760. Andreaewaldae. De hoc, quae nobis innotuerunt, in *hiſtoria Socin. Pruſſ.* expoſuimus. Animaduerſionum eiusdem ad IOA. LANGII compell. epiſt. *MSSCC.* paulo ante ſub SAMVELE N. 20. mentionem fecimus. Quod PETRO BAYLIO in concinnando Lex. Hiſt. Crit. operam praeſtiterit, mihi aliquando narrauit. Ex epiſtola BAYLII ad SAM. CRELLIVM ſcripta, quae inſerta eſt illius Operibus T. IV. fol. 874. patet, PAVLVM CRELLIVM a. 1706. Cantabrigiae vixiſſe, inque hanc Academiam miſſum fuiſſe a Comite SHAFTSBVRIO ad vlteriores in ſtudiis faciendum progreſſus, et colligenda ex nonnullis MSSCC. antiquioribus excerpta.

## LAVRENTIVS CRISCOVIVS.

De ipſius vita, praeter ea, quae SANDIVS l. c. p. 54. expoſuit, nihil conſtat. In *actis MSSCC.* eiusdem mentionem fieri non recordamur. Fuit autem Eques Lithuanus,

et

et Minifter coetus Niesuiefenfis in Lithuania, poftea autem aliorum coetuum in eadem regione.

SCRIPTA:

1. *De vero ac fundamentali certae falutis in pacata confcientia hominis, Dialogus IV. Fratrum legis Chrifti:* ab ipfo e Bohemico verfus in Polonicum. *Szamotuliis* maior. Polon. 1558. apud ALEXANDR. AVGZDECKI. Scriptum hoc, ante auctoris ad Socinianorum caftra tranfitum, concinnatum, a GEORG. ISRAELIS, Sen. mai. Pol. Fratrum Bohem. adprobatum eft. Vid. WENGERSCIVS l. c. III. 16. p. 446. HOFMANNVS de typogr. Pol. p. 27. CRISCOVIVM fcripti huius fuiffe tantum interpretem Polonum iudicat.
2. Cum PETRVS GONESIVS a. 1562. de Paedobaptismo aliquid aduerfus CRISCOVIVM fcripferit, tefte SANDIO l. c. p. 41. hinc colligimus probabiliter, CRISCOVIVM de hoc argumento opufculum quoddam concinnaffe.

## PAVLVS CROQVIERIVS, *Iunior.*

Aliquando nomen in *Actis MSSCC.* fcribitur KROKERVS et KROKIERIVS. Quidam nominis huius Lublini vixit, cui F. SOCINVS in epiftola ad CZECHOVICIVM 1580. d. 20. Iunii fcripta, in epp. p. 337. plurimam falutem fuo nomine dici voluit. Eadem epiftola teftis eft, habuiffe in matrimonio KROKERVM filiam IO. BALCEROVICII, ciuis Lublinenfis et coetus Senioris, de quo fupra. PAVLVS CROQVIERIVS, Rector fcholae Racou. exftitit, quo officio iam per tempus aliquod a. 1613. functus erat. Hoc enim anno d. 27. Ianuarii GITTICHIVS ad eum literas dedit, quibus eum admonuit, ne fententiam fuam in fparta, quam nactus erat ornanda, mutaret, propenfumque animum in excolenda iuuentute dimitteret. Praefuit muneri huic fcho-

lafti-

laſtico ad annum 1616. quo exteras inuiſit regiones, facta antea Synodo fide, de reditu ad ſtationem ſuam intra anni ſpatium, fideliſſimoque ſcholae ſeruitio poſt emenſum iter praeſtando. Sed teſte NICOL. DÜMLERO in epiſtola ad RVARVM a. 1619. Bobeluico ſcripta, in huius epp. ex edit. ZELTN. p. 502. CROKIERIVS ex Gallia reuerſus Rectoratum Racouienſem reſumere detrectauit. Vnde cum ZELTNERO l. c. coniicimus, ex eo fortaſſis tempore eundem Medicinae faciendae operam nauaſſe. Fuit PAVLO frater IOANNES, qui a. 1611. in Synodo Racou. admonitus eſt, vt donis ſuis ſingularibus a Deo acceptis, in huius gloriam vteretur. Fuit vero, vt credimus, PAVLVS CROQVIERIVS iſte *iunior*, qui circa annum 1643. adoleſcenti nobili PETRO RZECICIO, ex gente in Polonia celebri nato, ſtudiorum moderator praefectus eſt. Vid. RVARI *Epp.* l. c. p. 678.

SCRIPTA:

*Commentarii Ethici*, allegantur a MART. RVARO in ep. ad RZECICIVM ſcripta l. c. *Cent. II. ep.* 86. p. 681.

## MARTINVS CROVICIVS, *polon.* KROWICKI.

Eques Polonus. Paſtor Pinczouienſis Romano more initiatus, alienum a Pontificiis ſacris animum, ſtudiumque meliorem diſciplinam apud conterraneos ſuos promouendi ſignificans, primus, quantum ſcimus, poſt mutatam Pinczouiae religionis formam, coetus Euangelici Miniſter, imo reformator. Paulo vero poſt, vna cum Collega ſuo ALEX. VITRELINO, qui munere eccl. apud Pinczouienſes itidem fungebatur, ſuſceptum ibidem errorem promouit. Vid. LVBIENIECIVS l. c. p. 30. Poſtquam Epiſcopus Cracouienſis ZEBRIDOVIVS conſiliis ſuis capiendi miniſtros in Synodo Pinczouienſi a. 1555. d. 1. Maii habita congregatos

tos excidisset, quae alio loco exposuimus, eodem anno MART. CROVICIO insidias struxit, quas LVBIENIECIVS l. c. p. 62. enarrat. Commorabatur adhuc Pinczouiae monachus, qui coeteris eiectis solus in coenobio, vna cum ALEXANDRO VITRELINO coetus ministro degebat. Monachum hunc Episcopus mandatis instruxit, vt VITRELINVM suum contubernalem et CROVICIVM in arce habitantem ad prandium inuitaret, interim subornati ab Episcopo ministri CROVICIVM caperent. Hunc enim, qui vxorem duxerat, et ab Episcopo Praemisliensi pulsus Pinczouiam se conuerterat, et ore ac scriptis Romanae Ecclesiae corruptelas et Pontificum artes perstrinxerat, maxime appetiit. Successit res, absente oppidi Domino OLESNICIO; superuenit circa prandii tempus MASOVICIVS quidam, Episcopi minister, cum aliquot famulis, CROVICIVS captus, vinctus et currui, quali ad deuehendas in horrea fruges vtuntur, facie in infima ligna obuersa iniectus, stramine tectus, super insidentibus quibusdam pressus ocyssime abducebatur. Ita per saxa et radices arborum vectus, vultu misere contuso aegre spiritum trahebat. Sed opportune accurrens BALTHAS. LVCOVIVS, Palatinatus Sendomiriensis iudex castrensis cum suo et OLESNICII famulo, qui solus fugientes persequebatur, clamore in sylua sublato, MASOVICIVM et famulos eius ita perculit, vt curru relicto terga LVCOVIO, libertatem et vitam CROVICIO dederint, paulo post ipso aduolante OLESNICIO.

Pluribus eumdem ab anno 1555. interfuisse Synodis Pinczouiae aliisque locis habitis, *Acta MSSCC.* testantur. Quo praecise tempore ad Vnitariorum castra transierit, cum per aliquod tempus Helueticae confessioni addictus fuerit, certo dici nequit; eum tamen cum Pinczouiae degeret, dubiis circa aeternam I. C. deitatem fuisse agitatum

ex

ex conditione coetus isto tempore suspicamur. LVBIENIECIVS l. c. L. II. c. VIII. p. 152. eum a. 1562. in colloquio Petricouiensi pro Neo-Arianorum sententia decertasse, expresse indicat. ANDR. DVDITHIVS in ep. ad THEOD. BEZAM, apud SANDIVM p. 46. eundem iis accenset, qui mysterium S. Trinitatis impugnarunt. Vid. WENGERSCIVS l. c. III. 15. p. 425. SALIGIVS l. c. T. II. p. 655. Fuit posthac minister coetus Wengrouiensis, tandem Piasecensis prope Lublinum, vbi etiam teste SANDIO 1573. mense Decemb. vita functus est.

SCRIPTA:

1. Obrona starozytney prawdziwey nauki chrzescianskey, na przećiwko falsziwey nowy Nauce Rzymskey, ktorey gwaltem nie pismem broni Andrzey Biskub Krakowski. i. e. *Defensio vetustissimae ac veracissimae doctrinae Christianae, aduersus falsam ac nouam Romanam disciplinam, quam* ANDREAS (ZEBRZYDOVIVS) *Episcopus Cracouiensis, adhibita violentia, non S. scriptura tueri studet.* Scriptum hoc circa a. 1557. concinnatum, cuius occasionem LVBIENIECIVS exponit l. c. L. II. c. IV. p. 95. et SALIGIVS l. c. T. II. p. 614. Prima editio hunc titulum prae se fert: Obrona nauki prawdziwey y starodawney krzescianskiey etc. w Pinczowie 1560. 4. i. e. *Defensio verae doctrinae et antiquae religionis christianae. Pinczouiae* 1560. 4.

2. Apologia Wienksza, t. i. obrona nauki prawdziwey o Wiary starodawney Krześćianskey ktorey uczyli Prorocy, Krystus Syn Boży, y Apostolowie święci. Na przeciwko nauce falszywey, y wierze nowey ktorey uczi w Kośćielech swoich Papies Rzymski etc. w Wilnie 1604. 4. i. e. *Apologia maior, seu defensio verae doctrinae de antiquissima fide Christiana, quam Sancti Prophetae, Christus*

*ſtus Filius Dei et S. Apoſtoli docuerunt*, *in Antitheſin falſae doctrinae et nouae fidei, quam Pontifex Romanus in eccleſiis ſuis docet etc. Wilnae* 1604. 4. Alph. 2. pl. 21. Ex praefatione colligi poteſt, opus hoc iam a. 1584. typis fuiſſe exſcriptum, quod, vt probabile videtur, ante annum 1562. concinnatum, cum auctor eius nondum tot infectus fuerit erroribus. Germanica verſio proſtat ſub hoc titulo: *Apologia*, d. i. Verantwortung und Vertheidigung der warhaftigen Lehre, und des uralten chriſtlichen Glaubens, welchen gelehret haben ꝛc. vorhin beſchrieben durch **Martinum Crovicium** ꝛc. jetzunder aus dem Polniſchen in Deutſch verfertiget durch **Cyriacum Mollerum**, Leutſchovium ꝛc. gedruckt zu Wilda in Littauwen beym **Jacob Markovitz**. Im Jahr Chriſti 1602. 4. Alph. 3. pl. 9. Memorabilis praefatio auctoris praemiſſa editioni poſteriori polonicae, in hac verſione addita non eſt, loco vero eius dedicatio interpretis ſcripta Magiſtratui Rigenſi in Liuonia. 1602. d. 1. Decembr. In opere ipſo 65. capitibus, errores et abuſus Eccleſiae Romanae enumerantur. Abſoluitur illud tribus partibus, quas auctor in introductione fol. 2. b. ſignificat. In *prima* comparat tapinophroneſiam Chriſti et diſcipulorum eius cum ſubmiſſione Romani Pontificis ipſiusque miniſtrorum. C. I-XXI. In *ſecunda* Doctrinam Chriſti et Apoſtolorum cum doctrina Pontificia c. XXII-LXIV. fol. 49. 6-292. In *tertia* crucem D. N. I. C. cum cruce Rom. Pontif. eiusque miniſtrorum c. LXV. Nullum tamen in hoc opere reperitur veſtigium negatae vel impugnatae S. Trinitatis; imo potius c. LX. fol. 253. haec orthodoxa de diuinitate Chriſti confeſſio: Quod Mediator noſter duarum naturarum ſit particeps diuinae et huma-

humanae; quod ſecundum diuinam naturam cum Patre eiusdem ſit eſſentiae, ipſi coeſſentialis, eandemque voluntatem ac poteſtatem cum eodem habeat et diuino honore colendus ſit, quod hominum corda ac renes ſcrutetur, eorum deſideria noſcat, et neceſſitatibus eorum ſuccurrere poſſit.

3. *Epiſtola* ad STANISL. BVDZINIVM, in *Piaski* 1573. exarata, in qua incuſat Racouienſes, quod Magiſtratum Eccleſiae communione excludant etc.

4. *Teſtamentum vltimae ſuae voluntatis*, in quo, quid egit, et quae cum eo acta ſunt, enarrat.

## FLORIANVS CRVSIVS.

Vir perſpicaciſſimus, omniumque Antitrinitariorum Philoſophus excellentiſſimus. Veriſimile nonnullis viſum eſt, Stetinenſem *Pomeranum* patria fuiſſe, alii eundem *Dantiſcanum* reputarunt; SANDIVS patriam eius omnino praeteriit. Sed eum fuiſſe *Samogetam* extra omne poſitum eſt dubium. Ita enim in *Actis Philoſ. Facult. Acad. Regiom. MSSCC.* et in quibusdam poëmatibus ab eodem editis expreſſe adpellatur vel SAMOGETA, vel LITHVANVS. Studiis ſcholaſticis in *Lyceo Tilſenſi* prouinciali, quod in Boruſſia ad terminos Samogitiae eſt, operam eum nauaſſe, omnino colligitur ex dedicatione, diſputationi *de enunciationis diuiſione* ab eodem defenſae, praefixa, quam ſacratam voluit ſcholae Tilſenſis Rectori ADRIANO DE WENDT et Con-Rectori GEORGIO HARTWICHIO, quos Praeceptores ſuos vnice ſuſpiciendos appellat, iisdemque pro fideliſſima inſtitutione, gratias, quas potuit, maximas exſoluit. In Academia Regiomontana, quam teſtante *Albo Studioſorum* (*) a. 1611. ſalutauit, ſumma cura ac diligentia litterarum

O ſtudia

(*) In hoc *Plungenſis Lithuanus* adpellatur, in numerum ciuium Acad. d. 21. Ianuar. 1611. ſuſceptus.

ſtudia proſequutus eſt, praecipue graecis litteris, Philoſophiae et Medicinae operam nauauit omnem. Hoſpitio quoque Doct. et Profeſſ. Medicinae Io. PAPII vſus eſt, quod ex illius diſſertatiuncula de morbi Hungar. cauſſis etc. PAPIO dicata colligitur. In hac dedicatione PAPIVM patronum et fautorem ſuum loco parentis honorandum adpellat, laetusque triplicis hoſpitii memoriam recolit, ex quo multum emolumenti ac gaudii perceperit, nimirum apud EHRENREICHVM, Liberum Baronem DE SAVRAV in Stiria, apud D. PAPIVM, Regiomonti in Boruſſia, et apud Status prouinciales Auſtriae ſuperioris, quorum munificentiam magnopere depraedicat. Huic diſſertatiunculae nonnulli verſus latini Io. STRAVSSII, Regiomont. Boruſſi, Profeſſoris tandem Acad. Regiom. tum temporis Illuſtriſſ. Auſtriacae ſupra Aniſum prouincialis ſcholae, quae eſt LENTZII, Praeceptoris publici adnexi ſunt; quemadmodum CRVSIVS, *Logiſticae Aſtronomicae*, eodem anno a STRAVSSIO, LENTZII, 8. editae elegiam graecam gratulatoriam adtexuit.

Haud pauca in Acad. Regiom. acquiſitae inſignis eruditionis ſpecimina publice exhibuit, diſputando ſub praeſidio SIGISMVNDI WEIERI, Mathem. Profeſſ. *de figura, ſitu et motu coeli, nec non de figura et ſitu terrae*, a. 1614. d. 22. Aug. quod *Acta Fac. Philoſ. Acad. Regiom. MSSCC.* referunt. Iisdem narrantibus iam a. 1611. d. 3. Aug. ſub praeſidio GEORGII MEIERI, Artium Magiſtri diſſertationem *de enunciationis diuiſione eiusque adfectionibus habuit.* Exſtat praeterea Elegia graeca ob ipſo compoſita, quae diſputationi GEORGII MEIERI *de praedicamentis*, reſpondente GEORGIO COLBIO d. 20. Iulii 1611. habitae adtexta eſt, aliudque carmen graecum, diſputationi eiusdem MEIERI, *de definitione et diuiſione*, a Reſpondente LAVRENTIO NERESIO d. 28. Septemb. 1611. defenſae ſubnexum.

Vagam

Vagam diu CRVSIVS ſectabatur vitam, multisque iuuenibus nobilis proſapiae hinc et inde ſtudiorum ac morum moderator praefectus eſt. Animo ſcientiis Philoſophicis et Mathematicis prorſus imbuto, in ſtudium medicum incubuit, in eoque vt maiores faceret progreſſus, varias Germaniae Academias adiit, *Lentiisque* in Auſtria cel. Io. KEPPLERI, Ordinum Auſtriacorum, deinde vero Caeſarei Mathematici familiaritate vti per aliquod tempus ipſi contigit. Hinc inſtituto cum nutricio ſuo GOTTHARDO CAROLO A MÜLBACH in Galliam itinere, Argentoratum adiit, ibidemque ad a. 1619. commoratus eſt, quo loco diſſertationem ſuam de *Cephalalgia* in lucem emiſit. Vid. *Epp. Kepplerianae*, N. 399. fol. 629. In hac Academia Argentoratenſi a MART. RVARO Socinianorum placitis infectus videtur, in quibus poſtea animum ipſius et WOLZOGENIVS, et libri a F. SOCINO et VAL. SMALCIO editi confirmarunt. Ipſe in epp. RVARI Cent. II. p. 194. ſignificat, quod diligenti tractatione libri a F. SOCINO ſcripti, cui titulum fecit: *Praelectiones theologicae etc.* ad eius caſtra fuerit pellectus. Argentorato rediit Auſtriam, et in arce Raſtenburgica Viri generoſi MICHAELIS ZELTERI, RVDOLPHI II. quondam Camerarii beneficio ſuſtentatus eſt. Hinc iterum per Germaniam iter fecit, et *Erfordii* per aliquod temporis interuallum ſubſtitit; diutius vero *Sedini* Pomeranorum vixit. Exinde, ducta WOLZOGENII ſorore in matrimonium, *Bobouicum* atque tandem *Gedanum* commigrauit, quo loco ex praxi medica viuens tantas acquiſiuit opes, vt quoque aedes proprias ſibi comparauerit. Eodem loco DAN. ZWICKERVM et ſine dubio alios quoque ſermonis ſui flumine, et ingenii acumine ad partes ſuas pertraxit. Scripta eius amplam produnt eruditionem, magnamque de thematibus philoſophicis iudicandi

promtitudinem, quemadmodum quoque haud mediocrem ſcientiarum Mathematicarum notitiam manifeſtant, inprimis eius epiſtolae ad KEPPLERVM ſcriptae, huius epiſtolis Lipſ. 1718. fol. N. 399. ſeqq. inſertae. Hinc quoque Sociniani, Philoſophiae ſtudiis in abuſum vsque dediti maximo eum in honore habuerunt, ac Philoſophorum principem celebrarunt, quippe qui etiam huic familiae inſigni praeſidio ac emolumento fuit.

Cum *Gedani* extra profeſſionis ſuae medicae cancellos longius progreſſus, cum RVARO in commendando aliis Socinianismo communem cauſſam faceret, a. 1643. ex Senatus Gedan. ſtatuto, oppido exire iuſſus eſt, conceſſo eidem ad vendendas aedes ſuas anni ſpatio. Quorſum hinc abierit CRVSIVS, et quo tempore vitam exſpirauerit, tacente SANDIO, imo omnibus, quantum ſcimus, certo determinare non audemus. Fuiſſe eum adhuc ſuperſtitem a. 1645. MARINI MERSENNI epiſtola ad eumdem Lutetiis Pariſiorum ſcripta teſtatur. Hortatur in eadem CRVSIVM noſtrum, vt *contra Atheos collectanea* publicae committere luci non detrectaret. Vid. *Cent. epp.* quam IANVS BRANTIVS 1715. edidit, N. 100. In Sarmaticis regionibus tum vixiſſe CRVSIVM, ex eadem probabiliter colligitur. Vid. HARTKNOCHIVS l. c. p. 825. 849. et ZELTNERVS l. c. p. 800. Quod CRVSIVS negatae a F. SOCINO ſatisfactionis per Chriſtum praeſtitae dogmati calculum ſuum adiicere haeſitauerit, ex inedita illius confeſſione CALOVIVS in *Opp. Antiſocin.* fol. 7. notauit. Vid. quae de CRVSIO dicta ſunt in *hiſt. Socin. Pruſſ.*

SCRIPTA:

1. *De vera voluntatis libertate.* MSC.
2. *De religionis libertate tractatus.* Huius ipſe CRVSIVS meminit in epiſtola ad IOACH. PEVSCHELIVM a. 1628. ſcripta,

ſcripta, cuius concluſionem admodum memorabilem ZELTNERVS l. c. p. 805. ſeqq. inſeruit. Fortaſſis idem ſcriptum eſt, quod SANDIVS l. c. p. 178. inter anonyma allegat ſub tit. *Rationes, cur libertas circa ſacra permitti nobis* (Vnitariis) *debeat.*

3. *De vi mortis Chriſti* lat. et germ. *MSC.*

4. *Epiſtola* ad MARINVM MERSENNVM *de Dei vera cognitione. MSC.* CRENIVS huius meminit in *animadu. Philol.* P. III. p. 93. ſeqq. quo loco MERSENNI quoque epiſtola ad CRVSIVM data in extenſo inſerta legitur.

5. *De origine et eſſentia Filii Dei. MSC.*

6. *Tractatus de Trinitate.* Allegat illum, tanquam ad medium perductum auctor in epiſtola ad PEVSCHELIVM apud ZELTNERVM l. c. p. 806.

7. *De hominis natura et facultate, germ. MSC.*

8. *De Eccleſia Chriſti, germ. MSC.*

9. *De ſatisfactione Chriſti*, germ. *MSC.* Vid. GODOFR. VOGTII *Catal. Libb. Socin.* qui eiusdem *Imag. SS. Trinit. Roſtochii* 1680. 4. adtextus eſt. Similem tractatum SANDIVS l. c. p. 177. inter ſcripta anonyma allegauit.

10. **Antwort auf Paul Felgenhauers Probbüchlein.** Notat hic titulus FELGENHAVERI tractatum, cui indicem fecit: **Prüfebüchlein auf das Photinianiſche Buch: Kennzeichen der falſchen Lehrer,** de quo infra ſub M. RADECIO et ERN. SONERO. Reſponſioni CRVSII FELGENHAVERVS oppoſuit: **Den Photinianiſchen Prüfeſtein, zur Antwort auf eine Photinianiſche Privatſchrift eines Photinian.** Doct. Med. FLORIANI CRVSII. Vtrumque ſcriptum allegatur in indice ſcriptorum FELGENHAVERI, qui adtextus eſt eiusdem libro, cui titulum fecit: **Poſtillion, oder neuer Calender ꝛc.** 1655. 12. pl. 7.

11. Oeffentlich Glaubensbekenntniß von der unbetrüglichen Erkänntniß göttlicher Dinge. *MSC.* Fortaſſis haec eſt confeſſio ἀνέκδοτος, cuius CALOVIVS in orat. inaugur. *de haereſi Socin.* p. m. 25. meminit, et teſtatus eſt, quod auctor veritatem ſatisfactionis et meriti Chriſti cognouerit, et hac in parte a F. SOCINO diſſenſerit SANDIVS p. 177. ſcriptum hoc inter anonyma allegauit.

12. *Refutatio opinionis Socinianorum, Sp. S. perſonam eſſe negantium.* Loco adpendicis adtexta eſt SANDII *Problemati paradoxo de Sp. S.*

13. *Animaduerſiones N. N. in loca quaedam* F. SOCINI, *in quibus aduerſariorum ſuorum argumenta ſatis ſolide refutaſſe, vel verum quorundam S. Scripturae locorum ſenſum non ſatis recte aſſecutus eſſe videtur: et in eundem finem explicatio breuis* 53. *cap. Eſaiae.* Sine dubio opus eſt FLOR. CRVSII, quod ex litteris initialibus nominis F. C. apud SANDIVM l. c. p. 80. colligimus. Inſertum eſt SOCINI operibus Vol. I. *Biblioth. FF. PP.* p. 801. Vid. FABRICII *hiſt. Biblioth.* P. II. p. 59. Fortaſſis liber belgicus, a SANDIO l. c. p. 179. inter Anonyma allegatus ſub tit. *Verklaaringe van het* 53. *Cap. van Eſaias, door* THEOPH. ELEVTHERIVS, verſio eſt breuis explicationis c. 53. Eſaiae, quae allegato operi adtexta eſt.

14. Quod cum BENED. WISSOWATIO illuſtrationes quasdam vltimae *Catech. Racou.* editioni, quae prodiit *Stauropoli* per EVLOGETVM PHILALETHEM (i. e. *Amſtel.* per CHRISTOPH. PETZOLD) 1684. 8. adiecerit, alio loco notauimus. Vid. STOLLEN *hiſt. theol. literar.* p. 399. ſeqq. et SCHMIDII progr. *de Catech. Racou.* p. 4.

15. *Collectanea contra Atheos.* Haec a. 1645. prelo parata habu-

habuit CRVSIVS, quo anno MARIN. MERSENNVS Lutetiis Parif. litteras ad eum dedit, quibus eum follicitauit, vt ifta diuulgaret. Vid. *Clar. viror. epiftolae etc.* Amftel. 1702. 8. THOM. CREENII *animadu. Philol.* P. III. p. 93. feqq. Eundem hunc effe librum, quem *de prouidentia diuina* concinnandum RVARVS CRVSIO ex decreto Synodi a. 1636. perfuadere debuit, fufpicamur. An idem, an vero diuerfum ab hoc opus fit, quod a SANDIO l. c. p. 177. inter anonyma allegatur: *Breues rationes, feu potius gradus ad veram religionem affequendam contra Atheos, MSC. pol.* certo dici nequit.

16. *Epiftola ad* MART. RVARVM, fcripta *Erfordiae* 1625. Kal. Maii, ft. vet. legitur in huius *epp. Cent. II.* N. 29. ex edit. ZELTNERI p. 526. feqq. variaque argumenta theologica tractat.

17. *Ad eundem epiftola* vel *differtatio* fcripta circa a. 1628. l. c. *Cent. II.* N. 32. p. 538. feqq.

18. *Ad eundem epiftola,* qua *differtationem* N. 17. defendit, fcripta Sedini 1629. 21. Febr. l. c. *Cent. II.* N. 38. p. 589.

19. *Epiftola ad* IOACH. PEVSCHELIVM fcripta 1628. 21. Iul. qua hunc ad partes Vnitariorum reuocare ftudet. Tenuit illam calamo defcriptam *Bibliotheca Vffenbachiana*, tefte *Catalogo* eiusdem, T. III. p. 756. N. XVI. Plura habet argumenta theologica et arcana Sociniftica, quae a ZELTNERO l. c. p. 802. exponuntur, conclufio vero epiftolae in extenfo exhibetur. Palmaria contenta Io. PAVL. FELWINGERVS fub examen vocauit, in *Difceptat. theolog. antiphotiniana de ratione in theologia. Helmft.* 1671. 4. qui CRVSII epiftolam quoque inferuit.

20. *Animaduerfiones in litteras Confulum Gedanenfium ad Illuftr. Caftellanum Cracou. generalemque exercitus Pol.*

*Ducem* (KONIECPOLSCIVM) *scriptae* 29. *Ianuar.* 1639. leguntur in *epp.* RVARI *Cent. II.* N. 55. l. c. p. 637. et directae sunt ad epistolam Magistratus Gedan. quae ibidem N. 50. p. 627. occurrit. Has animaduersiones CRVSIO potius, quam RVARO, cuius nomen prae se ferunt, esse tribuendas, ZELTNERVS quibusdam rationibus verisimile fecit l. c. Not. a.

21. *De anima.* Est replica ad scriptum aduersarii anonymi, et commemoratur in epistola anonymi inter epistolas RVARI *Cent. II.* N. 43. ex edit. ZELTN. p. 610.

22. *Explicatio initii Euangelii S. Ioannis. MSC.* in qua CRVSIVS ab explicatione aliorum Socinianorum eiusdem pericopae discessisse narratur.

23. *De ratione in Theologia.* Scriptum hoc oppositum est FELWINGERI *disceptationi etc.* quam N. 19. allegauimus. Vid. SANDIVS l. c. p. 141.

24. Quaedam FLOR. CRVSII epistolae ad IO. KEPPLERVM datae, in huius epistolis Lips. 1718. fol. reperiuntur, et inter has N. 400. in qua CRVSIVS consensum *Mosis* atque *Hermetis* explicare nititur.

25. *De enunciationis diuisione*, diss. academ. Regiomonti 1711. d. 3. Augusti ventilata.

26. *Dissertatiuncula, de morbi Vngarici caussis et curatione.* Lintzii Austriae 1616. 8. pl. 5.

27. *De loco, de diuisione puncti in infinitum, de spatio et motu*, aliaque Philosophica et Mathematica, eruditionis, ingenii ac iudicii plena.

28. *De Cephalalgia diss.* Argentorati edita.

29. *Epistola ad* NATHAN. DILGERVM, Reuer. Minist. Gedan. Seniorem, d. 11. April. 1643. scripta, inserta est *Decimis Prussicis*, T. II p. 824. cuius exemplar autographum in manibus nostris est, ipsique aliud scriptum

pro

pro obtinenda pace et ſecuritate coetui Sociniano, nec non fidei confeſſio, ſubtexta ſunt. Vid. de his *hiſt. Socin. Pruſſ.*

## FRANCISCVS CVPERVS.

DANIELIS BRENII ex ſorore nepos, de quo in *hiſt. Socin. Belg.* Vid. interea BAVMGARTENII *Recenſ. Biblioth. Halenſ.* T. I. p. 122.

## STEPHANVS CVRCELLAEVS.

Male tulit BAILIVS in nouis reip. liter. in Opp. T. I. fol. 75. quod SANDIVS l. c. p. 109. eundem Antitrinitariorum claſſi inſeruerit. Iure ne an per iniuriam id fecerit, alio loco diſceptabimus. Tria eum in diuinis entia a ſe mutuo diſtincta crediidiſſe, IONATHAN EDVARDVS *Anglus* in libro: *A preſeruatiue Againſt Socinianism etc.* p. 11. monſtrare ſtuduit. Id ſane extra dubium poſitum eſt, aſſeruiſſe eum, nullam omnino inter Chriſtianos, quibus Socinianos quoque accenſet, ſectam eſſe, quae non in fundamento fidei conueniat, et adornata librorum N. T. editione Socinianismo admouiſſe quaedam fulcra. Vid. Io. GOTTL. MOELLERI diſſ. de STEPHANO CVRCELLAEO, *in editione originalis N. T. textus etc. Socinizante*, C. I. §. 19. p. 19.

## IOANNES CVTTENVS.

De hoc in recenſione ſcriptorum FAVSTI SOCINI plura aliquando expoſituri ſumus. SANDIVS eum Antitrinitariorum numero non inſeruit.

## MARTINVS CZECHOVICIVS.

Polonus vel Lithuanus, ſchiſmatis in coetu Socinia-

no ob vehementiorem aduerſus Paedobaptiſmum diſputationem auctor. Ex Diario SMALCII apud ZELTN. l. c. p. 1169. conſtat, quod a. 1561. Principis RADZIVILII, Palatini Vilnenſis miniſter fuerit, deinde Cuiauiae publice docuerit, poſthac autem Lublini munere Eccleſ. functus, quo loco propter Arianas et Anabaptiſticas lites ab officio remotus. Ex actis vero Synodi Lublinenſis 1598. conſtat, quod ipſe dimiſſionem a munere eccleſiaſtico petierit, impar ob virium defectum ferendo oneri. Fortaſſe tamen ipſe precibus hiſce praeoccupauit remotionis ſententiam. In hac ipſa Synodo ipſi ſucceſſor conſtitutus CHRISTOPH. LVBIENIECIVS, antea Leuartouiae miniſter, cui VAL. SMALCIVS collaborator conceſſus. Circa doctrinam de Chriſti perſona, GONESII placita de Chriſti praeexiſtentia in initio defendit cum NIEMOIEVIO; poſtea vero cum eodem aliisque non paucis, Racouienſium ac SOCINI ſententiam amplexus eſt. Hinc RVARVS in epiſtola ad CALOVIVM Gedani 1638. ſcripta edit. ZELTN. p. 177. inquit: MART. CZECHOVICIVS de Deo atque Chriſto nobiscum, de Baptismo cum Mennonitis, in caeteris ni fallor, cum CALVINI ſchola ſenſit.

Error SANDII l. c. p. 50. cui CZECHOVICIVS videtur a. 1608. Lublini obiiſſe, quem LAVTERBACHIVS repetiit l. c. p. 255. ex SMALCII Diario corrigendus eſt, ex quo eundem a. 1613. menſe Nouembre defunctum eſſe cognoſcimus. Idem SMALCIVS eum ſchismatis ob negotium Baptiſmi aquae auctorem vocat, vixque aliquem omnium eidem adhaeſiſſe vsque ad ipſius obitum narrat. LVBIENIECIVS tamen l. c. p. 192. ſignificat, quod morti vicinus ſequaces perſeuerandum in Eccleſia minori (i. e. ſua, Socinianis reliquis praecipue circa Baptiſmum aduerſa) admonuerit. De eius certaminibus cum F. SOCINO et NIC. WENDGROVIO alibi diximus.

SCRI-

SCRIPTA.

1. *De Paedobaptiſtarum errorum origine, et de ea opinione, qua infantes baptizandos eſſe in primo natiuitatis eorum exortu creditur. Pſal. 27. et Pſal. 2. Gladius eorum cor ipſorum transuerberabit et arcus eorum confringetur, quicunque aduerſus Iehouam et aduerſus Chriſtum eius inſurgunt. Miſere perit qui gladio ſuo perit. Typis* THEOPHILI ADAMIDIS, (i. e. ALEX. RODECII. Vid. HOFMANNVS *de typograph. Pol.* p. 39.) 4. pagg. 201. et 20. *dedic.* vel Alph. 1. pl. 5. Nec locus, nec annus impreſſi libri, nec auctor in titulo nominati. MARTINVM vero CZECHOVICIVM eſſe auctorem, extra omne dubium eſt. Vid. SANDIVS l. c. p. 50. Epiſtola dedicatoria ad IOANNEM KISCAM a CIECHANOWIEC, Praeſidem generalem Samogitiae et Pincernam regium Lithuaniae, ſcripta eſt Lublini 7. Idus Aprilis, a. 1575. In eadem auctor venditat, quod in principio huius controuerſiae, quam cum Paedobaptiſtis (quos peſſimus nequam homines Antichriſti traditionibus faſcinatos vocat) ſuſcepiſſet, timuerit, ne omnium hominum primos ſibi infenſos redderet; ſed hoc timore ſe iam eſſe liberatum, et quamcunque ignominiam et perſequutionem propter hanc controuerſiam ex amore et aeſtimatione veritatis, vt putat, vltro contemſiſſe. Hinc cum ſummo et maximo periculo et facultatum ſuarum et vitae prodiiſſe, quam ſibi aliqui eripere conabantur, dum eum virga magiſtratus coercendum eſſe iudicarent, litteriſque ſuis Superiores ad hoc ipſum impellerent. "Caeterum *(inquit)* quia omnia illa, quae cum verbis, tum ſcriptis in hac cauſa egi, commenta hominum de baptizandis infantibus retegendo, et plures alios cum hoc vno naeuos Antichriſti denudando, fuerunt a me

me patrio noſtro Polonico idiomate conſcripta, *(quae impenſis* Io. KISCAE *impreſſa eſſe praedicat)* vt noſtrae tantum nationis hominibus inſeruirent: ideo admonitus pluries a multis fratribus, nunc etiam eadem de re ſcriptum hoc meum ſub prelum dare et in lucem - - edere volui, - - - ita apud me ſtatuens, quod, etiamſi multis, imo vero plurimis, ſcriptum hoc meum, vt caetera ferme omnia ingratum, - - - acerbum, moleſtum, et amarum eſſe videbitur; tamen piis et veritatis amantibus, gratum, lene, ſuaue, dulce ſit futurum. - - - Scriptum hoc meum - - non nuper eſt natum, neque nunc primum conſcriptum: ſed ſimul cum illis ſcriptis meis polonicis fuit conſarcinatum. Niſi enim ego prius omnium, quos tunc ad manum habere poteram, qui hac de re aliquid ſcripſerunt, ſententias et opiniones vidiſſem et in vnum locum vniuscuiusque cum alterius, adeoque vniuscuiusuis ſecum diſſidentes ſententias congeſſiſſem, et iuxta trutinam et perpendiculum verbi Dei trutinauiſſem et perpendiſſem, nequaquam metum illum plane ruſticum abieciſſem, neque in publicum prodiiſſem. Sed poſteaquam, verbi Dei auctoritate primum ſuperatus, haec quoque ſcripta vidiſſem, legiſſem et perpendiſſem: tandem haec omnia, quae tibi legenda et omnibus Chriſtianis lectoribus propono, rudi et craſſa, vt aiunt, Minerua conſcripſi, - - vt non ab adultis tantum, et iudicio iam graui pollentibus, ſed etiam ab ephebis, non modo legi, ſed etiam intelligi poſſint. Vt et ego vix tum ex ephebis exceſſeram, cum hac de re primum, diuino percitus ſpiritu, cogitare et breui poſtea tempore ſcribere coeperam. Teſtes eſſe poterunt, vera me ſcribere, iſti omnes, qui me a 25. annis et vltra nouerunt. Cum autem vetuſtum iam eſſet ſcri-

ſcriptum hoc meum, et a pauciſſimis tantum quibusdam, doctis tamen et piis viſum, qui etiam quaedam ad margines annotarunt, et argumenta ſingulis erroribus praefixerunt, et quidam eorum me hortati ſunt, vt publicaretur: non libuit primum, illud ita vt eſt, conſcriptum edere, niſi illi lima adderetur. Sed cum illi vrgerent, et ego prae multis meis aliis occupationibus hoc facere nequaquam potui: plus enim laboris videbam in eo corrigendo et grauiori ſtylo conſcribendo me inſumere oportuiſſe, quam ſi ab integro conſcriberetur: propterea malui, ita vt iam dudum conſcriptum fuerat, illud typis tradere, quam vel abiectis meis magis nunc neceſſariis occupationibus illi me totum dedere, vel contra aliorum ſententiam domi diutius in angulo detinere."

His aliisque praemiſſis ad Patronum ſuum Io. KISCAM auctor conuertit orationem ſuam, inter plura alia eum praedicans his verbis: "Rideris ab omnibus, non tantum Papanis, ſed ab illis etiam, qui graeca potius quam Chriſtiana fide gaudent, Ruſſis. Iocus ludusque es aulicis, opprobrium vero et contemtus noſtris, ſi Deo placet, Euangelicis. Quare? Quia tu ſolus Anabaptiſtas foues: quia illos promoues, quia eorum ſententiam approbas: quia Chriſtianam communionem cũm illis expetis et diſciplinae eorum te libenter ſubdis. Es igitur Anabaptiſta, quemadmodum et illi ſunt, quorum conſortio delectaris? Dicent omnes veritatis inimici, tam iſti, qui ex ignorantia, quam qui data opera ſe illi opponunt, te omnino eſſe: et proinde iudicabunt indignum, cui quis ex proceribus vel patronus vel ſocius religionis et confeſſionis eſſe velit: itaque parem hac in parte non habes inter tuos. Omnes te contemnunt, omnes contradicunt; ſed dicant et iudicent, vtut volunt;

lunt; tu tamem apud te ita ſtatuas velim: ita te ſolum eſſe, illisque inuiſum, et ita Anabaptiſtam propter Chriſti verum Baptiſmum, (poſtquam ad illum, vt eſt apud te in votis, acceſſeris) quemadmodum Anabaptiſtae fuerunt Chriſtus, Apoſtoli et omnes alii Chriſti diſcipuli, qui nunc paſſim Chriſtiani vocantur. Quodſi illi Anabaptiſtae non fuerunt, neque tu es Anabaptiſta. Si enim, cum tu (vt facis) pie et iuxta analogiam fidei candide te geſſeris, et bonis operibus operam dederis, mortificando et exuendo veterem hominem, et nouum ſuperinduendo, propter ſolum Baptiſmum in aetate adulta ſuſceptum, poterit aliquis eſſe Anabaptiſta, et praeſertim non repetendo, vt apud nos fit, Baptiſmum ſemel antea aliquando bene ſuſceptum et rite adminiſtratum, ſed characterem tantum beſtiae illius abſtergendo, vel pro male adminiſtrato, decenter adminiſtratum ſuſcipiendo, poterit aliquis notam Anabaptiſmi incurrere, profecto neſcio quomodo ab eadem nota eccleſia illa prima Apoſtolica cum Chriſto et ipſis Apoſtolis libera eſſe poterit? quodſi quis liberam eſſe pronuntiauerit, tu quoque vna nobiscum liber ab hac calumnia pronuntiabere. Sed quia in meo triduano colloquio Polonico, (Vid. infra N. 8.) quid ſit Anabaptiſmus, et qui nunc ſunt Anabaptiſtae cenſendi, ſatis copioſe et luculenter tractatum eſt, nolo hic quidquam hac de re amplius commemorare etc."

Vt libri huius argumentum, et quos errores auctor Paedobaptiſmi defenſoribus obiicit ac imputat, quos a ſe refutatos ſibi perſuadet, cognoſcantur, ſectionum titulos adponimus, absque animaduerſionibus, quae, cum breuiores eſſe nequeant, extra hiſtoriae terminos nos abducerent.

p. 1.

p. 1. *Error I.* "Vtrum fidem non habens poſſit baptizari. Et hic variae interpretum opiniones recenſentur, et ſubterfugia de ſuſceptoribus, de neceſſitate Baptiſmi puerorum, de fide, quam infantibus et qualem adſcribant: vbi videbis, quam turpiter inter ſe pugnent iſtarum rerum ſcriptores, et quid de ſalute infantum absque Baptiſmo decedentium ſtatuant."

p. 12. *Error II.* "Antidotum inuentum, ne absque fide ſaluari infantes poſſe, fateri cogantur. Ideo *credere* dixiſſe, nihil aliud eſſe, quam *baptizari*, et e conuerſo, *baptizari* nihil aliud eſſe, quam *credere*. De lymbo puerorum et quod infantes non baptizati poena damni, non ſenſus puniantur, et hic contrariae veterum et neotericorum ſententiae narrantur."

p. 18. *Error III.* "Alia tergiuerſatio, quod ob Adae peccatum, quod vocant originale, oporteat infantes omnes baptizari, eo quod naſcendo ſint omnes in manu Satanae, et hic quoque variae ſententiae recenſentur, deque vi ſacramentorum diſſeritur."

p. 26. *Error IV.* "De variis cauſis, cur debeant infantes neceſſario baptizari, deque opinionum mirabili inconſtantia, alii enim, vt expellatur ab eis daemonium, alii vt a peccato originis liberentur, alii vt ſacrificentur, cauſam praetexuerunt, et alii etiam, vt habeant ingreſſum in eccleſiam, et ſit ſalutis teſtis et initiationis ſacramentum, et aditus in coelum illis pateat, quae omnia abunde refutantur. De finibus etiam Baptiſmi et eius vera definitione docetur. Finem autem eius conſtituit in obſignatione remiſſionis peccatorum apud adultos, qui per euangelium de Chriſto antea ſunt inſtructi."

p. 41. *Error V.* "Prolixius diſputatur de pellendis daemonibus, de exorciſmis, exſufflationibus et aliis ſuper-

perſtitionibus, item de ritu primitiuae eccleſiae, de autoribus additamentorum, CYPRIANO confirmatore."

p. 54. *Error VI.* "Quod non ſolum ſacerdotes et pii viri piaeque mulieres tempore neceſſitatis poſſint baptizare, ſed et Iudaei profanique omnes: Item variae de hoc argumento doctorum opiniones recenſentur, deque Baptiſmi ad ſalutem neceſſitate quaedam adducuntur."

p. 64. *Error VII.* "Non eſſe Baptiſmi iuramentum aut obſignationem aliquam foederum Dei, vti excogitarunt Papiſtae, vel obrenuntiationem, vti finxerunt, in infantibus, qui nihil eorum intelligunt, ſed in adultis valere credentibus."

p. 72. *Error VIII.* "Quod Paedobaptiſtae bene ſcribant, doceant moneantque, ſed male faciant, et ſubinde ſcriptis ſuismet ipſorum fidem minuant, et ſeſe meliora cognoſcere oſtendant, at ſequi deteriora, et quod ſuſceptores ab hominibus ſint excogitati, et non ab ipſo Deo vel Chriſto inſtituti, ſeu potius errorum colluuies."

p. 84. *Error IX.* "De ſale, oleo ſacro, aqua benedicta, ſputo, flatu, cereo aliisque innumeris ſuperſtitionibus, ad hoc confictis, vt Paedobaptiſmus eorum eo ſanctior auguſtiorque appareat, deque ridiculis quibusdam Paedobaptiſtarum opinionibus, quae etiam et breviter et ſimpliciter refutantur."

p. 91. *Error X.* "De duplici Baptiſmo et de die baptizandi. Habent enim apud ſe Papiſtae profeſtum et ſolennem, vt ipſi vocant Baptiſmum, et de die baptizandi varia ſcripſerunt. Item de eo, quod primitiuae eccleſiae patres, catechumenos tantum baptizabant adultos, non autem infantes."

p. 105.

p. 105. *Error XI.* "Quod non ſolum de tempore deque die diſceptatum ſit apud Papiſtam, ſed etiam de horis baptizandi. De circumciſione, an ſit figura Baptiſmi, an aqua maris rubri, vel qua ſolent Iudaei purificare ſeſe, addita ſunt ad horum confirmationem 15. argumenta, rationesque aliae et teſtimonia."

p. 119. *Error XII.* "Tres confutantur errores. *Primus*, cum dicunt, infantum Baptiſmum, ob factam Abrahae promiſſionem, quod videlicet ſit ipſius Deus et ſeminis eius, neceſſario concedendum eſſe. *Secundus*, dum ex Paulo idem colligunt, qui 1 Cor. VII. 14. vocat liberos fidelium ſanctos. *Tertius*, dum probant, totas familias paſſim baptizatas ab Apoſtolis, Act. XVI. et alibi fuiſſe."

p. 136. *Error XIII.* Quod Paedobaptiſmus humanum ſit inuentum, quodque poſt apoſtolicam et ſinceram eccleſiam introductus fuerit, non ſolum rationibus, ſed etiam variis probatur teſtimoniis, ſoluiturque illud Matth. XIX. Marc. X. et Luc. XVIII. *ſinite paruulos etc.*

p. 148. *Error XIV.* Quod non ſit idem Baptiſmus infantium et adultorum contra neotericorum ſententiam, inter ſeſe etiamnum diſſidentium, et quod infantum Baptiſmus, ſub Papatu adminiſtratus, non ſit Baptiſmus CALVINO aſſerente, ſacramenta absque doctrina corpus eſſe ſine anima, et caeteris eruditioribus idem affirmantibus.

p. 166. *Appendix ſuperiorum Paedobaptiſmi errorum.* Quam grauiter et turpiter errent ii, qui Chriſti Baptiſmum et inutilem et non neceſſarium eſſe contendunt illis omnibus, qui iam dudum antea crediderunt, vel qui ex fidelibus originem et genus ducunt, hac tractatione oſtenditur.

P Tan-

Tandem p. 176. *seqv.* eos refutat, qui non videntur quidem flocci facere coenam Domini, caeterum dicunt ad eam accessuris non esse opus externo aquae baptismo, vtpote adiaphora cerimonia. Inprimis vltima hac parte notauit F. SOCINVM, qui quoque CZECHOVICIO respondit.

2. Nowy Testament t. i. Wszystkie pisma nowego przymierza, z greckiego Ienzyka na rzecz polskom wiernie y sczerze przelozone: przydane iest rozne czytanie na brzegach ktore sie w inszich ksiengach nayduie. Drukowal Alexius Rodecki (w Rakowie) 1577. i. e. *Nouum Testamentum, h. e. omnia scripta noui Foederis ex lingua graeca in polonicam fideliter et sincere translata: cum additamento variantium lectionum in margine adpositarum, quae in aliis libris reperiantur. Impressit* ALEX. RODECIVS (Racoviae) 1577. Vid. WENGERSCIVS l. c. I. 16. p. 147. RINGELTAVBE hist. Bibl. Polon. p. 38 et 159. Plura nos de hac versione N. T. in *Hist. Socin. Polon.*

3. *In caput primum* IOANNIS *explicatio.* Polon. Quemadmodum ex loco quodam MART. SMIGLECII in tract. polon. *de prae-aeternitate I. C. Filii Dei* p. 64 et 82. colligitur, scriptum hoc CZECHOVICII concinnatum est aduersus IAC. WVIEKI *versionem cap.* 1. IOANNIS, (sine dubio in huius vers. polon. *N. T.*) ad quam defendendam WVIEKVS huic *Czechovicii* scripto tractatum suum polon. opposuit, *de aeternitate Filii Dei et Sp. S.* quem F. SOCINVS in *Antiwuieko*, et STATORIVS in versione polon. operis SOCINI refutare adnisi sunt.

4. *Obiectiones in* F. SOCINI *explicationem initii Euang. S.* IOANNIS. Istae obiectiones, admodum paucae, adtextae hunc SOCINI *explicationi primae partis primi* ca-

*capitis* IOANNIS. Racov. 1618. 8. p. 48 ſeq. Inprimis oppugnat explicationem Io. I, 1. *Erat apud Deum*, i. e. Soli Deo notus.

5. Rozmowy chriſtianſkie ktore z greckiego nazwiska Dialogami zowiom: a ty ie nazwac mozeſz wielkim katechyzmem. W ktorich ſom rozmaite gadania o przedneyſzych Artykulach wiary chryſtianſkey: A z oſobna o zydowſkich godkach, ktorymy Pana Pana Iezuſa Chriſtuſa y Ewangeliom wyniſzozi chcom. Przez Marcyna Czechowica z pilnoſciom zpiſane y wydane: Ezai 8, Pſ. 20. Drukowal Alexius Rodecki Roku 1575. i. e. *Colloquia chriſtiana, quae ex graeca denominatione Dialogi appellantur, et tu poteris illa adpellare Catechiſmum maiorem. In quo ſunt varii ſermones de primariis chriſtianae fidei articulis, inprimis de Iudaicis eloquiis, quibus Dominum I. C. et Euangelium euertere ſtudent. Per* MARTINVM CZECHOVICIVM *ſtudioſe concinnatus et editus etc.* Ies. 8, 20. *Impreſſit* ALEXIVS RODECIVS. Anno 1575. 4. Alph. 3. pl. 5½. Abſoluitur opus hoc XIII Dialogis, quorum index proxima poſt titulum pagina exponitur. Loco introductionis praemiſſa eſt diffuſa dedicatio, ſcripta omnibus regni Polon. incolis, qui Antichriſtum vitare et ſub vexillo I. C. dilectiſſimi F. D. vivere cupiunt, Lublini d. 1. Septembr. 1575. Haec ſunt dialogorum contenta. 1) *De ſolo vero et vnico Deo Patre et de Polytheiſmo.* 2) *Confeſſio de Filio Dei I. C. cum notatione errorum triplicis generis Trinitariorum.* fol. II. 3) *De filio Dei I. C. Filio* DAVIDIS *et* ABRAHAMI. fol. 21. b. fol. 22 ſcribit: Nullum alium habeo nec agnoſco verum Deum, praeter Patrem; et fol. 23. Non Deus factus eſt homo, ſed homo factus eſt Deus.

Fol. 31. ad *Io.* 17, 5. Chriftus habuit apud Deum Patrem eandem claritatem, in praeparatione, quam accepit, poftquam illius voluntatem perfeciffet. Fol. 32. Nulla ratione credo, quod I. C. verus Dei Filius antea in coelo fuerit, quam a virgine natus effet. Fol. 37. in *Coloff.* 1, 16 Duplici modo haec explicari poffunt: vel ratione Dei praefcientiae et praedeftinationis, qui omnia in eum finem condidit, vt ea fuo tempore Domino I. C. fubiiceret; vel etiam ratione reftitutionis omnium, qua cuncta in coelo atque terra renouata funt. 4) *De varia demonftratione et reuelatione vifibilis fpeciei et fermonis Dei per angelos, per quos plurimi Filium Dei intelligunt, contenduntque hunc apparuiffe et cum parentibes noftris loquutum effe; nec non de promiffionibus, quae Deus de Meffia, Filio fuo dedit, num hunc, vti promifit, ex fanguine* ABRAHAMI *et* DAVIDIS *in mundum duxerit, an loco huius promiffionis fuum ante fecula ex effentia fua genitum Filium.* fol. 40. 6. Fol. 59. inquit: Vbique PAVLVS. S. PAVLVS dixit: Homo, non autem aliquid compofitum ex angelo et homine, vel ex diuinitate et humanitate; fed homo nobis, fratribus fuis fimilis, et tentatus vbique fine peccato. Non Deus pro nobis traditus eft, fed homo ex patribus proveniens et a muliere natus. Et fol. 62. In hoc fenfu Filium Dei I. C. appellamus Deum, quatenus a Deo vero per Spiritum S. in vtero matris fuae praeparatus, vere Spiritu Dei vnctus, imo revera Dominus omnium factus et confirmatus eft; vt quoque ita vere, quam ipfe Deus omnipotente verbo fuo omnia ferat et gubernet, vt quoque vere viuificare poffit quemcunque vult, quemadmodum ipfi vere Deus dedit vitam habere in femetipfo. 5) *De filio Dei,*

*Ie-*

*Iesu Nazarethano, filio* DAVIDIS *et* ABRAHAMI, *vero Messia, qui ex tenore promissionum dudum enunciatarum mundo huic donatus est: aduersus antiquos et recentiores Iudaeorum errores.* fol. 67. 6) *De argumentis, quibus Iudaei euincere adlaborant, Iesum Nazarethanum non esse Messiam, in quo errant.* fol. 82. 7) *De aliis Iudaeorum figmentis ac rationibus, quibus monstrari posse sibi persuadent, Messiam nondum venisse, nec Iesum fuisse Messiam fol.* 102. b. 8) *Aliae Iudaeorum obloquutiones, quibus Iesum et N. T. blasphemant, aduersus quos solide euincitur: Iesum iam venisse et Euangelista* MATTHAEVS *defenditur in allegatione vaticinii* ESAIAE: *Ecce virgo grauida.* fol. 121. b. 9) *De aliis Iudaeorum obiectionibus, de locis Euangelistarum, quae sibi inuicem aduersari videntur; an Iesus ex domo et familia* DAVIDIS *ortus fuerit, qua ratione ex Sp. S. conceptus, de genealogia* CHRISTI *a* MATTH. *et* LVCA *exposita, quod in Iesu Messia promissiones diuinae complementum suum sortitae sint, et quod praedeterminato tempore venerit. etc.* fol. 145. 10) *De triplici Christi officio, eius miraculis et inuocatione ipsi praestanda, aduersus Neo-Iudaeos.* fol. 176. 11) *De iustificatione nostra ex gratia, sine operibus, per fidem in I. C.* fol. 205. 12) *De vita christiana, et quomodo illa multis calamitatibus exposita, ad quas perferendas pii patientia, abnegatione et obedientia opus habent.* fol. 224. b. 13) *De baptismo et S. coena.* fol. 256. b.

Sequitur post haec adpendix latina, cuius SANDIVS l. c. p. 51 separatim mentionem fecit. Pertinet illa ad *dialogum* XII. et exhibet testimonia antiquorum et recentiorum Ecclesiae doctorum de his propositionibus: 1) Magistratui aliquid contra verbum Dei praecipienti

non obtemperandum; 2) Christiani omnia aduersa patienter perferant, neque de illatis sibi iniuriis ad arma, ad Magistratum, neque ad priuatam vindictam recurrant. *R.* ISAAC *B.* ABR. hoc CZECHOVICII opus in tr. suo *Chissuk Emuna* aduersus religionem Christianam allegat, saepiusque ad illud e. g. p. 119. 180. 185. 239. 342. 392. edit. WAGENSEIL. prouocat. *Vid.* WOLFII Biblioth. hebr. P. I. p. 642. et IOH. *a* LENT, *Theol. Iud*, p. 113.

Aduersus CZECHOVICIVM prodiit: Wenzidlo na sprosne blendy i bluznierstwa nowych Arianow, w ktorym som kazania i gruntowne ze wszystkiey Biblii y Doktorow stoientich nauki: o Syna Bozego obóim narodzeniu y Bostwie przewiecznym, a iemu z Oycem rownym spolystnim y nierozdzielnym: ktemu wyklady mieysc pisma swiętego, ktoremi sie przeczїwnicy zawodzom y pokananie blendow ich: a mianowicze w rozmowie Marc. Czechowica opisanych etc. przez X. Hieronyma Powodowskiego, Kanonika Poznanskiego w Poznaniu 1582. i. e. *Frenum horrendis erroribus et blasphemiis Neo arianorun iniectum, in quo continentur praecepta et doctrinae fundamentales ex tota S. scr. et Patribus Eccles. de vtraque Filii Dei natiuitate et aeterna diuinitate ante tempora, quam cum Patre parem, coessentialem et inseparabilem habet; Praeterea explicationes dictorum S. scr. quibus aduersarii semetipsos seducunt, et refutatio errorum, nominatim in Dialogo* MART. CZECHOVICII *expositorum*, etc. per HIERON. POWODOWSKI *Canonicum Posnaniensem Posnaniae* 1582. 4. cum dedicatione Regi Polon. STEPHANO scripta et approbatione STANISL. KARNKOWSKI, *Primatis regni et Archiepiscopi Gnesnensis.* Adversus hunc

hunc librum NIEMOIEVIVS CZECHOVICIVM defendere adnisus est. Quod IACOBVS, *Iudaeus Belzyc.* contra CZECHOVICII dialogos scripserit, infra n. 10. notabimus, et quae SIM. BVDNAEVS dialogo XII. eiusque adpendici opposuit, sub hoc indicauimus. Vid. quoque LVBOMIRSCIVS et GREGOR. PAVLI.

6. Rozsondek na *wyklad katechyzmu Ksiendza Pawla Gilowskiego*, Iego Milosci Pana *Stanislawowi Taszyckiemu* z Lielawie uczyniony, Roku od narodzenia Bozego 1580 Miesionca Septembra dnia 20. skonczony. 1 Tim. II, 5. 1 Cor. VIII, 5. 6. Drukowal Alexander Turobinczyk, Roku od narodzenia syna Bozego 1581. i. e. *Decisio in* PAVLI GILOVII *explicationem catechismi, facta coram Dn. Gener.* STANISL. TASSITIO. *ex Lizlawice, perfecta anno a natiuitate Dei* 1580. *d.* 20. *m. Sept.* 1 *Tim. II,* 5. 1 *Cor. VIII.* 5. 6. *Impressit* ALEXAND. TVROBINSCIVS (i. e. ALEX. RADECIVS *Cracouiae*) *anno a natiuitate filii Dei* 1581. 4. Alph. 1. pl. 10. STANISL. TASSITIVS. dedicationem praemisit, scriptam STAN. SZAFRANIECIO, *Castell. Sendomir. Lislawicii* 1581. 20. Ian. *Pauli Gilovii* opus, cui hoc CZECHOVICII oppositum est, antea prodiit sub tit. Wyklad katechizmu kosciola krzescianskiego s pism swientych dla wiary prawdziwey utwierdzenia y falsziwey sie ustrzezenia napisani przez K. Pawla Gilowskiego *Hebr.* X. 2. *Thessal.* I. 8. 1 *Ioh.* II. 4. i. e. *Explicatio catechismi Ecclesiae christianae ex S. scr. ad confirmandum verae fidei dogmata et praeseruandum a falsa doctrina, concinnata per* PAVL. GILOWSKI *etc. Hebr.* X, 2. 2 *Thess. I,* 8. 1 *Ioh. II.* 4. 4*to.* In fine legitur: w *Krakowie* R. P. 1579. Praemissa est dedicatio scripta PETRO ZBOROWIO etc. *Palat. Sendom.* Recentior editio,

quae circiter a. 1581 vel 82 prodiit, in titulo haec praeterea habet: napiſany, a teraz znowu z poprawom y przyczinkiem wypuſczony. Przez K. Pawla Gilowſkiego etc. Przydany tez ieſt Reyeſtr. Przydany tez ieſt odpis przeciwko Czechowicowi Nowokrzezcienſkiemu Ebionicie, ktory byl wypuſcil ſwoy Rozſondek przeciwko temu katechizmowi, na Artikul przednieyſzi o Bogu, doſyc nieſluſzny a blendu pelny. i. e. *concinnata, et iam denuo cum emendatione et additamento publicata, per* PAVL. GILOWSKI *etc. Cui adpoſitus eſt index etc. item reſponſio aduerſus* CZECHOVICIVM, *Anabaptiſticum Ebionitam, qui deciſionem ſuam aduerſus hunc catechiſmum in publicum emiſit, quae in praecipuo articulo de Deo indecenter concinnata ac errorum plena eſt.* 4 Alph. 4. pl. 12. absque reſponſione aduerſus CZECHOVICIVM. Locus et tempus impreſſionis non notantur. Praemiſſa eſt GILOVII dedicatio OSTAV. WOLOWICIO, *Caſtell. Viln.* et *M. D. Litthuan. Cancell.* ſcripta. Tertia editio prodiit 1605. 4. Vid. WENGERSCIVS l. c. p. 421.

CZECHOVICII deciſio operis *Gilouiani*, abſoluitur VI imputationibus, quas aduerſario ſuo obiicit: 1) Quod alios eius rei accuſet, cuius ipſe reus ſit. fol. 2. 2) Quod adſtruere conetur, quae ipſe ignorare ſe teſtatur. fol. 5. 3) De nominibus Dei hebraicis, quae non intelligit. fol. 28. 4) Quod Neo-baptizatos abſque ratione incuſet erroris in articulo de Deo. fol. 57. b. De Chriſto *fol.* 68. ita ſcribit: "Deus non tantum idolum non patitur; verum etiam Chriſto honorem ſuum non conceſſit; verba igitur: Non dabo honorem meum alii etc. non tantum idola, ſed quoque ipſum Meſſiam reſpiciunt." *Fol.* 90. "Filius hominis venit, edit et

bibit.

bibit. Deus vero cibo et potu non indiget." Fol. 91. 6. "Deus caret ſanguine ad nos purificandum a peccato, nec in crucem adfigi vel mori poteſt. Non igitur Deus, ſed verus homo pro nobis mortuus eſt." Et fol. 92. "Plures errore abrepti et ſeducti homines arbitrantur, mundum per Filium Dei eſſe conditum." 5) Quod ſibimet ipſi non conſtet; fol. 99. b. 6) Quod S. ſcripturam male, nec in toto contextu dicta alleget. fol. 106. De Chriſto iterum fol. 109. ſcribit: Homines ſibi tantum imaginantur Mediatorem, qui ſit verus Deus.

CZECHOVICII libro, GILOVIVS praeter ea, quae in ſecunda editione operis paulo ante allegati continentur adhuc pro defendenda catechiſmi explicatione oppoſuit tractatum: Odprawa przeciwko wiadowitim potwarzom *Marc. Czechowica* ktore wypuſcil na Wyklad Katechizmu *Pawla Gilowskiego* w Zeymach i. e. *Declinatio calumniarum* MART. CZECHOVICII, *quos aduerſus* PAVL. GILOVII *explicationem Catechiſmi effutiuit. Impreſſa Seymyae.* 4. pl. 26. prodiit circa a. 1605.

7. Reſpons na ſkrypt Staniſlawa Tarnowskiego ktorym zgode Liclawskom rozerwac uſyluie 1581. i. e. *Reſponſio ad ſcriptum* STAN. TARNOVII, *in quo Liclavicenſem pacificationem deſtruere adnititur.* 1581. 4. pl. 11. concinnata a 1579. notante SANDIO l. c. p. 53. Opuſculum hoc loco adpendicis operi Num. 6. allegato additum eſt. Praemiſit praefationem FLORIAN. MORSTINIVS, *Salinarum Velicens. Praefectus, ſcriptam* STAN. SZAFRANIECIO, *Caſtell. ſendom. Wieliciae* 1681. 20. Maii. Quam excipit CZECHOVICII reſponſio, quae ſub forma epiſtolae FLOR. MORSTINIO datae,

composita, et data *Lublini* 1579. 27. Iun. In hac sibi proposuit, FARNOVII argumenta pro exsistentia Christi ante eius ex Maria conceptionem, quae aduersus Socinianos debite proposuit, eneruare. Ad locum Io. I. 14. ita scribit CZECHOVICIVS fol. 7. 8. "Antiquum et papale figmentum est, quod Deus sit homo factus. Nam si antea revera fuisset Deus, postea vero revera homo vel caro factus, desiisset esse, quod antea fuit. Sic etiam vice versa etc." quod ipsum illustrari putat simili ab aqua in vinum Canae Galileae conuersa et baculo Mosis in serpentem mutato.

8. TRZECH *dni Rozmowa* etc. i. e. *trium dierum colloquium de quibusdam articulis fidei, praecipue vero de Paedobaptismo, conscriptum in Nieswiez, et dicatum Princ.* NICOL. RADZIVIL. 1565. 6. Ian. *Losci per* IO. KARCANVM, *e Velicia.* 1578. 4. Huic adtextum est CZECHOVICII monitum in suffragium NICOL. WENDROCOVII, *Ministri coetus Vilnensis* de *Paedobaptismo*, quod scriptum vt et proxime sequens ad historiam Synodi Brzestensis Cuiav. 1565. m. iun. pertinet, quam LVBIENIECIVS L. III. c. III. p. 177. et SALIGIVS l. c. p. 674. exposuerunt. Hoc trium dierum colloquium R. ISAAC B. Abr. in CHISSVK EMVNA aduersus christianam religionem p. 119. 125. 438. edit. WAGENSEIL. in *Telis ign. Sat.* allegauit. *Vid.* WOLFFIVS et *a Lent.* ll. paulo ante citatis.

9. O Dzeciokrzczenstwie krotkie wypisanie o zaczenciu sporu y polerowania okolo pierwszego sakramentu, t. i. S. Ponurzenia w Xienstwie Litewskim a potym y w Polscze. i. e. *De Paedobaptismo breuis relatio, de origine contentionis et politura adhibita primo Sacramento h. e. S. Baptismo in M. D. Litthuaniae et postea quoque in*

*in Polonia* (1565). Adtextum eſt ſcripto N. 8. allegato, et a SANDIO, l. c. p. 174. anonymis accenſitum, cum tamen ipſe p. 51. CZECHOVICIO illud expreſſe tribuerit.

10. *Vindiciae ſuorum Dialogorum contra* IACOBVM *Iudaeum de Belcyc.* 1581. polon. Reſpicit liber ad refutationem Iudaicam Dialogorum, ſub tit. Odpis *Iakuba* Zyda z Belzyc. na Dialogi *Marc. Czechowica* etc. w Lublinie 1581. i. e. Reſponſio IACOBI *Iudaei Belzycenſis, ad Dialogos* MART. CZECHOVICII etc. *Lublini* 1581.

11. Zwiersciadelo Panienek Chriſtianskich, ku obeyrzeniu ſie w powinnosciach ſwych chriſtianskich teraz nowo urobione Iak. I, Pſ. 23. Luk. II, v. 28. 1 Piotr. I, v. 25. w Drukarni Theofila Adamowica Roku od narodzenia ſyna Bozego. 1582. i. e. *Minutum ſpeculum Chriſtiani ſexus foeminei, in quo ſemet quoad officia ſua Chriſtianiſmo debita contueri poſſit. Nunc denuo fabricatum. Iac. I,* 23. *Luc. II,* 28. 1 *Pet. I,* 25. *in officina* THEOPH. ADAMOWITZ. (*) *Anno a natiuitate Filii Dei* 1582. 4. Alph. 1. pl. 6. Non quidem in titulo, attamen in dedicatione, duabus nobilibus virginibus ſcripta, nomen ſuum ſignificauit. SANDIVS ſcriptum hoc non notauit, quod tribus abſoluitur partibus, quarum quaelibet quibuſdam capitulis diſtinguitur. *Prima pars* agit de verbo Dei, eius praecellentia, certitudine et perfectione, et habet 20 capita. fol. b. 4. ad o. 4. *Secunda*, de vnico Deo, et vnico Dei Filio, homine I. C. habet capp. 19. fol. o. 4. - - aa 2. *Tertia*, de officiis Chriſti ciuium erga Deum et Chriſtum, nec non alios homines, aa. 2. ſeqq. De Opere re-

(*) Non igitur nomen THEOPH. ADAMIDAE (Pol. *Adamowicz*) Pſeudonymum eſt, quod PLACCIO et ZELTNERO videbatur, qui error exteris linguae polon. ignaris facile ignoſci poteſt. IO. HOFMANN de *typogr. polon.* p. 40.

redemtionis in se spectato Parte. III. c. 2. fol. bb. e. 9. fol. ff. et c. 1b. fol. ff. 3. satis orthodoxe, et verbo diuino conformiter scribit; adeo vt DAN. CLEMENTINVS l. c. fol. H. 2. b. et H. 3. ad CZECHOVICII testimonia in hoc articulo, aduersus reliquos Socinianos prouocaverit.

12. *Disputatio* IOH. NIEMOJEVII *et* MART. CZECHOVICII, *Lublini in templo Iesuitarum cum sacertotibus* WARSZYCIO et IODOCO (*) etc. *habita* 1581. ab ipso CZECHOVICIO polon. descripta. *MSC.*

13. *Explicatio VII. Cap. epist. ad Rom. quam primo fratribus Gedanensibus, postea vero synodo* 1584. *Wengrouiae congregatae proposuit.* Vid. quae sub FAVSTO SOCINO aliquando exposituri sumus.

14. *Epistola nomine totius synodi Chmielnicensis a.* 1586. 13. Septembr. *ad Magistratum Goslariensem in caussa* OSTORODI *scripta*, per ANDR. LVBIENIECIVM et IO. BALCEROVICIVM, *Seniorem coetus Vnitar. Lublin. Goslariam allata*, subscripta est a CZECHOVICIO, REBNICIO, *Ministr. coet. Cracov.* PAVL. ab ORGENTE, *Pocillatore Regio in terra Ottelonensi;* IO. LAVRENTIO aliisque, et inserta IO. MICH. HEINECCII antiquitat. *Goslar. Vid.* ZELTNERVS l. c. p. 284.

15. Rozprawa na Artyculy Lubelskie podane od X. Radziminskiego. i. e. *Illustratio articulorum Lubliniensium, quos P.* RADZIMINSCIVS *exhibuit*, circa a. 1592. (*Vid.* sub P. STATORIO, *Iun.*) Meminit scripti huius DAN. CLEMENTINVS in tr. pol. allegato fol. S. 4. Hh. 3. quo teste CZECHOVICIVS fol. 34. scribit: "Christus potentiam suam et supremum dominium prius non suscepit,

(*) Fortassis POWODOVIO. *Vid.* quae sub IO. NIEMOIEVIO dicturi sumus.

pit, quam Dei voluntatem perfeciſſet, et ex morte ſuſcitatus, ad dextram Dei euectus eſſet." Et fol. 73, Chriſtus gloriam ſuam in depoſito habuit apud Patrem; in tempore autem demum eam accepit.

## ALBERTVS CZECHOVICIVS.

Celebratur in *act. ſynod. MSC.* circa a. 1617. Miniſter olim Euangelicus fuit, cui ad Socinianos delapſo ſynodus ſtipendium pro iſtius temporis ratione, ſatis lautum ſtatuit, quo haberet, vnde vivere poſſit Racouiae, placitis ſectae in commodum totius coetus imbuendus. A. 1620. inter Alumnos Racov. adhuc nominatur. Idem fortaſſis eſt, cui vna cum Stan. Lvbieniecio in conſeſſu Czarcouienſi committebatur, ſcripta Christoph. Lvbieniecii examinare, et quae in iisdem publica luce digna fuerint viſa, coetui ſignificare.

## PAVLVS CZENADIVS.

A quibuſdam male Isanadivs adpellatur, *Med. Doctor et Gymnaſii Claudiopolitani Rector.* Quae de ipſo reſcire datum eſt nobis, in *Hiſtoria ſocin. Tranſylv.* expoſituri ſumus. Scriptorum nihil commemoratum legimus; niſi forte auctor ſit libri *de prouidentia Dei*, quem Synadio cuidam Tranſylvano Mersennvs tribuit. Vid. Zeltnervs l. c. p. 247.

## CORNELIVS DAEMS.

Favstvs Socinvs in epp. p. 378. eum vocat *amicum ſummum, et ſibi in religione potiſſimum, omnium, quos habeat, coniunctiſſimum.* Ad eum *Goudae* in Belgio tum commorantem ſcripta eſt Matth. Radecii epiſtola 1598. d. 18. Iun. qua Socini calamitates *Cracouiae* perpeſ-

pessas exponit. *Vid.* TH. CREENII *animaduerss. Philol. hist.* P. IV. p. 233. Dedit quoque ad eum Goudam ipse F. SOCINVS epistolam, Cracouiae 1588. 15. April. Italice scriptam.

## FRANCISCVS DAVIDIS.

Non *Hungarus*, quod SANDIVS l. c. CZWITTINGERVS in *Hungaria litter.* aliique complures perhibent, sed *Saxo Transiluanus.* *Vid. Miscell. Tigur.* T. II. P. II. p. 223. Antequam sacris se destinaret, os linguis necessariis, pectusque artium bonarum et philosophiae praeceptis instruxit. Iuuenis adhuc insignes in studiis fecit progressus, vt Praeceptorum quoque spem ac vota haud raro superauerit. Theologiae semet tandem dicauit; vario eruditionis supellectile ornatus, in certaminibus de veritatibus sacris fortem se praestitit athletam, ac tantopere facundia sua omnibus se commendauit, vt vix vnus esset, qui eundem audiuerit, quem non dicendi dulcedine allexerit. Litterarum ac morum moderator IOANNI SIGISMVNDO II. *Ioannis de Zapolia* filio, et SIGISMVNDI AVGVSTI Poloniae Regis ex filia nepoti datus erat; apud quem proinde multum valuit, eidemque haeresin suam posthac propinauit. Euangelico-Lutherana sacra primum suscepit acerrimumque per tempus aliquod se praestitit Antagonistam eorum, qui heluetican confessionem defendebant; posthac ad Reformatorum partes propendit, deinde persuasionibus inductus, Syncretista fuit; denique a GE. BLANDRATA corruptus *Superintendens* seu *Episcopus Vnitariorum*, contra *Trinitarios*, vti prius contra *Stancarum* acriter pugnauit. Isto enim tempore, quo scholae Claudiopolitanae Rector exstitit, STANCARO Ecclesias Reformatas per Transyluaniam turbanti adeo animose et erudite semet opposuit, vt nemo non

non eum supra aetatem excellentibus ingenii et eloquentiae viribus ornatum esse confiteretur. Editis quoque aliquot contra STANCARVM libellis, ita prorsus huius auctoritatem extenuauit, vt post obitum PETROVICII et ANTONII KENDI, qui eius Patroni fuerunt, nusquam reciperetur, nusquam refugium ei in Transyluania pateret, quare etiam in Poloniam se recepit. *Vid.* LAMPIVS l. c. p. 864. Intimus fuit GEORGIO BLANDRATAE, cuius commendatitiis apud Principem, quem ipse iuuenem litteris imbuerat, remoto DIONYSIO ALESIO, Lutherano, concionator aulicus Claudiopoli constitutus. Postea in Semiiudaizantium dogmata delapsus, doctrinam de Christo non adorando spargens, a CHRISTOPHORO BATOREO Transyluaniae Principe, vt nouator condemnatus, *Deuaeque* in carcerem coniectus, vbi a. 1579 animam efflauit. *Vid. Opp.* SOCINI T. II. p. 710. 711. vbi SOCINVS, quem pariter ac GE. BLANDRATAM FRANCISCVS DAVIDIS antagonistas habuit, se defendit contra calumniam, qua culpa calamitatis et obitus *Francisci Dauidis* in ipsum transferebatur. Quod NEVSERVS FRANCISCVM DAVIDIS dogmate isto de Christo non adorando imbuerit, SAM. CRELLIVS putauit in epistola ad amicum supra sub CRELLIO a nobis exscripta. Plura de vita et fatis eius, quem *Ios. Simlerus* in Tr. *de aeterno Dei Filio Dn. et Seruat. nostro I. C. et de Sp. S.* in praef. fol. d. 5. b. *Seruetum illustratum* adpellat, nec non de disputationibus cum eodem institutis in *Hist. Socin. Transylu.* exposuimus; scriptorum ob eodem compositorum indicem hoc loco suppeditaturi.

SCRIPTA:

1. *Refutatio* GEORGII MAIORIS etc. *vid.* sub. BLANDRATA Num. 21. Quae ibidem scripti huius verba allegauimus ex libro: Wittenbergische Grundfeste, reperiun-

riuntur quoque in oratione, inserta *Tomo* VI. *Orationum, quae — in Academia Witebergensi ab anno* 1565-71. *scriptae et recitatae sunt*, *Witeb.* 1571. 8. p. Yy. 6.

2. *De non inuocando I. C. in precibus sacris theses* IV. *propositae* FAVSTO SOCINO. circa a. 1577. His *F. S.* opposuit: *Responsionem ad theses IV.* FRANC. DAVIDIS. 1578. quae in initio sub eodem titulo prodiit a. 1580.

3. *Confutatio responsionis Faustinae*, i. e. *eorum, quae* F. SOCINVS *dictis thesibus opposuit.* Ad hanc fortassis ista SOCINI responsio tendit, cuius SANDIVS l. c. p. 71. his verbis meminit: *Fragmenta responsionis fusioris, quam* F. SOCINVS *parabat ad* FRANCISCI DAVIDIS *de Christo non inuocando scriptum.* Restant huius fragmenti VII. capita, cetera perierunt. Circa insigne et euidentissimum inuocationis Christi exemplum *Act.* VII. 59. stolidissime excepit vocem Ἰησοῦ ibidem non esse vocatiui, sed genitiui casus, vt ita STEPHANVS Patrem Domini nostri I. C. inuocauerit. *Vid.* IAC. MARTINI epistola dedicat. libro primo *de tribus Elohim* praemissa.

4. *Defensio* FRANC. DAVIDIS in *negotio* de *non inuocando I. C. in precibus: opera* IAC. PALAEOLOGI, MATTH. GLIRII et FRANC. DAVIDIS fil. in lucem emissa. 1580. 8. Basil. 1581. In hoc opere continentur quoque scripta N. 2 et 3. allegata, vna cum SOCINI responsione et VITRELINI *Iudicio Ecclesiarum* Polon. *Vid.* infra sub PALAEOLOGO. D. FRANZIVS *dispp. in Aug. Conf.* P. I. *Disp.* I. *thes.* 72. scripta DAVIDIS in hac controuersia adpellat *libros acheronticis flammis dignos.*

5. *Quaestiones nonnullae et ad eas* F. SOCINI *responsio.* Insertae sunt Opp. F. SOCINI in *Biblioth. FF. PP.*

6. *Epistolae ad Ecclesias Polonicas, super quaestione de Regno Christi millenario in his terris.* Albae Iul. 1570. MSC.

MSC. *Vid.* Io. FABRICIVS *Hist. Biblioth.* P. II. p. 78. *Czwittingerus* Specim. Hung. liter. p. 113.

7. *De dualitate tractatus in III. Capita distinctus. Cui adtextus est: Tractatus II. quod vnus solus Deus Israelis, Pater Christi et nullus alius inuocandus sit, continens Theses XVI. in generali synodo Thordana (*1579. 26. April.*) propositas. Tractatus III. obseruationes in theses IX.* GE. BLANDRATAE, *(Vid.* sub BLANDR. N. 6.) Sunt hae ipsae XVI. theses, quarum POSSEVINVS meminit, quasque SANDIVS l. c. p. 56. non vidisse testatur, detestandis blasphemiis confertae, posthac originaliter insertae FRID. ADOLPH. LAMPEN *Hist. Eccl. Reform. in Hung. et Transylv.* p. 360. ex quo easdem repetiit SALIGIVS l. c. p. 880. De SOCINI Antithesibus vid. sub F. SOCINO.

8. *Theses III. Quibus* BLANDRATA XXX. theses opposuit, quarum sub BLANDRATA mentionem fecimus, *Num.* 7.

9. *Libellus paruus XXX. thesibus* BLANDRATAE *oppositus, in quo asseritur, I. C. vocari nunc non posse Deum; Jesum invocari non posse in precibus; Iustificationem et Praedestinationem a* LVTHERO *et* CALVINO *male fuisse intellectas: De Regno eius Messiae, quem fore Prophetae diuinarunt, qui esset I. C.* A. 1578. in lucem emissus.

10. *Confessio de Trinitate.* Lingu. Hungar. et *Synodo Waradinensi* 1569. *exhibita; vna cum IX. articulis.* Inseruit scriptum hoc ex LAMPIO, SALIGIVS l. c. p. 867.

11. *Dehortatio et descriptio Dei tripersonati.* 4. pl. 1. Opusculum horrendis blasphemiis consarcinatum et orco dignum, quod, vt FRANCISCO DAVIDIS tribuamus, totius historiae nexus nos commouet. Tempus et locus impressionis non quidem notantur. Eadem vero in illo videtur typorum forma esse, quae in opere sub

BLANDRATA Num. 27. notato, quod 1569 Albae Iuliae prodiit, circa quod tempus, blafphemum hoc DAVIDIS fcomma carmine elegiaco concinnatum et CI. difticha complectens probabiliter prodiit, quippe in quo belli Turcici isto tempore in Hung. et Tranf. gefti mentio fit, quasque regiones auctor, vt patriam fuam defcribit. Peculiari deftituitur titulo, vel tituli pagina; fiquidem, quam fuppeditauimus, infcriptio in prima fubiuncto textui praepofita eft. Hoc eft initium carminis:

"*Ecquid in aduerfas fcindetis dogmata partes?*
*Perfida num femper triftis Erynnis erit?*"

Deplorat deinde auctor triftem patriae fuae, controuerfiis de religione et bello Turcico deuaftatae ftatum, ficque Dift. 13 et 14, canit:

"*Hinc inteftino Mauors properare veneno*
*Fertur et in proprium fpicula ferre latus.*
*Dirigit hinc aciem faeuus Mahometa cruentam.*
*In nos terribilis Teutonis ora ruit.*"

Et Dift. 20:

"*Cernitis in cineres muros patriamque redactam,*
*Pannoniae terram perfidus hoftis habet.*"

Praecipuam vero partem carminis conftituunt horrendae illufiones, quas in SS. Trinitatis myfterium eructat. Ita Dift. 32. 33. 36 et feqq. inquit:

"*Difcite, non coelo triplicem confidere Regem;*
*Impia Graiorum monftra caterua colit.*
*Non Deus eft monftrum Triuium, nec terna figura:*
*Talis* (tales) *Eumenidum parturit aula Deos.*
*Hinc triplices formae, perfonae, terna poteftas,*
*Hinc fine matre Deus, nec fine patre Deus,*
*Sic Deus alterius iuffa* (iuffu) *defcendit, et ipfum*
*Tertius informat, primus in arce fedet.*" "*Ter-*

"*Tertius a primo transfunditur, atque Secundum*
*Vngit, at eſt illis vna figura tamen.*"

Horror nos auocat, quo minus blaſphemas comparationes cum tribus poetarum *Gorgonibus*, *triformato Sphynge*, *tricipite Cerbero*, *Chimaera*, *Geryone*, aliisque, qvas impiiſſimus auctor a Diſt. 41 ad 72 ſarcaſticis irriſionibus inſtituit, repetamus. Diſt. 74 et ſeqq. hanc ad diuinam eſſentiam Apoſtrophen blaſphemus homo addit:

"*Heus ſpeculum multis ſpecies nocitura trifronte,*
*Ignoſcas falſo crimina tanta mihi!*
*Nec ſciri poteris, qui ſis, niſi forma trimembris:*
*Diceris ipſe triceps, diceris vnus item.*"
"*Vnus et es, ſed non vnus, ſis vmbra tricorpor,*
*Hoc tibi pro juſto nomine nomen erit.*"

Diſt. 77. et 78. ita ſibi obiectionem format, et ipſe ſoluit, ſimulque documentum peſſime in conſilium vocatae rationis proponit:

"*At credam, dices, etiamſi ſcire neqvibo;*
*Ingenium terni non capit ora Dei:*
*Ambiguis certe non poſſum fundere vota*
*Numinibus, notum nam precor ipſe Deum.*"

Reliqua carminis parte, impius verſifex ſuam de Deo vno et miſſo in mundum Meſſia exponit confeſſionem, poſthac precibus et admonitione ad Chriſtianam ciuitatem directa poemati finem imponit.

## IOANNES DEMIANOVICIVS.

A. 1641. In ſynodo Piaſcenſi in alumnorum numerum ſuſceptus. Poſtea eum 1643. ſynodus praeceptoribus ad ſcholam Luclavſcianam conſtitutis, ut eos in ferendo labore ſcholaſtico ſublevaret, conceſſit. A.

 1647.

1647. KRZYSZKIEVICIO in exteras regiones proficiscenti, ad coetum Krzelouienſem ſucceſſit. Ipſe tamen a. 1649. publicis ſumtibus iter ſuſcepit ex ſtatuto conſeſſus Raſzcovienſis, et adhuc 1650. peregrinanti ſtipendium 100 thaler. conceſſum. Redux in patriam a. 1651. coetui Raciborſcenſi, a. 1653. autem Miloſtovienſi et Halizano admotus eſt.

## STANISLAVS DEMIANOVICIVS.

A. 1651. Nobili Foeminae SVCHODOLIAE liberorum paedagogus commodatus eſt, a. autem 1653. Io. MOSKORŻOVII liberis praefectus. A. 1654. in conſeſſu Czarcouienſi ſpes ipſi facta exteras inuiſendi regiones, hinc quoque a. 1655. a conſeſſu Raſzcouienſi ad addiſcendam linguam teutonicam publico ſtipendio in Germaniam miſſus. a. 1662. poſt vniuerſale exſilium huius familiae ſubſtitit in Polonia paedagogus liberorum MARCI LVBIENIECII. a. 1668. in conſeſſu Cruciburgi in Ducatu Bregenſi, Sileſiae habito, miniſterio Eccles. initiatus eſt. Fortaſſis a. 1672. adhuc ſuperſtes fuit; lego enim in exemplari *Comment. in* Epp. *Apoſt.* CONR. VORSTII, quo utor, haec adſcripta: *Nunc mihi* TOBIAE VILCOVIO ex donatione STANISLAI DEMIANOVICII, *Affinis mei dilectiſſimi*, *A. 1672*, *vltimis Septembr.*

Nominatur quoque in actis Mſc. STEPHANVS DEMIANOVICIVS, qui olim excommunicatus, a. 1683. in conſeſſu generali *Rutoviae* in Boruſſia habito, in coetus ſinum ſuſceptus.

## IOANNES DENKIVS.

A SANDIO non notatus, Antitrinitariis uero omnino adnumerandus, quod in *hiſtoria Socinianismi* ex eiusdem

dem libro: **Ordnung Gottes und der Creaturen Wort** rc. p. 14. aliisque argumentis demonſtravimus, uitae etiam et ſcriptorum eius hiſtoriam exhibituri.

## CHRISTOPHORVS DINDERSTADIVS.

A SANDIO l. c. p. 97. Antitrinitariis uindicatus, quem *de promiſſo Ieſu aduerſus Iudaeos* ſcripſiſſe narrat. An libellus typis vulgatus, an in Mſc. ſaltem extiterit, *Sandius* non notauit.

## IOANNES CONRADVS DIPPELIVS.

Natione Germanus ex Haſſia, arte Medicus, qui in editis a ſe libris CHRISTIANVS DEMOCRITVS appellari maluit; ſecundi ordinis Socinianis accenſendus, ita ſentiente IO. GE. WALCHIO in *Biblioth. theol. ſel.* T. 1. p. 947. niſi forte his pejor ac maledicentior. De eodem alibi plura.

## STEPHANVS DOLETVS.

Natione *Gallus*, *Aurelius*, Poeta, Rhetor, Criticus et Typographus Lugdunenſis, ac proinde in cenſum doctorum typographorum referendus, diu propter haereſin in carcere detentus, tandem 1546. d. 3. Auguſti Pariſiis igni traditus. A Senatu horrendum hoc ſupplicium ſtatuente, inter alia Antitrinitariiſmi imo et Atheismi accuſatus. De eodem in *Hiſt. Socin. Gall. Vid.* PETRI BAYLII *Diction.* et NICERONII *Memorab. Erud.* **Hamburg. vermiſchte Bibliothec.** T. III, p. 297. ſqq. Effigiem eius aeri inciſam oculis expoſuit NICOL REVSNERVR in *Iconibus clarorum virorum.*

SCRIPTA:

1. *Orationes duae in Tholoſam. Eiusdem Epiſtolarum libri II. Eiusdem Carminum libri II. Ad eundem Epiſtolarum*

*larum amicorum liber.* 8. absque loci et temporis commemoratione, probabiliter tamen Parisiis circa annum 1533. *pagg.* 246. *Vid.* DAV. CLEMENT. *Biblioth. hist.* et *crit.* T. VII. p. 422. seqq.

2. *Dialogus de imitatione Ciceroniana pro* CHRISTOPH. LONGOLIO *contra* DESIDER. ERASMVM. *Lugd. apud Sebast.* GRYPHIVM a. 1535. 4. Dicatus est libellus, paginas 197. habens GVLIELMO SCEVAE. Vid. *Dav. Clement* l. c. p. 427.

3. *Commentariorum linguae* latinae *Tomus primus.* STEPHANO DOLETO *Gallo Aurelio autore, Lugduni apud Seb.* GRYPHIVM 1536. *Cum priuilegio ad quadriennium, fol. pagg.* 1708. absque praef. et dedic. *Tomus secundus* ibidem 1538. pagg. 1717. dedic. praef. et indic. pagg. 32. Singuli Tomi dicati sunt FRANCISCO VALESIO *Galliae Regi.* Vtrumque praeterea GVLIELMO BVDAEO peculiari epistola sacravit, quam in priori tomo excipit praefatiuncula *de Commentariorum ratione et ordine,* de quibus ita inquit: Commentariorum universorum *tres tomos* conficere visum est. *Primum,* quo a me de verborum, et nominum significatione vsuque dici est coeptum. *Secundum,* quo inchoatam tantum verborum et nominum expositionem persequar, quo item de particulis indeclinabilibus ad extremum liqueat. *Tertium,* quo raros quosdam, eosque elegantiores loquendi modos ex scriptoribus latinis erutos, collectosque declarem: et linguae latinae phrasin atque numeros oratorios arte brevi perstringam. Ex hoc opere vasto, nec non ex eo, quod N. S. allegabitur, plagii literarii accusatur a JAC. THOMASIO, in Diss. *De plagio litterario,* et a Io. DAN. MORHOFIO, in *Polyhist.* Tom. I. p. 113. qui eum ex ROB. STEPHANI et NIZOLII Thesauris,

ſanris, nec non BARTHOL. RICCII et LAZ. BAYFII lucubrationibus plurima in hos commentarios compilaſſe adfirmant.

4. *Commentariorum linguae* STEPHANI DOLETI, *epitome duplex, quarum altera quidem vocum omnium in illis explicatarum, et in alphabeticum ordinem redactarum ſignificationes continet. Altera vero, ſimilia, affiniaque verba, et eorum contraria, eodem quo ipſi autori viſum eſt ordine complectitur. Ad haec Dictionum, quae praeter Alphabeti ordinem in explicandis aliis inſeruntur, Index. Omnia in ſtudioſorum adoleſcentum gratiam uſumque, nunc primum et collecta et edita. Baſileae* 1537. 8. *Alph.* 1. pl. 15. *Indic.* 1½ *pagg.* 598. Praefatiunculam ad lectorem praemiſit IONAS PHILOMVSVS, qui STEPHANVM DOLETVM, *virum ſua quidem aetate citra controverſiam doctiſſimum et de re latina non male meritum* adpellat. In *Bibliotheca Baumgarteniana* P. II. Sect. II. append. p. 74. N. 319. *ſecundus tomus Baſil.* 1539. *et in Biblioth. Bodlej.* a THOM. HYDE edita p. 211. duo tomi comment. de lingua latina Baſil. 1540. 8. allegantur.

5. STEPHANI DOLETI de re navali liber ad LAZARVM BAYFIVM Lugd. 1537. apud SEB. GRYPHIVM 4. pagg. 189. Vid. DAN. CLEMENT. l. c. p. 433.

6. STEPHANI DOLETI GALLI AVRELII *Carminum libri Quatuor. Lugduni*, a. 1538. 4. Alph. 1. In inverſa tituli pagina, ita DOLETVS ad Zoilum:

"*Non me fugit, Zoile, fore multum riſum*
*Tuum, Poetam magnum modo quod me appellem,*
*Modo beatum dicam genere omni verſus.*
*Sed actum ages, id ſi riſeris: ego enim primus*
*Id riſi, vt eſt plus Democriti riſu dignum.*

"*Verum tu animose fac cum aliis cunctis nostrae*
*Laudi parum aequis, vt eo nomine me oblatres.*
*Vestros latratus quomodo me terrere*
*Putatis? VT Leonem, Aprumve Melitenses*
*Catelli: utque Culex parvus Indicum Elephantem:*
*Vt Accipitrem multum validum imbelles Picae.*"

Dedicationem ad CLAUDIVM COTTERAEVM, subscriptam *Lugduni* Calendis Iunii 1538. ita inchoat: "Post longum diuturnumque laborem, quem in edendo primo et secundo meorum linguae latinae Commentariorum Tomo consumpsi, antequam ad tertii Tomi (quo mei omne ingenii, et in eloquentia judicii documentum servo) editionem progrederer, suaviorum Musarum jocis oblectare me visum est. Visum vero id est non tam oblectationis caussa, quam nonnullorum obtrectatorum frangendorum nomine, qui maledicendi ansam eo in me arripiunt, quod Commentariis conscribendis tempus tantum dederim:perinde quasi maiora praestare nequeam, et ad mediocria, vel vulgaria sim solum ipse natus." Librum secundum p. 58. dicatum voluit *Cardinali Turronio*, in quo primo loco caedem Sicarii a se Lugduni factam, suumque deinde exsilium exponit. Tertius liber adscriptus est IOANNI BOYSSONAEO p. 110. Quartus p. 152. SEBASTIANO GRYPHIO.

Non vulgare autoris ingenium, aliquando tamen ad lasciuiam et obscoenitaten proclive produnt epigrammata hoc opere collecta, quibus aduersus se inimicos quamplurimos concitasse videtur DOLETVS, qui non nisi tremendo ipsius supplicio acquieverunt. Speciminis gratia unicum subiungimus. Ad Nic. FABRICIVM VALESIVM, de Cucullatis, p. 27.

Incur-

"*Incuruiceruicum Cucullatorum habet*
*Grex id ſubinde in ore, ſe eſſe mortuum*
*Mundo: tamen edit eximie pecus, bibit*
*Non peſſime, ſtertit ſepultum crapula,*
*Operam Veneri dat, et voluptatum aſſecla*
*Eſt omnium. Idne eſt mortuum eſſe Mundo? Aliter*
*Interpretare. Mortui ſunt hercule*
*Mundo Cucullati, quod iners terrae ſunt onus;*
*Ad rem utiles nullam, niſi ad ſcelus et uitium.*"

In fine libri p. 176. ſqq. amicorum ſingularium quorumdam ad STEPHANVM DOLETVM uerſus adtexti ſunt, inter quos GODEFRIDI BERINGII ultimum locum occupantes ſunt:

"*Inter latinos eſt Poetas maximus,*
VIRGILIVS: *inter Rhetores eſt* TVLLIVS.
*Lumen* DOLETVS *uniuerſae Galliae*
*Vtrumque ſi non uincit, exaequat tamen.*"

7. FRANCISCI VALESII *Regis fata. Vbi rem omnem celebriorem a gallis geſtam noſces, etc. Lugd.* 1539. 4. *pagg.* 79. *Prodiit uerſio* gallica ſub titulo: ESTIENNE DOLET, *Les geſtes de Françoys de Valois Roi de France, translate en langue Francoiſe, à Lyon,* 1640. 4. *Vid. Biblioth. Vffenbach.* T. II. p. 104. et DAV. CLEMENT. l. c. p. 435.

8. *Formulae locutionum lat. illuſtriorum in tres partes diuiſae. Prodiit Lugduni* apud GRYPHIVM 1539. *fol.* Vid. CLEMENT. l. c. p. 437. FREYTAGII *Analecta liter.* p. 292.

9. *De imitatione Ciceroniana* STEPHANI DOLETI, *aduerſus* FLORIDVM SABINVM, *Liber, Lugduni, ex officina autoris,* 1540. 4. Continet Apologiam pro ſcripto N. 2. allegato. *Vid.* FREYTAGIVS l. c. p. 293.

10. STEPHANI DOLETI *liber, de officio legati, de immunitate Legatorum; de legationibus* IOANNIS LANGIACI

*Episcopi Lemouicensis. Lugduni* 1541. 4. Vid. FREYTAGIVS l. c. p. 293. et CLEMENT. l. c. p. 438.

11. *Le second Enfer de* DOLET, *a Lyon, chez l'Autheur.* 1544. 8. *Vid.* CLEMENT. l. c. p. 439.

12. *Methodus transferendi ex una lingua in alteram,* gallice *exposita.*

13. *Eques Christianus*, gall.

14. *Adhortatio ad lectionem S. scripturae*, gall.

15. *Preces biblicae*, gall.

16. *Ipso curante* SVETONII *libri prodierunt.*

17. De *Dominicae precationis explanatione etc.* quae *Lugduni* apud STEPH. DOLETVM 1541. 16. Alph. 1. pl. 2. prodiit, prolixe tractauit Io. BARTH. RIEDERER in den Nachrichten zur Kirchen- Gelehrten- und Büchergeschichte T. IV. P. 14. p. 227. sqq.

## IOSEPHVS DOMANOWIVS.

Adpellatur quoque in *Actis MSC.* DOMANIEVIVS, Teste SMALCIO in diario uitae apud ZELTNERUM l. c. p. 1172. inter praecipuos fuit, qui in Litthuania blasphemiam de non inuocando Christo defenderunt.

"Ita autem inquit ad a. 1600. d. XVIII. Iunii in Litthuaniam missus sum cum Dn. CHRISTOPH. LVBIENIECIO, Collega meo et Dn. CHRISTOPH. RVDNICIO, Ministro Surasiensi ad *synodum Neogardiensem*, ut ista blasphemia, quae quorundam animos occupauerat, de non inuocando Christo, eradicari funditus posset. Vocatus erat Antesignanus istorum blasphemorum DOMANOWSKI quidam; sed non comparuit. etc. Et ad mensem Decembr. eiusd. anni: Eodem anni tempore iterum cum iisdem collegis missus fui in Litthuaniam ad componendas istas controuersias. DOMANOVIVS iste detrectauit colloquium et ad Syno-

Synodum non uenit. Itaque diu multumque agitata, tandem omnium consensu excommunicatus est."

Videtur tamen valedixisse suis placitis, et tandem cum reliquo Socinianorum coetu reconciliatus; nam iubente synodo cum SMALCIO et CHRISTOPH. RVDNICIO, coetus Litthuanicos, in synodo Neogardiensi 1609. d. 4. Octobr. celebrata, uisitauit.

SCRIPTA:

1. *Disputatio Polociae* (Litthuan.) *habita* 1589. m. Octobr. qua asseruit, animam cum corpore interire. *Vid.* IO. MEISNERI *disp. de statu animarum separatarum. Witteb.* 1661. §. 5.
2. *Disputatio Novogrodiensis* cum MART. SMIGLECIO, *Iesuita habita* 1594. *conscripta* per IOSEPH. DOMANIEWSKI, *impressa apud* BOLEMOWSCIVM. *Vid.* ZELTNERVS l. c. p. 346.

Aduersae partis de hoc colloquio relationes prodierunt: 1) MART. SMIGLECII *descriptio disputationis Novogrodiensis* cum IOH. LICINIO *Anabaptista, habita* 25 Ianuar. 1594. 4. *polon.* 2) ALBERTI ZAIONCZKOVII *descriptio disputationis Novogrodensis de diuinitate Christi inter* MART. SMIGLECIVM et IOH. LICINIVM. Vilnae 1594. 4. polon. *Vid. Illustr.* ZALVSCII *Conspectus novae collectionis* etc. p. 43. N. 317. 318.

## DOMARADZIUS.

Nobilis polonus, quem in Ep. RVARI ad GROTIVM, *Gedani* 1633. *prid. Id. Augusti scripta*, in *Epp.* ex edit. ZELTNERI p. 136. nominatum animaduertimus, ad quem GROTIVS litteras dederat, per RVARVM eidem insinuandas. Fortassis *Grotio* ex itineribus Gallicanis cognitus erat.

DOMA-

DOMARADZIORVM nomen in *hiſt. ſocin. Pruſſ.* ſaepius occurrit.

DIETRICHVS DORSCHIVS. *Vid. Matth. Glirius*

## IOACHIMVS DROZOVIVS.

In vltimo conſeſſu in Polonia a. 1662. habito deſignatus eſt miniſter fratrum *Manhemii* poſt exſilium Polonicum collectorum, ipſique cum aliis commendata eſt cura revidendi commentarios IONAE SCHLICHTINGII.

ANDREAS DVDITHIVS, ab *Horehowitza, Sbardellatus.*

Circa pertexendam *Dudithii*, viri omnino memorabilis atque eruditiſſimi vitam, Hungaricaque nobilitate inſignis, perplures occupati fuerunt. Inter hos primum locum tenet QVIRINVS REVTERVS filii DVDITHII natu maximi ultra biennium Paedagogus, poſt in Academia Heidelbergenſi Profeſſor, qui quaedam *Dudithii* ſcripta et vitam, poſt elogium *Thuani* primus omnium in lucem emiſit, quibus titulum fecit: ANDREAE DVDITHI *de Horehowitza, quondam Epiſcopi Quinque-eccleſienſis, Oratoris et Conſiliarii Caeſarei orationes in Concil. Trident. habitae. Apologia ad D.* MAXIMIL. *II. Imp. Commentarius pro coniugii libertate, cum appendice epiſtolarum DD. Impp. et PP. German. orationum et ſcriptorum aliquot, de communione ſub utraque ſpecie, connubio ſacerdotum, Eccleſiae reformatione, Synodique Tridentini potiſſ. actionibus, quorum indicem a praefatione proxima pagella monſtrat. Nunc edita ſtudio ac opera D.* QVIRINI REVTERI, *Palatini, Profeſſoris in Acad. Heidelberg.* 1610. *Offenbachi, typis Conradi Nebenii, impenſis vero* ARNOLDI PHILIPPI KOPFFII. *Proſtat apud* KOPFFIVM *Fran-*

*Francof.* 4. *pagg.* 230. et 30. *praef.* Poſt dedicationem REVTERI IAC. BONGARSIO et GE. MICH. LINGELSHEMIO ſcriptam, ſequens exhibetur index opuſculorum in hoc volumine contentotum: 1) ANDR. DVDITHII *tres orationes in concilio Trident. a.* 1562. *habitae.* 2) *Eiusd. excuſatio ad D.* MAXIMIL. II. *Imperatorem de epiſcopatu ac honoribus abdicatis a.* 66. 3) *Ei. demonſtratio, matrimonium eccleſiaſtico ordini quoque divina lege conceſſum eſſe.* 4) *Ei. epiſtolae ad* MAXIMIL. II. *Caeſarem.* 5) MAXIMILIANI II. *teſtimoniales litterae.* 6) FERDINANDI *Imp. ad* PIVM IV. *papam epiſtolae de calice permitendo.* 7) *Ei. articuli reformationis eccleſiae.* 8) *Caeſaris oratorum ad legatos concilii ſcriptum de eodem argumento.* 9) MAXIMILIANI *Regis epiſtola* ad PIVM IV. 10) CAROLI *Archiducis Auſtriae* etc. *ad eundem.* 11) ALBERTI *Ducis Bavariae ad eundem de S. Calicis conceſſione.* 12) *Ei. Conſiderationes ſuper matrimonio ſacerdotum.* 13) *Ei. oratoris oratio habita in concilio de reformanda eccleſia.* 14) *Synodi reſponſum.* 15) *Ex orationibus Lotharingi Cardin.* 16) *Ex oratorum Regis Galliae ſermone fragmenta.* 17) *Eorundem admonitio ad patres concilii.* 18) *Regis Galliae poſtulata ſive articuli reformationis in concilio propoſiti.* 19) *Ei. oratorum proteſtatio contra Papam.* 20) PAVLI III. *Papae ad* CAROLVM V. *epiſtola* ἐπιτιμητικὴ *cum notis politicis.* 21) *Ei. epiſtolae duae ad Helvetios.* 22) IO. SLEIDANI *epiſtola ex Tridentino concilio ſcripta.* 23) *Proteſtantium imperii ſtatuum ſcriptum ad Reges et Principes Chriſtianos de concilio Mantuam indicto.* 24) *Brevis* ἔκϑεσις *et recenſio cauſarum, cur orthodoxi germani concil. trident. etc. adhuc recuſent.* 25) *Proteſtatio nullitatum contra concil. trident. confirmata ex authenticis aliquot monumentis.* 26) AONII

POLE-

POLEARII *martyris obtestatio.* Ad haec lectu digna istius temporis monumenta in fine accedunt: IACOBI *magnae Britanniae, Franciae et Hiberniae Regis, confessio fidei in comitiis ordinum comprobata, subscripta et publicata.* EDVARDI *VI. Angliae, Franciae et Hiberniae Regis edictum de reformatione religionis. Anglorum epistolae ad Germanos, de primordiis suae reformationis et mirabilibus quorundam imaginum seu simulacrorum historiis.* THOMAE CRANMERI *Archiepiscopi Cantuariensis et Martyris epistola super controversia de coena Domini orta.* Praeter haec vita DVDITHII a REVTERO scripta, (non absque erroribus in primis circa matrimonium DVDITHII commissis, ex apologia tamen ejus facile emendandis) cui addita sunt testimonia, DVDITHII laude plena. Rarissimis scriptis hanc REVTERI collectionem esse accensendam, librorum rariorum aestimatoribus satis constat. Vid. I. A. FABRICII *Biblioth. Gr.* T. XI. p. 706. *Obser. Halens.* T. V. Obs. XI. §. 31. p. 379. et NICERONII hist. erudit. germ. vers. T. XIII. p. 260. seqq.

Praeter REVTERVM vitam DVDITHII scripserunt THVANVS, in *Hist. sui temporis* L. XCVI. p. 476. MICH. CASP. LVNDORPIVS in *Contin. Io. Sleidani de statu Rel.* et *Reip.* T. II. p. 766. seqq. QVENSTEDIVS *in patriis virorum illustr. Witteb.* 1654. p. 261. AMANVS, L. XCVI. *hist.* ad a. 1589. p. 314. A. B. seqq. SIMLERVS, in *compend. Gesneri* p. 43. PRAETORIVS, in epist. ad GEORG. MICH. LINGELSHEMIVM, Altdorffio Calend. Septbr. 1607. scripta, et inserta *Monumentis pietat. et litterar. viror. in republ. et litter. illustrium selecta*, *Francof.* ad Moen. 1701. 4. P. II. p. 123-128. SANDIVS, l. c. p. 61. KOENIGIVS, in *Biblioth.* p. 263. EYBEN in TOB. MAGIRI *Eponymol. Crit.* p. 296. seqq. BVDDEVS, in *Observat.*

*servat. Halens.* l. c. p. 346-379. ROLLIVS, de *nobilibus Theol.* p. 114. sqq. NICERONIVS, l. c. p. 260-268. *Auctores* der Unsch. Nachr. a. 1702. p. 875. sqq. ADOLPH. CLARMVNDVS, in *vit. Clariss. viror.* P. VI. p. 173-181. FREHERVS, in *theatr. erud.* f. 913. LVD. ELL. du PIN, in *Nova Biblioth. scriptorum Eccles.* T. XV. *Amstel.* 1710. 4. p. 193. seqq. THEOD. CRVSIVS in *Miscellaneis Silesiacis continuatis*, quibus ADAMI PANTKE *diss. hist. de Nobilitate Wratislaviensium erudita*, Lips. 1697. defensa, multis notis et quorundam eruditorum inprimis DVDITHII vita aucta, inserta est, aliique plures. Maxime vero acceptam eruditis praestitit operam *celeb.* GODOFREDVS SCHWARZIVS Rector Gymnasii Osnabrug. qui hungaricum nomen LORANDI SAMVELFY adscivit, in diss. *de vita et scriptis* DVDITHII, quae SALIGII Tom. III. *historiae syn. Trident.* una cum V. *Orationibus* DVDITHII adtexta est; Idem liber separatim quoque prodiit sub titulo: ANDREAE DVDITH. *ab Horehowicza, Dn. in Smigla, III. Impp.* FERDINANDI *I.* MAXIMILIANI *II. et* RVDOLPHI *II. consiliarii et Oratoris primarii ep. tunc tinien. Orationes quinque in concilio tridentino habitae, quarum posteriores duae nunc primum e Msc. prodeunt. Cum appendice orationum duarum, quas* GEORGIVS DRASCOWITH *ep. tunc quinqueccles. in eodem concilio habuit. Praefatus est, ac dissertationem de vita et scriptis ill. auctoris historico-criticam adiecit* LORANDVS SAMVELFY. *Halae Magdeb.* 1743. 4. Alph. I. pl. 5. Maiorem operis partem complectitur vita DVDITHII a celeb. *Schwarzio* conscripta, quae nitore sermonis et rerum memorabilium selectu se maxime commendat. Constitutum apud se habuit auctor, alterum, isti, quod edidit, non impar volumen luci exhibere publicae, complexurum excusationem ad MAXI-

milianvm *Imperatorem*, *demonstrationem pro libertate coniugii Clericorum*, *vitam Cardinalis* Reginaldi Poli, et *commentariolum de cometarum significatione*, ac tandem in tertium volumen, *epistolas omnes*, *tam dogmaticas*, *quam ad amicos* scriptas compingere. Sed ambo adhuc, quantum scimus, lucem non viderunt. Post hunc Carol. Beniam. Stieffivs *Tentamen historicum de vita et placitis* Dvdithii, *Wratisl.* 1756. 8. germ. in lucem emisit, de quo opere vid. Bavmgartenivs in Recens. *libr. memor.* T. x. p. 529. Florim. Raemvndvs et auctor anonymus *Hist. Socinismi gall. scriptae* informem Dvdithii imaginem mendacemque historiam effinxerunt. Illis itaque, aliisque subsidiis actisque Synod. Msc. adiuti, praecipua Dvdithii fata expositari sumus.

Andreas Dvdithivs * ab *Horchowitza*, ** cognomine *Sbardellatus* (male Shardellatvs nonnullis) a materna stirpe dictus, quam semper venerabatur, suamque reverentiam testandi caussa saepius hoc nomen in epistolis adscivit, illoque se compellari adamavit. *Budae* in Hungaria, vel in castello prope hanc urbem (dubie enim id exponit Thvanvs l. c.) a. 1533. die xvi. Febr. adeoque octo ante annos, quam *Buda* a Turcis a. 1541. occupata, *** patre Hieronymo (vel secundum alios Iacobo) nobili

* Ipse nomen suum plerumque Dvditivs, aliquando etiam Dvditz et Dvdicz scripsit. Publico instrumento confirmationis, ordinibus terrarum Prussiae de servandis privilegiis dato *Varsoviae* d. 17. Septembr. a. 1575. subscripsit, Andreas Dvditz, apud Godofr. Lengnichivm in *Hist. terrarum Pruss.* T. III. f. 57. Dvdicivs Praetorio venit in *epist. dedicat. confess. Armeniorum ad* Albertvm Frider. *March Brandenb. Ducem. Prussiae*, et Dvdichivs Grinsio in *vita Lutheri.*

** Perperam a quibusdam Hotohqviza, Horehovizza, Horecoviza, Horchoviza Etc.

*** Anno 1541. Solymannvs, Turcarum Imperator, quinto in Hungariam reversus, *Budam* e manibus Reginae Isabellae pro se occupavit 26 Augusti. *Vid.* Nicolai Olahi *Chronicon*, in Matth. Beli *adparatu ad hist. Hungar. Decad.* 1. *Monum.* 1. f. 40.

nobili Hungaro et matre N. SBARDELLATA, nobili femina ex Venetia, in hunc orbem expoſitus eſt. Pater infanti ereptus dicitur bello Turcico, mater vero ſuperſtes in vita fuit ad annum 1572. Quod puer optimam nactus educationem, et inſigne eius ingenium lingua latina et Rhetorica ſcientia imbutum fuerit, CLARMVNDVS l. c. narrat. Inprimis ſtudio hiſtorico & politico operam impendit omnem, cuius poſtea in variis negotiis utilitatem expertus eſt. Eundem cum STEPHANO BATHOREO, Tranſyluaniae Principe et tandem Rege Poloniae educatum fuiſſe, MELCH. ADAMVS in *vitis Theologg. germ.* p. 821. ex relatione *Caroli Osleuii* narrat; quod minus probabile *Cel.* SCHWARZIO videtur; quamuis poſtea, cum ſtudio Iuridico *Patauii* vacaret, Principem hunc ſtudiorum ſocium habuerit. Ab hoc vero tempore odium quoddam concepiſſe aduerſus Principem, illius litterae teſtantur, quippe quem viliſſimum Turcae mancipium, perfidum et impurum, Turcicum mancipium, etc. adpellauit, cuius quoque deinceps electionem in Regem Poloniae, quanto potuit ſtudio, impedire nitebatur.

Puer ex parentibus pontificiis prognatus, odio adverſus Proteſtantes et zelo pro Romanis ſacris imbutus eſt. Cum ephebis exceſſiſſet, patruelis ipſius, AVGVSTINVS SBARDELLATVS, *Epiſcopus Vacienſis* ſive *Waicenſis*, poſthac *Archiepiſcopus Granenſis*, educationis curam ſuſcepit, qui eum quoque, cum Hungaria bellicis turbaretur tempeſtatibus, *Wratislauiam* miſit, quo loco in litteras incubuit, teutonicamque linguam addidicit. Hinc *Viennam* ſe contuliſſe et in aula FERDINANDI Regis aliquantulum temporis conſumſiſſe perhibetur a REVTERO, ſed veriſimilius eſt, quod circa annum 1550. *Wratislauia* in Italiam, Vienna fortaſſis in tranſitu ſalutata, migra-

R verit;

verit. Ibidem, partim *Patauiae*, partim *Venetiis* commoratus eſt, inque his locis PAVLO MANVTIO, FRANCISCO ROBORTELLO, CAR. SIGONIO, ONVPHRIO PANVINIO, P. VICTORIO, aliisque et praeceptoribus et amicis uſus eſt. PAVLO MANVTIO adeo probatus fuit, ut quoque DVDITHIVM in epiſtolis ad viros eruditos ſcriptis, praeſtantiſſimis iſtius aeui ingeniis adnumerauerit. Superſtitioſo fere ſtudio Tullianae eloquentiae, cuius per totam vitam admirator fuit, imitationem ibidem adfectavit, adeo, vt quoque omnia CICERONIS opera manu propria ter deſcripſerit, eiusdemque meditandi et ſcribendi genus ſuum fecerit, quo ſibi cognomen *Ciceroniani* conciliauit. Ex *Italia* in *Galliam* ſe contulit, et *Lutetiis* ſtudio philoſophiae et linguarum ſacrarum pluriumque orientalium vacauit. In graecis ibidem vſus eſt praeceptore ANGELO CANINIO, in hebraicis Jo. MERCERO, et in Philoſophicis FRANC. VICOMERCATO. Hiſce litteris inſtructus in patriam reuerſus, poſt breuem ibidem moram, a patruele ſuo iterum *Patauium* miſſus, vt ad ciuiles functiones ſemet aptum redditurus, iurisprudentiae operam nauaret. Ibidem REGINALDO POLO viro maximae celebritatis *Card.* et *Legato Pontificis Rom.* innotuit, qui DVDITHIVM, magnarum virtutum indole commotus, fauore ſuo dignum iudicauit, eumque adhuc iuuenem in familiariſſimum contubernium admiſit; imo iuſſu Pontificis ad aulam Regiam M. Britanniae profecturus, gratulaturusque MARIAE de regia corona a. 1554. *Duditbium* itineris in Angliam comitem ſibi adſciuit. Conſumto ibidem anno, et quod excurrit, iterum, narrante REVTERO, patriam repetiit; THVANO vero referente, *Lutetiam* reuerſus eſt, reaſſumendo litteras per ſuſcepta itinera intermiſſas. Veriſimillimum eſt, eum ex Anglia in Patri-

Patriam reducem, hinc tertia vice in Italiam, et inde ſecunda vice in Galliam commigraſſe. In itinere ex Italia in Galliam ad aulam Florentinam acceſſit ac Duciſſam CATHARINAM *de Medicis* ſalutauit, quae Hungarum nitide et eleganter italice loquentem admirata eſt, narrante DV PINIO l. c. E Gallia patrios lares repetiturus Viennae aliquantum commoratus, a Rege Hung. duplici beneficio, *Praepoſitura* nimirum ad ſuperiores thermas *Badenſes*, et *Canonicatu* in metropolitana eccleſia *Strigonienſi* ornatus eſt circa annum 1560. Inſigni gratia FERDINANDI *Imperatoris* uſus eſt, quamuis hoc tempore nondum intimi S. Caeſ. Mai. conſiliarii munere decoratus fuerit, quod REVTERVS perhibet. Iſtum enim honorem poſt aliquot demum annos ipſi contigiſſe SCHWARZIVS demonſtrauit. Obtinuit tamen a FERDINANDO a. 1561. epiſcopatum Tininienſem in Dalmatia, in quo a Pontifice Pio IX. d. 28. Ianuarii 1562. confirmatus, ad eundem tamen, cum Turcae iſtam regionem occupaſſent, non acceſſit.

Circa idem tempus, nimirum 1562. vniuerſus Clericorum ordo in regno Hungariae eum delegit, (PRAETORIO l. c. teſte, *Imperatoris et Cleri Vngarici* nomine miſſus eſt) vt vna cum IOANNE SYLVESTRO COLOSVARINO (vel COLOSVARIO) *Epiſcopo Chanadienſi*, concilio Tridentino pro patria eccleſia intereſſet, coram quo quinque habuit orationes. DVDITHIVS menſe Februario *Tridentum* ingreſſus, die VI. Aprilis, locum in conſeſſu cum collega, ambiuit, dicta oratione, quae eximio omnium auditorum plauſu excepta eſt. Orationis huius, et reſponſionis, a Secretario Concilii factae argumentum, P. SARPIVS *in Hiſt. Conc. Trid.* p. m. 545. expoſuit. Orationem *ſecundam* e ſuggeſtu templi, in quod Patres ſyno-

di, sessionem XXI. quae fuit V. sub PIO IV. celebraturi confluxerant, die XVI. Iulii recitauit. Meminit huius orationis PALAVICINVS *in Hist. Concil. Trid.* P. III. L. XVII. c. XI. f. 27. his verbis: "Die 16. Iulii 1562. e suggestu verba fecit *Andreas Dudítius Sbardellatus*, Antistes Thininiensis, qui se continere non potuit, quo minus oblique Patres cohortaretur ad concessionem calicis, quem ipsius regiones ardentissime sitiebant." *Tertia* in generali congregatione Patrum diè V. Septembris dicta. *Quarta* in laudem MAXIMILIANI, *Bohemiae Regis*, cum Romanorum Rex electus, ac die ultimo mensis Nouembr. a. 1562. sollemni ritu inauguratus esset, die VIII. Dec. recitata. *Quinta* in generali congregatione mense Dec. habita. *Palauicinus* l. c. P. II. L. XVI. c. II. f. 268. orationis, die VI. Aprilis maxima cum laude exceptae mentionem faciens, inquit: "Orationem recitauit SBARDELLATVS, nomen, quod ob subsecutam haeresin et ipsi, et Antistitum ordini ignominiosum superfuit: non propterea merita illum laude fraudauerim in dicendi lepore; vnde effectum est, vt nulla alia oratio a legatis adeo commendata reperiatur; quare scripserunt, ab illa, tametsi maxime prolixa, ita eius venustate Patres fuisse deceptos, vt quamquam integrum spatium, etiam negotio destinatum, conuentui ademptum fuerit, id illi neutiquam animaduerterint, quod sane perraro contingit auditoribus, sensu delicatis temporisque praeparcis."

Circa finem anni 1562. vel initio 1563. ab Imperatore domum vocatus, Synodo valedixit. Probabile visum est multis, RAEMVNDI auctoritate deceptis, quod Tridentum non plane Pontificius accesserit; imo quidam perhibent, eum rogatu ac sollicitatione Pontificis Romani, qui per legatos suos certior factus, DVDITHIVM eloquen-

quentia ac argumentis ſuis, multos congregatorum praeſulum ad partes ſuas pertracturum, a ſynodo hac eſſe reuocatum. Sed, quae Tridenti dixit egitque, dicta actaque ſunt, ab homine, ſedi Romanae deuotiſſimo, omnesque ſententiae illae pro communione calicis Hungaris reſtituenda, quas cum legato Caeſareo GEORGIO DRACOVITIO defendit et ſollicitauit, teſtimoniis eius eccleſiae propriis ſunt accenſendae; quemadmodum quoque oratione ſecunda, de primariis Proteſtantium doctoribus loquutus eſt, vt aulae Pontificiae tenaciter adſcriptus. Quamvis idcirco negandum non ſit, quod hoc loco graui ſermone abuſus eccleſiae Romanae deteſtatus fuerit, Patresque Concilii commonefecerit, vt ſerio in reformandam et emendandam eccleſiam ſua conuerterent conſilia, hacque ipſa dicendi libertate multorum reprehenſionem et malum animum aduerſus ſe concitauerit. Redux in patriam, ab *Imper.* FERDINANDO, cui acceptae fuerunt DVDITHII actiones Tridentinae, in eximii fauoris et beneuolentiae documentum a. 1563. menſe Maio et *Epiſcopatu Chanadienſi* in Hungaria et *Quinqueeccleſienſi*, (DRASCOVITIVS enim Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, epiſcopatum *Zagrabienſem* in Croatia acceperat) donatus, et in concilium ſanctius ſuſceptus, intimi conſiliarii charactere inſignitus eſt. In PAVLI MANVTII Epp. L. VI. Ep. XXII. p. 408. *edit. Lipſ.* 1669. 8. exſtat huius gratulatoria ad DVDITHIVM, qua ipſi ob actiones Tridentinas laudabiliter peractas et de Epiſcopatu Quinqueeccleſienſi gratulatur, eumque admonet, vt ſuam dignitatem ad Dei gloriam conferat. Addit his PRAETORIVS l. c. quod Quinqueeccleſienſis Epiſcopus deſignatus, cum in *Sigeth* aedificare coepiſſet, vbi reſidere debuit, Turca illa loca occupando praeuenerit.

Anno 1565. a *Maximiliano* ad aulam Poloniae Regis *Sigismundi Augusti* missus, vt Reginam, MAXIMILIANI sororem germanam et antea *Duci Mantuae* nuptam, cum Rege marito suo, qui illius consuetudinem fastidire coeperat, vel conciliaret, vel vt eidem Polonia excedere permitteretur, quod *Caesar* antea frustra sollicitauerat, a Rege impetraret. Omnia quidem DVDITHIVS et agendo et persuadendo tentauit, quo negotium reconciliationis secundaret, sed felici successu frustratus, nihil apud *Regem*, odio aduersus *Reginam* occupatum, profecit, nisi quod vltro citroque ad Caesarem Regemque proficiscens, impetraret, vt Regina ad fratrem suum mitteretur, quam redeuntem DVDITHIVS ex Lithuania Cracouiam perduxit, ibidemque maiori comitatu cum Gynaeceo relicto, ad Imperatorem Viennae commorantem cum ea perrexit. Placuit tamen Imperatori, vt DVDITHIVS Poloniam e vestigio idque iam tertium repeteret, cum titulo *Internuntii* perpetui, hinc Cracouiam reuersus.

Interea temporis magna DVDITHIVS propensione in Protestantes tenebatur, quorum Doctores ac Ministros noscendi, et cum illis colloquendi saepius in itineribus suis copiam nactus erat. Quod iam circa annum 1565. variis dubiis circa pontificia sacra agitatus fuerit, ex FRICII verbis colligimus, quae ex praefatione *Syluarum* ad Regem directa, sub FRICIO notabimus. Inter haec ad Euangelicorum coetum transeundi consilia, firmiter apud se constituit coniugem sibi matrimonio iungere, de qua re ita ad Imperatorem apud REVTERVM l. c. p. 46. scribit: "Cum — — per anteactae vitae annos non sine grauissimo conscientiae meae vulnere expertus essem, me — — ad aliud vitae genus diuina prouidentia destinatum; ad remedium illud mihi confugiendum esse duxi, quod Deus ipse

ipſe ad fugiendam turpem vitam, omnibus, qui eo egerent, non parauit ſolum, ſed eo vtendum etiam eſſe voluit, iis, qui ſecus facerent, aeternae mortis damnatione propoſita." Hoc igitur propoſito virginem nobilem Gynaecei Reginae Poloniae. (*) REGINAM STRASSIAM, (male quibusdam STRVSSIA, et FLOREM. RAEMVNDO, SOPHIA GONISELLA venit) ex nobili STRASSORVM proſapia adamavit, quam clam omnibus, parentibus virginis neceſſariisque ſaltim conſciis, matrimonio ſibi iunxit. Hoc enim antea notum fieri noluit, quam legatione ſua perfunctus eſſet, resque ſuas domeſticas in Hungaria in ordinem redegiſſet. Ab hoc interim tempore, quo illud a. 1567. iniit, eius ab eccleſia Romana diſceſſus repetendus eſt, ad quem eum maxime permouit, praeter interdictam in Eccleſia Romana S. Coenae celebrationem ſub vtraque, prohibitum Clericis matrimonium. Vid. *Mèlanges Critiques*, P. II. p. 174. Cum ad matrimonium firmiter animum adplicaſſet, hocque per eccleſiae Romanae leges nulla ratione inire poſſet, alterutrum ipſi deligendum

R 4 fuit,

(*) Singularia matrimonii huius ita narrantur. DVDITHIVS *Epiſcopus* a MAXIMILIANO ad aulam Regis Poloniae legatus, eo tempore admiſſus, cum Rex in Gynaeceo inter nobiles regiae aulae feminas eſſet, quarum vni, quae eum nunquam antea viderat ruborem ſuffudit, quod omnes adſtantes in admirationem rapuit. Poſt diſceſſum legati, Rex interrogauit nobilem virginem: quae ratio excitati ruboris et perturbatae mentis ad adſpectum legati Auſtriaci fuiſſet; virgo nobilis, diu reluctans tandem confitebatur: quod proxima nocte per ſomnium, virum huic legato vultu et ſtatura corporis ſimilem, excepto habitu epiſcopali viderit, quem parentes ſibi pro futuro marito elegiſſent; recordatam igitur ad eius adſpectum ſomnii, paulo ante viſi, rubore fuiſſe ſuffuſam. His auditis et Princeps et nobiles feminae illudebant et virginem et ſomniorum fallaciam, cum matrimonium inter ipſam et epiſcopum nunquam contrahendum arbitrarentur. Interim tamen poſt biennium, cum pater virginis iubente Rege Poloniae, una cum DVDITHIO, huius rei inſcio, ad aulam *Imperatoris* proficiſceretur, illud ipſum matrimonium in deliberationem venit et tandem contractum eſt.

fuit, vt vel illo diutius abſtineret, vel hoc ſtatuto, Pontificiorum ſacris renuntiaret. In excuſatione ad MAXIMIL. Imper. apud REVTERVM l. c. p. 46. ita *Dudithius* inquit: "Cum tu me in Polon. ad Sereniſſ. hunc Regem et ſororem tuam Reginam, eius coniugem miſiſſes, primo ſtatim legationis meae anno circumſpicere coepi, et quae in hac gente puella eſſet, quam ducerem, et familia et moribus iis, quos ego in vxore, quam vitae mihi ſociam delecturus eſſem, merito probarem. — — In hac cogitatione verſanti diuinitus mihi offertur REGINA, ex vetuſta ac nobili STRASSORVM gente, — — a CATHARINA *Regina*, ſorore tua — — in Gynaeceo ſuo a teneris ſanctiſſime educata." Quare ex gente Polona vxorem duxerit, STIEFFIVS ex epiſtolis *Dudithii* MSSCC. p. 88. exponit, nimirum, vt magis commode negotia Imperatoris ad Rempublicam Polonam commendaret ac promoveret, ſuaeque ſecuritati aduerſus Pontificis inſectationes, apud gentem liberam proſpiceret.

Quia in Poloniae terminis vitae reliquum tempus tranſigere conſtituit, notante LVBIENIECIO l. c. p. 226. et SANDIO l. c. p. 61. inter regni huius indigenas in comitiis Petricouienſibus a. 1565. cooptatus eſt, quod vero a. 1567. demum contigiſſe veri ſimilius videtur. Obtento hoc nobilitatis Polonae indigenatu, maioris Poloniae oppidum *Smiglam* ad terminos Sileſiae ſibi acquirere potuit, a STANISLAO CICHOVIO; *vid.* MART. ADELT *Hiſt. Arianismi olim Smiglam infeſtantis*, p. 25. Hoc loco ſuis ſumptibus templum Antitrinitariis exſtruxit, ſcholamque adornauit, ſicque teſte *Lubieniecio*, p. 226. fautor, patronus, et fundator coetus Smiglenſis exſtitit. De hoc nido Sociniano, qui poſt DVDITHIVM, ELIAE ARCISSEVIO ceſſit, pluribus in *Hiſt. Socin. Polon.*

Reli-

Relicta coniuge ſua apud eius matrem in Polonia, ipſe in Hungariam profectus eſt, Caeſarem precaturus, vt munere et aulae negotiis ſolueretur. Aegre quidem MAXIMILIANVS petitis adnuere voluit, nec tamen inuitum ad ſubeundum munera cogere; hinc legatione abſoluta tandem, inuito licet dimiſſurum promiſit. Ita autem MAXIMILIANVS ad eum ſcripſit *Pragae* d. 10. Aprilis 1567. "Te admodum libenter in aula noſtra retineremus, tuaque opera in iis, quae nobis quotidie ſolent occurrere, rebus in futurum quoque vteremur." Et in alia epiſtola eodem anno d. 1. Iulii *Poſonio* ſcripta: "Mallemus certe, quod rebus tuis aliter conſuluiſſes, et cauſam nobis praebuiſſes, te amplioribus in dies ornamentis et gratiis cohoneſtandi." *Vid.* REVTERVS l. c. p. 83. et 85. Priori epiſtola accepta, ad Imperatorem a. 1567. die 28. Aprilis DVDITHIVS ſcripſit, eum de motiuis ad matrimonium ineundum vel potius initum certiorem faciendo, rationesque exponendo, quibus commotus fuerit, Epiſcopatu Quinqueccleſienſi aliisque muneribus abdicatis, reliquum vitae in Polonia ex parte priuatus tranſigere. Non male tulit re ipſa Imperator hoc de matrimonio ſuſcepto DVDITHII nuntium, quamuis aliquatenus ſpeciem prae ſe ferret, illud a ſe improbari; certo potius perſuaſus, DVDITHII officia ſibi in Polonia ſemper proficua fore, perpetuum ipſi fauorem teſtatus, eiusdem opera in variis negotiis ad rempublicam Polonam vſus eſt, imo illum teſte REVTERO *Oratoris* ac *Internuncii perpetui* ad Regem Poloniae conſiliariique ſui intimi munere fungi voluit. Diuerſum plane animum Pontifex Rom. declarauit, qui ira et indignatione incitatus, DVDITHIVM Romam adcitauit, et cum ſtatuto tempore non comparuiſſet, contumacem proſcriptionis et excommunica-

nicationis fulmine perculit, ac denique tanquam pessimum haereticum flammis dignum iudicauit, qui quoque in effigie, procul ipse ab igne, combustus est. Quod Romae agebatur, aequo *Dudithius* tulit animo, et quamvis praeuideret hanc aulae Romanae iram, quaedam sibi allaturam esse incommoda, iis tamen, obtenta Caesarei Oratoris in Polonia dignitate, obuiam iri posse censebat. Redux in Poloniam Cracouiae domicilium suum habuit, atque hoc loco commercium instituit epistolicum cum quibusdam Confessionis Helueticae Theologis, et inter hos cum THEOD. BEZA, cui praeter alia exposuit, haereticos igne ferroque non esse exstirpandos, de quo argumento, in recensione scriptorum eius.

*Dudithium* suo a Pontificiis sacris discessu suaque auctoritate et insigni doctrina ac eruditione haud parum Euangelicorum in Hungaria studia promouisse, testis est FRANC. PARITZ PAPAI in *Comment. rerum eccles. Hungar. et Transylu. in Miscell. Tigur.* T. II. P. II. p. 158.

Cum a. 1572. SIGISMVNDO AVGVSTO *Rege Poloniae* ex stemmate *Iagellonidarum* vltimo, vita hac egresso, sedes Regia vacaret, DVDITHIVS domui Austriacae obstrictus summo studio, pluribus magnique ponderis argumentis, orationibus etiam et libellis scriptis molitus est, vt Poloni MAXIMILIANVM *Caesarem*, vel eius filium ERNESTVM eligerent Regem. Miserat quidem in hunc finem Imperator WILH. VRSINVM ROSENBERGIVM, Bohemiae Burggrauium in Poloniam; sed ipsi, teste THVANO, comes in arcano additus est DVDITHIVS, agendi alacritate princeps, quemadmodum ROSENBERGIVS paulo segnior, honore. Sed hisce studiis successus non respondit, plerisque nobilibus a IOANNE MONLVCCIO persuasis, in gallicas partes Ducemque HENRICVM *Valesium* propendentibus.

tibus. Cum is poſt biennium a. 1575. relicto Poloniae regno in Galliam profectus eſſet, haereditarium regnum ſuſcepturus, DVDITHIVS cum illis rem fecit, qui MAXIMILIANVM, vel Auſtriacum Principem Poloniae Regem optabant. Quidam *Magnates* inprimis PET. ZBOROVIVS, *Palatinus Cracouiae* ſecundae coniugis DVDITHII frater, omnem mouerunt lapidem, vt eum a partibus Auſtriacis abducerent, ampliſſimos ideo honores ipſi, ſi quieſceret, pollicebantur, imo effecturos ſe inter alia ſpondebant, vt regni *Cancellarius* euaderet, vnde et coniux per iocum aliquam diu Cancellarium eum adpellauit; ſed neque ſpe ac praemiis corrumpi, neque periculis vllis deterreri potuit, vt ingratus erga Domum Auſtriacam ageret, illamque deferendo perfidiae infamiam ſibi contraheret. Ob hanc fidem multorum in Polonia inimicitiam aduerſus ſe conuertit, adeo, vt quoque in vitae periculo quandoque verſaretur. Altera enim pars, quae STEPHANVM BATHOREVM *Tranſyluaniae Principem* electum voluit, ſuperior ſtetit. Suo hoc pro domo Auſtriaca ſtudio, noui Regis iram ac odium aduerſus ſe concitauit, nunquam enim BATHOREVM pro Rege agnoſcere ſtatuit, quod anſam ſuppeditauit, vt tandem Poloniae regno valedicere ab inimicis ſuis cogeretur, quod a. 1576. menſe Februario vel Martio contigiſſe videtur STIEFFIO l. c. p. 146. qui epiſtolam allegat DVDITHII Cracouiae anno hoc d. 12. Februarii ſcriptam, in qua inquit: "Eiectus ſum ob conſtantiam et fidem erga Caeſarem meum, cum vxore et liberis — — infamis denique, ſi eorum, a quibus expulſus ſum, opinio ſpectetur." PRAETORIVS l. c. p. 128. narrat, quod ipſe interfuerit, cum Cracouiae in foro, hoſtes Caeſaris conuiciis DVDITHIVM petierint, et eorum ſatellites bombardas in illum magno numero direxerint;

cohi-

cohibitos tamen a ſuis dominis fuiſſe. Quibus idem addit: "Neſcio quid futurum fuiſſet, ſi heri mei praeſidiarii (tum temporis *Praetorius* domeſticus *Dudithii*, ab hoc ſtipendio ſuſtentatus) maturius adfuiſſent, tardius enim ſequebantur." Plurima eiusmodi pericula *Praetorio* innotuere.

Anno 1573. magna per obitum primae coniugis ſuae dilectiſſimae, cum qua duos filios vnamque filiam procreaueret (*), triſtitia adfectus eſt, quae ipſa argumento eſſe poteſt, calumniis eſſe accenſenda, quae de infeliciſſimo eius matrimonio ſunt perhibita. Ita enim exponente STIEFFIO l. c. p. 94. in epiſt. ad CRATONEM d. 23. Ianuarii 1574. ſcribit: "Nemo me viuit infelicior poſt cariſſimae vxoris meae obitum; contabeſco plane, et ſentio, mihi tum corporis, tum animi vires in dies et in horas attenuari; non poſſum hunc animi moerorem depellere; quae mihi vel cogitatio vel lectio, vel amicorum ſermo ſuppeditat, remedia, magis etiam augere morbum videntur. O ſi obliuionis ars exſtaret aliqua!

Anno 1574. ſecunda vota ſuſcepit ob liberorum ſuorum educationem, et curam rei domeſticae ac familiaris. In epitaphio quidem eius perhibetur, id 1579. factum eſſe, et SCHWARZIVS l. c. p. 73. annum 1575. determinauit; STIEFFIVS vero l. c. p. 105. errorem hunc emendauit, idque a. 1574. contigiſſe teſtatur. Iunxit vero ſibi ELISABETHAM ZBOROVIAM, nobili ac celeberrimo in Polonia genere natam, MARTINI ZBOROVII, *Caſtellani Cracouienſis* filiam, ac Comitis IOANNIS TARNOVII (**) vidu-

(*) Teſte REVTERO. Ipſe tamen DVDITHIVS, praeſtantiſſimarum puellarum, ex lectiſſima femina ſuſceptarum mentionem fecit. *Vid.* STIEFFIVS l. c. p. 96.

(**) Male ZARNOVIVS THVANO, ADOLPHO CLARMVNDO

viduam, quam SMALCIVS in *diario vitae* ad a. 1601. pientissimam et pudentissimam adpellat.

Poloniae terminis cum tota familia a. 1576. excedere coactus, in vicinam Silesiam, *Bielicium* superioris Silesiae vrbem se contulit, oppidum ad XIV. milliaria Cracouia distans, CAROLOQVE tunc PROMNITZIO subiectum. Hoc ipso anno mense Sept. *Ratisbonam* ad Imperatorem MAXIMILIANVM moribundum profectus est, ad quem paulo ante PRAETORIVM suorum negotiorum caussa miserat, quem Caesar clementer audiuit, suamque ipsi erga DVDITHIVM beneuolentiam prolixe ostendit. Caesare vero hoc loco morti iam proximo, quod DVDITHIO medicus quidam Imperatricis, secretorum non admodum tenax (*), aperuit, diu sibi in aula commorandum non duxit, ac proinde ne viso quidem Imperatore, *Bielicium* rediit. Obtinuerat autem a Caesare, procurante PRAETORIO, praeter quaedam alia, etiam litteras, Caesaris nomi-

MVNDO aliisque audit. DVDITHIVM eam duxisse reclamante matre eius et quinque fratribus, quorum magna fuit auctoritas, PRAETORIVS l. c. obseruauit. Nam PETRVS fuit *Palatinus Cracouiensis*, (cui LAMBERT. DANAEVS *Physices Christianae partem alteram, Geneuae* 1580. 8. dicauit) ANDREAS, *Regni Mareschallus*, IOANNES, *Castellanus*, duo alii adhuc coelibes CHRISTOPHORVS et SAMVEL. Vltimo loco nominatus SAMVEL ZBOROVIVS tempore inaugurationis HENRICI, VAPORIVM Primisliensem Castellanum in arce interfecerat, et ob id perpetuo exsilio citra tamen infamiae notam mulctatus erat. Cum vero post decennium in Poloniam familiae auctoritate fretus rediret sine saluo conductu, IO. ZAMOSCIO regni Cancellario iubente captus et adnuente Rege STEPHANO, quamuis absente, a. 1584. capitis supplicio adfectus est. Vid. GOTARDI ARTHVSII *Dantiscani, Mercurii Gallo-Belgici*, Tom. III. p. 287. seqq. De antiquissima *Zborouia* gente, quae eadem est cum *Iastrembecia*, vid. CROMERVS, *Rer. Pol.* L. IV. et IO. MICH. BRVTI *select. Epp. Cracou.* 1583. 8. p. 172. seqq.

(*) Fortasse is ipse IO. CRATO *Medicus Caesareus* fuit, cuius epistola arcana et fide dignissima de morbo et morte MAXIMILIANI II. a. 1576. ad IO. SAMBVCVM, Medicum Caesareum scripta legitur in CHRISTIANI GOTTL. BVDERI *Collectione monumentorum maxime ineditorum etc, Francof. et Lips.* 1734. 8. p. 689. seq.

nomine ad Magiſtratus Wratislauienſes datas, quibus moniti fuerunt, vt DVDITHIVM reciperent, omnem ei beneuolentiam exhiberent, liberumque eum eſſe permitterent, narrante id *Praetorio* in ep. ad *Lingelshemium* data. *Bielicio* tamen non *Wratislauiam*, ſed inde cum tota familia ſua in *Morauiam* conceſſit, ibidemque in *Dynaſtia Paſcouiana*, quam ad terminos Sileſiae ſitam bona cum Caeſaris RVDOLPHI venia, cuius Conſiliarius cum vſitata penſione, quoad vixit, etiam manſit, quique MAXIMILIANO patri in imperio ſuccedens, DVDITHIO *Liberi Baronis Moraui* priuilegia dederat, (hinc a SMALCIO in *Diario* apud ZELTNERVM l. c. p. 1196. *liber Baro* adpellatur) ſibi acquiſiuit, tutus ac litteris vacans tempus conſumſit. Ibidem eruditiſſimi aliquando viri DVDITHIVM inviſebant, et inter hos praeter MARCELLVM SQVARCIALVPVM, *Plumbinenſem*, IO. MICH. BRVTVS, Poloniae Regis Secretarius, qui in epiſtola ad IO. CRATONEM a CRAFFTHEIM, a. 1578. ſcripta et huius epiſtolis *Cracou.* 1583. 8. editis, inſerta p. 122. ita inquit: "Quo me ſcias nunc vere viuere, quo tempore has ad te litteras exarabam, in DVDITII *Paſchouiano* agebam, cuius ſuauitas tanta eſt, vt hactenus quaſi vmbra et larua, aut mortuus inter viuos, aut viuus inter mortuos mihi agere ſim viſus, nunc primum vita videar frui. Portus vero tranquilliſſimus, homini defuncto grauiſſimis vitae laboribus, ruſticatio, villa, fundus ferax, et, quae eſt maxime expetenda, ſolitudo innocens, atque integra vita a nequitiae labe. Adiuuat quidem loci amoenitas hominis ſuauitatem, non ſolum Regum maximorum iudicio ſummi, ſed, quod apud me eſt permagni, etiam tuo. — — Quid? quod elicuit ſuauitate ſua muſas in hunc ſeceſſum? Bibliothecam habet refertiſſimam, libros optimos,

de

de reconditioribus rebus ſcripta multa, quae ita parata ex longo vſu rerum maximarum mihi reſerauit, vt nunc modo ſperare incipiam, inchoatum a me opus *(de rebus Pannonicis)* haud infelicibus auſpiciis, vt me iuuat ſperare, me abſoluturum. etc." Hoc loco DVDITHIVS *commentariolum de cometis* concinnauit, de quo infra.

Tandem vero obſcuri huius loci et rixarum cum hominibus agreſtibus biennio completo pertaeſus, ſedem hanc tranquillam circa finem anni 1579. reliquit, ſeque *Wratislauiam* Sileſiae primariam, quae ipſi iuueni amoenum praebuerat hoſpitium (*), contulit, ibique ſe totum litterariis occupationibus et conſortio eruditorum ſacrauit. Quod iſto tempore venditis praediis ſuis in Hungaria et Polonia, tantam pecuniae ſummam contraxerit, vt quoque partem eius RVDOLPHO *Imp.* ad modicas vſuras annuas conceſſerit, ex quibus ſplendide vivere potuerit, a quibusdam perhibetur. Idipſum PRAETORIVS maxima ex parte confirmat in Ep. ad *Lingelsh.* l. c. p. 127. qui dicit: "DVDITHIVM bonis diuenditis, pecuniam ſuam apud Caeſarem RVDOLPHVM depoſuiſſe, et *Wratislauiam* conceſſiſſe, vt ex Camera prouentus pecuniae ſine mora acquireret."

Inter diuites illum reſpectiue omnino locum tenuiſſe, indubitatum eſt, quamuis ipſe aliquando in litteris ſuis

(*) In epiſt. ad CRATONEM *Cracou.* d. 10. Iul. 1575. ſcripſa inquit: "Nusquam libentius neque animo quietiore habitarem, quam in iſta nobiliſſima vrbe, in qua a teneris vnguiculis litterarum prima rudimenta feci. Quare pene innatus mihi erga illam amor eſt." Et in ep. ad eundem *Wratisl.* d. 8. Maii 1581. "Ego cum optima in eam, *(Wratislauiam)* ſim voluntate, (quod ipſe non poſſum) do operam, vt alii, quibus omnia ſuppetunt, quae mihi deſunt, — — hanc communem ſedem omnibus in coelum laudibus ferant, vrbisque tam praeclarae nomen et decus ad omnem poſteritatem propagent." *Vid.* STIEFFIVS l. c. p. 19. Iam antea, quam primum Polonia exceſſerat, PRAETORIVM *Wratislauiam* miſerat, vt Capitanei et aliorum beneuolentiam exploraret, domumque ſibi conduceret, quam poſtea emit.

ſuis teſtatus fuerit, quod magnis diuitiis careat. Vixit ex vſuris, quae tamen tantum eidem ſubminiſtrarunt, quantum pro conditione dignitatis ſuae et commoda vitae ratione ſufficere putauit. Multum quoque pecuniae impendit in comparandos libros et commercium epiſtolicum. Aliquando tamen querimonias excitauit, cum pecunia ipſi a *Caeſare* ſtatuta, iuſto tempore non ſolueretur. Ita ad CRATONEM, *Cracou.* d. 29. Aprilis 1573. ſcribit: "Penſio mea iam a biennio non ſoluitur, cum magno rerum mearum diſpendio; et in epiſtola *Cracou.* d. 19. Aprilis 1574. Paucos ante dies ſcriptum eſt a mercatore Italo 600 Thaleros mihi datos eſſe ex camera, h. e. praeteriti anni ſalarium et penſionem, eos nondum accepi; ſed iam ſunt in poteſtate eorum, quibus hoc negotium mandatum eſt. — — Sed debent mihi ſalarium et penſionem huius anni, quae initio ſtatim *Ianuarii* ſolui debebat; illi tamen me longa exſpectatione ſemper macerant, et vix ſequente anno perſoluetur, quod hoc debebunt." Plures huius tenoris querimonias et ſollicitationes STIEFFIVS l. c. p. 162. ſeq. ex litteris MSSCC. collegit. Inprimis circa vltimum vitae tempus res anguſta domi ipſi fuit. Ita enim d. 21. Nouembr. 1586. ad PETRVM MONAVIVM ſcribit: "Niſi me dos vxoris meae ſubleuaſſet, et antidos (vt vocant) prioris mariti, *Comitis a* TARNOW; iam pridem et famae et rerum noſtrarum iacturam feciſſemus. Nam ex Camera non amplius, quam 10000 accepimus: quae ipſa quoque fortaſſe numerata vix fuiſſent, niſi patroni mei — — auctoritas interceſſiſſet." Qua ratione vitam egerit *Wratislauiae*, ipſe CRATONI in ep. die 12. Iunii 1580. ſcripta, apud STIEFFIVM l. c. p. 152. his verbis ſignificauit: "Hic quidem in nobili et populoſa vrbe ita viuo, vt nondum mihi prae-

praecipuae, ne dicam omnes plateae notae ſint; homines autem perpauci. Domo non egredior ante diem Dominicam, raro alias, niſi cum aliquis me euocat ad cibum capiendum; quod fere nemo facit. — — In magna ſolitudine verſor cum familia mea; amicum vnum atque alterum habeo; ſed rariſſime eos conſpicio." Ibidem omnibus negotiis publicis ac politicis ſolutus vixiſſe, nec aliquid pro commodis Domus Auſtriacae egiſſe videtur. Cum enim a. 1587. quaedam Polonorum nobilium pars in electione noui Poloniae Regis MAXIMILIANO Auſtriae Duci ſuum teſtaretur fauorem, maior vero pro SIGISMVNDO, haereditario Regni Sueciae Principe ſtaret, DVDITHIVM aliquid eſſe molitum non legimus. Inſeruit litteras nonnullas hoc in negotio ſcriptas IO. CHRISTIANVS LVNIGIVS in epiſtolis Procerum Europae, T. I. p. 880. ſeqq. in quibus fruſtra DVDITHII nomen perquiritur.

Hoc loco cum FAVSTO SOCINO commercium epiſtolicum inſtituit, ſiquidem epiſtolae SOCINI ad eundem ab a. 1580. ad 1583. ſcriptae ſunt. Sero admodum igitur cum F. SOCINO amicitiam contraxit, et paulo ante annum 1580. Ex epiſtola prima SOCINI, quae reſponſoria eſt ad DVDITHII litteras, colligi poteſt, hunc multa encomia in *Socinum* effudiſſe. Quod quoque ex epiſtola eius III. in epp. F. S. ad DVD. patet, in qua ille p. 72. ſcribit: "Quanta cum libertate ego ſermonem tecum contuli, ita vellem, vt et tu mecum ageres, miſſo illo ciuilitatis apparatu, quo et in exponenda mihi ſententia tua et in proponendis dubiis vteris. In prima illa epiſtola DVDITHIO roganti, vt ſumtu ſuo, quaedam ipſius ſcripta deſcribi curaret, SOCINVS ſcriptorum ſuorum indicem exponit, vultque vt prius certior fiat, quae ex ſcriptis ſuis maximopere deſideret. Fecerat quoque DVDITHIVS SO-

S CINO

CINO ſpem, ſe propediem Cracouiam venturum, eodemque ſub tecto cum illo hoſpitaturum, quam equidem non expleuit; inde tamen colligi poteſt, ad hoc vsque tempus nondum *Dudithium* cum *Socino* oretenus conueniſſe, nec vmquam eum coram vidiſſe. Repetiit circa initium anni 1583. eandem ſpem SOCINO, Deum fortaſſis id ſibi daturum, vt vitae aliquod tempus vna cum ipſo tranſigere liceat. Quanti hoc aeſtimauerit et deſiderauerit SOCINVS, ex verbis eiusdem in ep. ad DVD. quarta, die VI. Id. *Martii* a. 1583. ſcripta, in Epp. ad DVD. p. 81. perſpicitur, quo loco ita inquit: "O ſi vmquam is mihi dies illuceſceret, quam me in hoc orbe felicem putarem! quam mihi copioſum ac deſideratum voluntarii mei exſilii fructum colligere viderer!" Ex omnibus F. SOCINI ad DVDITHIVM epiſtolis conſtat, hunc illi varias de religione propoſuiſſe quaeſtiones, et ſua circa illius ſcripta expoſuiſſe dubia, nec cum illo in omnibus conſenſiſſe. *Vid.* e. g. ep. 2. *Socini* ad *Dudithium* p. 21. Imo adeo aliquando DVDITHIVS proceſſit contradicendi SOCINO adfectu, vt is aegre illum tuliſſe videatur. Ita enim in ep. 3. l. c. p. 73. ſcribit: "Nihil dubito, aliquem inde (ex commercio epiſtolico, variisque ad quaeſtiones et obiectiones *Socino* propoſitas, reſponſionibus) fructum nominatim ad te ipſum redundaturum. — — Maxime ſi ita compoſueris animum, vt omnem moueas lapidem, quantum quidem in te eſt, quo officii tui munus impleas, et, ſi poſſit fieri ad beatitudinem atque immortalitatem peruenias; quae ſola animi tui deſtinatio, omnem, tam in agendo, quam in credendo difficultatem, quaecunque oboriri tibi poſſit, multo magis, quam caetera omnia facilem ac planum reddere poteſt. Adhuc, vti ſpero, ei rei tempus eſt; ſed noli diutius illam procraſtinare, tuamque

ipſius

ipſius ſortem tandem misereare, quod Deus tibi fortunet." Finem quartae epiſtolae VI. Id. Martii 1 5 8 3. ſcriptae his verbis fecit *Socinus:* "Veneror Deum atque oro, vt, quemadmodum id tibi gratificatus eſt, vt iubilaeum aetatis tuae attingeres, ita etiam tibi concedat, vt in rerum longe pretioſiorum maiorisque momenti poſſeſſionem redire poſſis, qua temet ipſe exuiſti, mihique id largiatur, vt in iis cuſtodis tibi alicuius vicem praeſtare poſſim, ſi modo eo ſit opus, egoque tali ſim aptus muneri." Wratislauiae in domo, amicorum ſuorum optimi IOANNIS CRATONIS a *Craftheim*, *Archiatri Caeſarei* domicilio vicina, habitauit, inque otio hoc tranquillo annos fere decem vixit, omneque tempus, quod ſollicita liberorum educatio ipſi reliquum fecit, litteris et erudítiſſimorum hominum, quibus tum Wratislauia abundabat, conuerſationi tribuit. Nihil, praeter meditationes theologicas, quibus ſemet maxime dicauerat, diſciplinis Mathematicis, maxime vero Mechanica ſolertius coluit, nec a genethliacis in initio alienus fuit, perſpecta tamen harum vanitate, aduerſus easdem calamum ſtrinxit. Propter Mathematicas ſcientias, ſingularem familiaritatem cum *Praetorio*, olim domeſtico ſuo amico, poſtea harum ſcientiarum in Academia Altorphina Profeſſore, per litteras in tota reliqua vita coluit. Biduo ante mortem, ad hunc litteras dedit, quarum in extrema clauſula, poſt varias de rebus mathematicis quaeſtiones, propria manu haec verba ſcripſerat: "Eclipſis lunae 1 5. huius menſis incidit in Aquarium, qui meus horoſcopus eſt. Si vera eſt Aſtrologia, mortem mihi adfert, aut grauiſſimum aliquem morbum. Tu quid cenſes?" *Vid.* THOM. CRENII *animaduerſ. Philol.* P. II. p. 139. Res quoque phyſicas atque medicas in deliciis ipſum habuiſſe, 38.

ipſius epiſtolae teſtantur, quarum infra N. 22. mentionem facturi ſumus. Licet vero in initio vitam maxime ſolitariam Wratislauiae ageret, ſucceſſu tamen temporis, magna Polonorum ad eum inuiſendum confluentium frequentia, ſibi ſuſpicionem quandam contraxit. Veri abſimile non eſt, Socinianae familiae emiſſarios e vicina Polonia DVDITHIVM ſaepius ſalutaſſe, ac ciuitatis ſuae commoda in Sileſia hac occaſione curaſſe. Hanc ob cauſam ſollicitantibus verbi miniſtris, in ius vocatus, cauſſae ſuae apologiam apud *Caeſarem* ſe dicturum ſignificauit; vtrum vero in hoc foro Caeſareo ſe a ſuſpicione liberauerit, an frequentiore ab iſto tempore commercio Polonorum abstinuerit, certo dici nequit. Id ſane conſtat, quod quiete poſthac viuere ipſi fuerit conceſſum, vnde colligimus, didiciſſe eum in conuerſatione et in colloquiis cautius mercari.

Tandem Wratislauiae a. 1589. die XXIII. Februarii annos natus 56. dies 7. nullo fere praecedente morbo inter continua ſuſpiria: *Ah Domine Ieſu Chriſte, ſerua me!* adſtantibus coniuge et liberis placida morte diem obiit ſupremum, diſceptantibus de mortis cauſſis medicis, quorum alii eum vlcere in pulmone fracto, alii apoplexia e vita diſceſſiſſe contenderunt. Proximo ante obitum die famulos ſuos interrogaſſe dicitur: vbi egenus iſte homo degeret, cui eleemoſynam dare conſueuerit; his vero ſe neſcire profitentibus, dixiſſe: Cras fortaſſis in meis viribus poſitum non erit, ipſi munuſculo et beneficio ſuccurrere. Proxima ante obitum nocte hoſce verſiculos compoſuit:

*O caecas animi latebras, et neſcia corda,*
*Craſtina venturo quid ferat hora die!*
*Quis, noctem me illam, conuiuia et illa, putaſſet*
*Vltima tam charo ducere cum capite!*

Eius

Eius corpus in templo vrbis primario S. *Elisabethae* sacro sine vlla pompa sepultum, ipsique a coniuge superstite monumentum ex marmore nigricante armisque gentilitiis et mariti et suis ornatum exstructum est, cum hac inscriptione: *D. O. M. S.* ANDREAE DVDITHIO *ab Horechouicza Dno. in Smigla; antiquiss. prosapia, virtute singulari, eruditione multiiuga, diuersissimarum linguarum excellenti cognitione, plurimarumque et maximarum rerum vsu vere illustri et incomparabili viro III. Impp.* FERDINANDI I. MAXIMILIANI II. RVDOLPHI II. *Consiliario; summis honorum, tum sacris, tum profanis, legationibusque ampliss. apud exteros Reges et Dynastas, maxima cum laude perfuncto; carissimo omnibus; aduerso nemini, cunctis admirationi, marito exoptatissimo atque desideratissimo, suo et liberorum nomine multis cum lachrymis posuit,* ELISABETHA, *ex illustri et amplissima* SBOROVIORVM *familia oriunda, quae, vt in hac vita, cum dulcissimo coniuge per annos decem coniunctissime vixit, ita ne mortuum quidem deserere, sed cum eodem, in eodem sepulchro quiescere voluit. Vixit maritus ann. 56. d. 7. obiit Breslae 23. Febr. MDLXXXIX. Illa vixit — — Obiit —*

Nemini mirum videatur, quod lacuna ista in monumento *Dudithiano* non fuerit expleta, post obitum coniugis. Haec enim post fata mariti in Poloniam rediit, Socinianorum coetui inserta, a. 1601. mense Octobri defuncta et *Czarcouiae* mense Decemb. sepulta, teste SMALCIO in *diario* apud ZELTNERVM l. c. p. 1174.

Ex prima coniuge *Regina Strassia* duos filios, et vt supra notauimus, plures filias susceperat. Filium natu maximum *Andream* nomine QVIR. REVTERVS, Palatinus, per triennium fere, ab a. 1580. ad medium anni

1582. in Latinis, Graecis, Philosophicis et Theologicis Wratislauiae instituit. Hunc filii sui paedagogum DVDITHIVS maximo amore et singulari propensione complexus est, et reuocatum e Silesia in Palatinatum aegre dimisit, viatico insuper quinquaginta Thaler. instruxit. Post REVTERI discessum, SALOM. GESNERVM adsciuit filii sui Paedagogum, qui huic stationi ad annum 1585. praefuit, teste MELCH. ADAMI *in Vit. Theol. Germ.* p. 352. Altera coniux, plurium itidem maritum liberorum parentem fecit, ex quibus filiam REGINAM, HIERON. MOSCOROVIVS nobilis Polonus, Socinianorum sui temporis facile Princeps, secundis nuptiis vxorem duxit a. 1593. d. 2. Octobr. teste SMALCIO l. c. p. 1166. Quot praecise filios ex eodem matrimonio superstites reliquerit, certo quidem a nobis resciri non potuit. Id sane constat quod SMALCIVS trium DVDITHII filiorum ex altero matrimonio superstitum, ALEXANDRI, DANIELIS et HIERONYMI Praeceptor exstiterit (*), quos, publico iam Smiglae muneri scho-

(*) Perperam ADOLPH. CLARMVNDVS l. c. perhibet, DVDITHIO vnum tantum ex hoc matrimonio fuisse haeredem. Filii DVDITHII ex secundo matrimonio, vna atque patris, MICH. EYZINGER, *Austriacus, in historica rerum intra septem menses in Europa gestarum relatione etc. Colon.* a. 1592. 4. plagg. 7 occasione legationis polonicae, quae Pragam accesserat, mentionem fecit p. 53. his verbis; — "Unter denen polnischen Edelleuten war auch der Sohn *Duditii Suardelati.* Suardelatus war ein überaus gelehrter und geschickter Mann, also, daß er von weiland hochlöblichster Gedächtniß Kayser Ferdinanden nicht allein würdig geschätzt ist, ein Bischof in Ungerland von fünf Kirchen zu werden; sondern ist derselbige auch als ein Kayserlicher Legat auf das Concilium zu Trient geschicket worden, mit und bey welchem ich dazumal auch gewesen, und nicht allein gesehen, daß er von Cardinälen und Bischöfen daselbst gar wohl gehalten und angesehen, sondern auch seine gewaltige Orationes gehört. — — Nun hat sich aber der gute Herr, so noch ein junger Mann gewest, seine eigene Weisheit und die Ketzer letzlich so fern bringen laßen, daß er von der Kayserl. Maj. Hof in Polen gezogen, und daselbst ein Weib, des Geschlechts eine Swaroffskin genommen, und das Bißtum in Ungarn gelaßen, von dieser ist obgemeldter Sohn, so mit den

ſcholaſtico admotus, ad an. 1598. docuit. Ex epiſtola F. SOCINI ad VAL. SMALCIVM d. 24. Iulii 1599. in agro Luclauiciano ſcripta, in *Epp.* F. S. p. 524. diſcimus, MOSCOROVIVM, SMALCIO a. 1599. ad coetum Lublinenſem admoto, duos minores DVDITHIOS, affines ſuos, vt apud STATORIVM, vna cum praeceptore ſuo aliquamdiu maneant, *Luclauiciam* adduxiſſe. Ex *actis MSSCC. ſynodi* 1615. *Racou.* habitae, in quibus ANDR. DVDITHIVS, vir magnus in Chriſtianiſmo practico appellatur, diſcimus, HIERONYMVM iam tum temporis fuiſſe defunctum. Obitum ipſius SMALCIVS in *Diar.* apud ZELTN. l. c. p. 1196. his verbis exponit: d. 7. Iulii 1612. in Czarkow (quod *Hieron. Moſcorouii* affinis ipſius praedium erat) mortuus eſt *Hieron. Dudithius*, Illuſtris olim *Andreae de Horechowicza*, liberi Baronis filius, frater noſter. Ex iisdem *actis* patet, quod is viduam pauperrimam reliquerit, cui in ipſa hac ſynodo, inſtituta collecta 118. floreni dono dati ſunt, et in ſynodo a. 1616. habita eidem viduae Dudicowae, 50. floreni donati ſunt, teſtantibus iisdem *actis MSSCC.* Emendanda hinc eſt coniectura ZELTNERI quod *Hieronymus* caelebs ex hac mortalitate diſceſſerit.

S 4 Quae

den Polniſchen von Adel zu Prag ankommen, erzeugt worden: wie aber etliche davor halten, ſo wird er dem Vater an Verſtand, Weisheit und Geſchicklichkeit nit gleich geacht." Bigam epiſtolarum ab *Andrea*, *Andreae* filio ad POLYC. LYSERVM ſcriptarum adhuc extare, CRENIVS tradidit l. c. P. III. p. 236. De his epiſtolis *Polycarpi Lyſeri* nepos in ep. ad THOM. CRENIVM a. 1697. ſcripta inquit: "Seruo in ſcriniis meis — — bina epiſtolarum autographa, quae ANDREAS DVDITHIVS filius ad Proauum meum — — exarauit. In iis ſubſcriptio haec apparet: *Andreas Dudith f. de Horehowitza.* In vtraque epiſtola de loco Paulino *Phil.* II. 6. 7. et inprimis de genuino ſenſu phraſium Paulinarum, *forma Dei et forma ſerui* prolixius mentem ſuam expoſuit. Reſponſoriae LYSERI epiſtolae, mutilae licet, quibus orthodoxum ſenſum loci illius Paulini explicat, leguntur in eiusdem *ſylloge epiſtolarum*, 1706. *Lipſ.* 8. edita p. 255. ſeqq. In his ANDREAM, ANDREAE filium reformatae religioni addictum fuiſſe docemur.

Quae fata Bibliothecae Dudithianae fuerint, quam BRVTVS in *Operibus variis selectis* p. 323. et 518. et REVTERVS in *dedicat.* l. c. a numero delectuque librorum, tam formis exscriptorum, quam manu exaratorum celebrant, nemo nos fecit certiores. Quantam vbique amplissimae eruditionis famam nactus fuerit eiusdem possessor, praeclara comprobant testimonia, quae magno numero collegit Io. ANDR. BOSIVS, in Praefatione praemissa *Collectioni opusculorum de significatu cometarum*, *Ienae*, 1665. 4.

De animi charactere corporisque dotibus, ex QVIRINO REVTERO, PRAETORIO, THVANO aliisque scriptoribus prolixe exposuit SCHWARZIVS l. c. p. 129-134. et ex epp. DVDITHII MSSCC. STIEFFIVS l. c. p. 158. seqq. Vultus ipsius (cuius effigiem *Bibliotheca Elisabeth. Wratisl.* seruat, qua aeri incisa STIEFFIVS historiam suam exornauit) grauitatem quandam prae se ferebat, qua tamen homines sibi magis conciliauit, quam a se alienauit; affabilis quippe, ingenioque miti et mansueto erat. Aliorum miseria facile ad misericordiam et opem ferendam commouebatur, quo ipso omnium amorem in se conuertit. Temperantiae et sobrietati deditus adeo erat, vt quoque omni vini et inebriantium potionum vsu abstineret. Singularia in ipso eluxerunt naturae dona, praecipua intellectus facultas, et exercitata iudicandi promtitudo, ad quae prudens et expedita agendi et conuersandi ratio accessit. Haec studio ac diligentia exculta, sermonisque nitore prudentioribus commendata, iuueni adhuc viam ad praeclara munera pararunt. FREHERVS in *Theatro Erud.* f. 913. de eo inquit: "Vir ingenio, omnium scientiarum genere exculto, iudicio, rara latine scribendi dicendique facultate, in negotiis explicandis prudentia ac solertia praestans: adhaec totius corporis forma, gestu

et

et oris renitentis grauitate conſpicuus: comitate, vitae innocentia, omnium, qui vmquam eum viderunt, gratiam promeritus." THVANO vir eſt admirabili ingenio ac doctrina. In colenda amicitia erat conſtans et fidelis. Ipſe in ep. ad PETR. MONAVIVM Wratisl. d. 30. 1581. ſcribit: "Crede mihi, mi MONAVI, me fidum, integrum, conſtantem amicum eſſe; nunquam prudens et ſciens amicum vllum meum laeſi; nunquam ab amicitia cuiusque prior diſceſſi; ſaepe etiam, cum non leues cauſſae ſubeſſent. —— Egone vt opibus, dignitatibus, ſpe denique vlla, addo etiam metu promoueri me patiar: qui magno atque excelſo animo illa omnia contemſi?" Magno tenebatur vitae huius amore, et magnopere Martyrium abhorrebat, de qua re ad eum F. SOCINVS in epiſtola IV. 6. *Idib. Martii* 1583. ſcripta, l. c. p. 79. "Non poſſum diſſimulare, mirum id in te ſaepe numero mihi viſum, quod alia te eſſe mente ſignifices, teque ne martyrio Chriſti vitam impendere cogaris, optare affirmes. Quid ita vero? vtne tantillum, quod ad viuendum aetatis tibi reſtat, reliquae addas? quanti quaeſo ſunt iſtae aliquot annorum decades, quas exigere in hac vita poſſis amplius, ſi naturae arbitrio mors tua relinquatur? imo, quid forent vel ſecula et annorum chiliades, ſi fine nihilominus aliquo concluderentur? —— Sed illud fortaſſis vis tibi dicere, vtne ſuſtineas neque ſentias tormenta afflictionesque illas. At, quo loco id omne habendum eſt, vbi Deus vires ad id patienter ac cupide ex ipſius amore ferendum ſuggerit, niſi pro futurae immortalitatis ac beatitudinis arrha certiſſima Chriſtiano homini in anteceſſum data? Nullo modo nobis, qui Chriſtianiſmum profitemur, dicendum eſt, optare nos inter martyres Chriſti non cenſeri, maxime ſi res nobis ſit cum homi-

S 5 nibus

nibus partim religiosis, quique ex eiusmodi sermonum exemplo occasionem ac veluti ansam arripere possint obstinandi animum in ista sua tam frigida religione, credendique, ne nos quidem admodum illius studio feruere." Valde timidi eum fuisse animi, sibique insidias strui in Polonia ob placita sua in religione suscepta, putasse, hisque semet ipsum excruciasse sollicitudinibus, ex verbis F. SOCINI, l. c. proxime sequentibus, colligimus. Ita vero inquit: "Quod perscriptum est ad te, litteras tuas Cracouiae per aliorum volare manus, id, quod quidem sciam, apertum est mendacium, nec minus maligne excogitatum, quam alia multa ex eadem disciplina profecta. Id quidem ego pro certo duco, nunquam fore, vt quieto tibi esse liceat, antequam te ab istis abrumpas et susque deque habeas, quid homo tibi facere possit, in solo Deo eiusque prouidentia, recte agendo acquiescas."

De ipsius *F. Socini* securitate sollicitus, insidiasque huic strui vel a Iesuitis vel aliis verens, duo eidem loca commendauit, in quibus tutus commorari posset, in quorum alterum, quamuis ex sententia DVDITHII minus tutum SOCINVS se contulit. *Vid.* eiusdem epist. IV. ad DVD. p. 81. PRAETORIVS eum adeo prae metu mortuum esse coniicit, cum inquit: "Quod mors ipsius eclipsin illam subsequuta sit, me plane non mouet. Quid, si metus et consternatio eum enecauit." *Vid. Relat. innoc.* a. 1715. p. 29. Famam suam, si a quodam sibi aequali, vel se inferiori laesam crederet, facile ad turpissimam iram prouocari potuit. Cum PETRVS MELIVS, minister helueticae confessionis in Hungaria, acerrimus Socinianorum hostis, cum per litteras haereseos et hypocryseos postulasset, satis barbarum viroque graui indignum maximae excandescentiae a DVDITHIO accepit documentum, qui eidem

eidem *Cracou.* 22. Septbr. 1571. hoc modo respondit: "Tribus fustibus, vt more patrio loquar, quam responso vllo alio dignior es, impudentissime et arrogantissime scurra, quos iam profecto sensisses, et dorso excepisses, vt meritus es, nisi maiorem ego mei, quam tui rationem habendam mihi esse existimassem. In alios innatam istam rabiem tuam euomas suadeo, me missum facias. Nam si me pietas Christiana malum pro malo reddere vetabit, erunt tamen aliqui tui similes, qui nimirum in lingua tantum Christi nomen gerunt, qui me vlciscantur, et venenatam ac procacem istam tuam linguam forpicibus constringent, ac capitulum istud tuum, in quo mendacia, calumniae, obtrectationes, atque alia id genus probra, sedem domiciliumque sibi fixerunt, plane contundent ac comminuent: ne posthac viris bonis et quietis amantibus ac pietatis studiosis rabido isto latratu tuo molestus esse pergas. — — — Pars librorum tuorum, quos cacatam chartam, (vt CATVLLVS loquitur) merito vocare possis, nunquam — — ad me delata est. — Reliquam — — ex tenebricosis illis locis, quae vix honeste nominari possint, in quibus nunc delitescit, eruam. — — — O insaniam flagris coërcendam. Sed desino stulto respondere secundum stultitiam suam."

De religione DVDITHII varia sunt apud scriptores iudicia. Pontificii iacturam tanti praesulis ecclesiae suae aegerrime ferentes, pro adfectu suo de eodem statuunt. Ita HENR. SPONDANVS in *Contin. annal. eccl.* BARONII T. II. ad an. 1575. VIII. f. 755. "Homo quidem rerum experientia insignis, atque ideo multis legationibus a MAXIMILIANO honestatus, ac ingenio et morum elegantia Polonis acceptus, sed a religione Catholica apostata, qui — — — personae, dignitatisque suae oblitus, aliquot

quot antehac annis, non ſine ſumma omnium admiratione, ac famae nominisque ſugillatione, ſceleratis innixus conſiliis, inſano puellae e Gynaeceo Reginae Poloniae amore inflammatus, a vera religione ad damnatos errores deſciſcens, nuptias cum ea peregit: nec ſemel inſanire contentus, ea mortua alteram duxit, ac liberos ſuſcepit; donec tandem nulli religioni addictus, ſed vago cultu Dei viuens, Wratislauiae Sileſiae repentina apoplexia correptus, infelicem animam exhalauit, a. 1589. aetat. 56." PALAVICINVS l. c. P. II. p. 740. DVDITHII nomen antiſtitum ordini ignominioſum appellat. STAN. HOSIVS apud DLVGOSSVM in *Hiſt. Pol.* T. II. p. 161. eundem vocat haereticum, foeminae cuiusdam amore inſanientem.

Nec inter Proteſtantes eadem eſt de DVDITHIO ſententia. Vir eruditus, cordatus et moderatus eſt, GODOFR. ARNOLDO in *Hiſt. eccl. et haeret.* P. IV. ſect. II. Num. XIX. ABDIAS PRAETORIVS in ep. *Confeſſioni Armeniorum* etc. praefixa ac ſcripta, *Witteb.* d. 19. Iulii 1570. de eodem inquit: "Quem quidem id genus a Deo dotibus condecoratum coram conſpexi, vt, ſi cum litteratiſſimis ac praeſtantiſſimis aeui noſtri hominibus eum contulero, non iniuriam tantum nemini facturus, verum etiam gratiam apud optimos quosque initurus et eorundem ſuffragiis votisque videar confirmandus, exornandus atque protegendus." Ab aliis vt frigidus in religione, nec ſibi ſatis conſtans, Socinianorum vero partibus addictus reprehenditur. *Vid. Obſeru. Halenſ.* l. c. GISB. VOETIVS in *exercitat. de prognoſticis Cometarum*, p. 21. Epicureismi, Scepticiſmi et Atheismi reum fecit, *Vid. Crenius* l. c. P. II. p. 143. *Florim. Raemundus* quoque Atheismi eum accuſauit; ſed nemini prudenti ac aequo iudici probatae ſunt ratio-

rationes, quae pro adſtruenda hac ſententia proferuntur. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. p. 128.

*Hoornbeeckius* cum VOETIO eum ad Arianismum prolapſum eſſe enuntiant. Contrarium nonnullis viſum eſt ex GE. MICH. LINGELSHEMII apud Heluetios olim legati binis epiſtolis, quarum altera iam olim edita in *Epp. doct. viror. ad* MELCH. GOLDASTVM Num. CCCVIII. p. 370. altera a CRENIO primum in lucem edita l. c. T. II. p. 153.

Qui ipſa *Dudithii* ſcripta, et *Acta Synodalia* in conſilium vocat, ſatis certo ſibi perſuadebit, DVDITHIVM omnium quidem religionum niſi vnionem, tolerantiam tamen vrſiſſe; in primariis vero placitis, rem cum SOCINIANIS communem feciſſe. Cum primum Romanae Eccleſiae arcana non absque horrore coram perſpexiſſet, ad coetum ſingulari adfectu propendebat, qui helueticam tuetur confeſſionem. Paulo vero poſt, hunc etiam in pluribus momentis, inprimis quoad fidei myſteria indigere reformatione, arbitrabatur, ac proinde ad Antitrinitariorum, quem puriſſimum iudicauit, tranſiit, in huius commodum, templum et ſcholam inſtruxit, omniumque familiae huic addictorum patronus exſtitit. Non ſine bile reprehendit eos, qui religionis nomine aliis moleſti ſunt, grauiterque ſtudium, quod in aliorum conſcientia examinanda conſumitur improbauit. In ep. ad CRATONEM d. 22. Octobr. 1581. apud *Stieffium* l. c. p. 238. ita ſcribit: "Tanta eſt Euangelicorum, qui conſcientias noſtras regere volunt, diritas et ſuperba arrogantia, vt, qui ex papatu diſceſſerunt, non tantum dominos mutaſſe, —— ſed in multo deteriores Tyrannos incidiſſe ſentiant. etc." Abdicatis ſacris Romanis, amicitiam cum Proteſtantium Doctoribus intimam quidem coluit, neutri tamen coetui

ſemet

semet applicauit. Reformatis in principio spem potissimum fecit, fore, vt socium suae aliquando professionis sint nacturi; horum quoque templa inuisit, scriptaque ZANCHII, BEZAE, VRSINI, aliorumque diligenter tractauit. Cum id CHRISTOPH. THRECIVS Heluetiis nunciaret, BEZA, WOLPHIVS, SIMLERVS, aliique eius amicitiam ambire, eum ad constantiam cohortari studuerunt, simulque amplissimis laudibus ornarunt, ita vt BEZA eidem poëmatum suorum editionem secundam et tertiam dedicaret (*), quem honorem in se collatum DVDITHIVS aureo poculo remunerabatur. Cum diutius haesitaret iungere se Reformatorum ciuitati, parcius eum laudarunt, imo in eundem aliquando graui censura vsi sunt, quam sibi merito contraxit, cum variis documentis suam in Antitrinitariorum placita propensionem testaretur. Si LVBIENIECIO l. c. p. 222. seqq. fides habenda, sua sibi Antitrinitarii aequanimitate atque modestia DVDITHIVM conciliarunt, Reformati odiis et iniuriis, quibus veritatis cultores, (pro opinione scilicet LVBIENIECII) insectabantur, abalienarunt.

Clarius mentem suam a Reformatis alienam testabatur, cum a. 1569. Io. WOLPHIVS Theologus Tigurinus litteras ad eum misisset, eum hortantes, ne transitum ad Reformatorum Ecclesiam diutius procrastinaret, siquidem et internae Protestantium dissensiones, et multorum mores Euangelio haud conuenientes rationes minus sufficientes essent, ipsum iure quodam impediendi, quo minus spem salutemque suam, in vnius secum spei salutisque communionem conferret. Respondebat DVDITHIVS, dissensiones Protestantium longa oratione exaggerans, quod in tanta Ecclesiarum varietate, et in discrepantibus adeo circa veritatem sententiis, quae vera sit ecclesia, discer-

(*) *Vid.* DAV. CLEMENT *Biblioth. histor. et Crit.* T. III. p. 297.

difcernere, et a quibus partibus veritas ftet, diiudicare non poffit. Ad mores conuerfus, SERVETI et GENTILIS fupplicia, OCHINI et A LASCI exfilia ftomachofius exprobrauit. Ad has DVDITHII litteras non WOLPHIVS tantum, fed et ZANCHIVS et BEZA ad eum litteras exararunt, de quibus in recenfione fcriptorum. Dedit quoque litteras ad eundem WOLPHIVM et IOSIAM SIMLERVM, lenitate fua fibi commendatos die 7. Iulii a. 1572. (*Vid. Biblioth.* FF. PP. Tom. I. p. 530. feqq.) quibus fuum praecipue *quoad dogma S. S. Trinitatis* ab ipfis diffenfum denuntiauit, eosdem tamen rogauit, ne hanc fententiarum varietatem tanti aeftimarent, vt ipfum ex amicorum numero expungendum putent.

Nunquam quidem publica confeffione, iterata Baptifmi fufceptione et S. coenae vfu ad Antitrinitariorum coetum acceffit, quod ipfi politicae diffuaferunt rationes; horum tamen numero eximendus nobis non videtur. Ita LVBIENIECIVS l. c. p. 226. inquit: DVDITHIVS partes amplexus meliores (*fcilicet*) Ecclefiae quidem, vt minori, ita et veriori nomen non dedit; eius tamen fautor et *Smiglae*, maioris Poloniae oppido patronus, imo fundator fuerat. Tres in fpecie DVDITHII differtationes fiue epiftolae ad amicos, quarum quidem prima adhuc latuit, comprobant, quanta temeritate orthodoxam de myfterio SS. Trinitatis doctrinam impugnaverit. PRIMA ad Io. CRATONEM *a Craftheim* fcripta, lucem publicam nunquam adfpexit. Hanc enim MONAVIVS forte fibi oftenfam, velut blasphemias illius, (inquit RVARVS in ep. XCIX. Cent. I. apud *Zeltn.* l. c. p. 352.) in ignem coniecit, quod DVDITHIO gratum fuiffe, cum ex hac fententia honori fuo periculum imminere iudicaverit, idem RVARVS teftatur. Interim hoc ipfum con-

iectu-

iecturae locum facit, quale eius fuerit argumentum. ALTERA ſcripta eſt ad Io. LASICIVM (*), nobilem Polonum, *Cracou.* d. 9. Iunii a. 1571. quae eo a *Dudithio* animo ſcripta non eſt, vt in publicum exiret, non quod iſtius ſententiae de Trinitate eum ex animo puderet, aut poeniteret; ſed quod eam ita ſcriptam non eſſe iudicaret, vt in vulgus emitti debuerit, ſiquidem liberius cum amico et negligentius diſputare plerumque omnes ſolent, maiore vero diligentia in ſcriptionibus verſari, quae in vulgus emittere cogitant, quod ipſe in epiſtola ad SIMLERVM et WOLPHIVM in *Biblioth.* FF. PP. T. I. p. 531. ſcripta, obvertit. Tradidit tamen eam LASICIVS pluribus legendam, ſicque a curioſioribus paradoxarum eiusmodi ſententiarum deſcripta, exemplaque paſſim diffuſa ſunt, quorum vnum iſta iam aetate nitide deſcriptum etiam ad manus noſtras peruenit. Tanti viri ſuffragium Antitrinitariis gratiſſimum quidem fuit, quod tamen eo viuo et inuito in lucem proferre auſi non ſunt; at altero ſtatim a morte ipſius anno a. 1590. 4. publicarunt. *Tertia* DVDITHII epiſtola pro ſententia Antitrinitariorum, ad THEOD. BEZAM ſcripta, excuſa legitur in Biblioth. FF. PP. T. I. p. 523. ſeq. (**) Amiciſſimus fuit DVDITHIVS IACOBO PALAEOLOGO, cum quo etiam conſenſit aduerſus reliquos Socinianos, quod Magiſtratus politicus a Chriſto non ſublatus et bella licita ſint, hacque ipſa amicitia SOCINO, peſſime de PALAEOLOGO ſentiente acceptus eſſe non potuit. Ex amicitia et commercio epiſtolico cum *Palaeologo*, DVDITHIVS triſtia ſibi fata praeſagiebat. Ita enim

(*) Quem STIEFFIVS l. c. p. 202 cum Io. a LASCO confudit.

(**) Ad hanc ſine dubio reſpicit BEZA in epiſtola d. 22. Octob. 1572. ſcripta ad D. TILIVM, quae legitur in *epp. illuſtr. et clarorum virorum ſelectioribus, Lugd.* 1617. 8. Cent. II. p. 681. in qua ita BEZA inquit: *De Duditii epiſtola facies, quod cenſueris expedire.* Fortaſſis TILIVS epiſtolam DVDITHII publicae exponere luci ſtatuerat,

enim in ep. ad HAGECIVM, *Wratisl.* d. 14. Febr. 1583. scribit: "Meas — — inter eius scripta litteras, quae me eiusdem, de qua ille captus est, sectae suspectum faciant, repertas esse, *Roma* in istam aulam (austriacam) perscriptum esse, scio. Non dubito admotas etiam machinas, ad impellendum *Caes.* animum, vt me quoque leonibus illis dilacerandum dedat." *Vid.* STIEFFIVS l. c. p. 224. In specie improbabat *Socini* sententiam de indifferentia Baptismi. Ob hunc tamen a SOCINO dissensum, ex Antitrinitariorum numero eximi nequit, qui in doctrina de Deo quoad potiora momenta cum his paria defendit. Ipse fatetur, quod sententiam de Deo, ac Filio eius Iesu Christo ex Transyluanorum potissimum scriptis a GE. BLANDRATA et FRANC. DAVIDIS, quos spiritualium parentum loco reuerenter coluit, in lucem emissis, hauserit, in ep. ad THEOD. BEZAM in qua ita scribit: "Sed vt quid tamen de duobus clarissimis illis viris G. BLANDRATA et F. DAVIDIS dicam, profiteor coram Deo atque eius Angelis, non me quicquam horum auctoritate permotum fuisse, vt a recepta passim de Trinitate opinione discederem. Illud etiam sancte affirmare possum, me neutrum horum vnquam vidisse. Quare nulla mihi cum illis tam arcta amicitia intercedere potuit, nullum beneficium ab illis profectum est, quod oculorum mihi aciem perstringere queat. Itaque non potuit illorum mihi gratia atque auctoritas fucum facere, vt tu falso coniicis. Neque vlla omnino vllius hominis auctoritas tanta esse possit, quae me a vera pietate abducat. Hoc tamen tantum abest, vt inficiaturus vnquam sim, vt etiam libenter profitear, totam hanc coelestem doctrinam secundum Deum, clarissimis illis magnaque doctrina, ingenio, iudicio, pietate praeditis viris potissimum

mum deberi: in cuius gloriae societatem iure suo veniunt et ALCIATVS, et GREGORIVS SCHOMANNVS et KROVICIVS, et SOCINVS, et alii praestantissimi viri, qui tum scribendo, tum docendo, plurimum operae ad hanc illustrandam doctrinam posuerunt. Illi primi, quod sciam, illi inquam duo praestantissimi viri BLANDRATA et DAVIDIS, latine editis hac de re libris, Christum e sepulchro nobis eruerunt; in quod eum Patres illi vestri et Papismi conditores et architecti, detrusum atque oppressum, circumpositis satellitibus, detinebant. Quare ingenue fatebor, quod hi mihi ad Euangelii doctrinam, simpliciter, vt scripta et tradita est, intelligendam, viam quasi digito intendentes, demonstrarunt." Cum eiusmodi DVDITHIO exstiterint viae duces, in quosnam ipse scopulos delapsus fuerit, facile colligitur.

Vtrum vero eandem cum Antitrinitariis ad obitum suum mentem habuerit, nec ne, diuersimode disputatur. RVARVS in epp. *Cent.* I. ep. XCIX. edit. *Zeltn.* p. 351. seq. inquit: "DVDITHIVS SOCINI de Deo atque Christo sententiam amplexus fuerat, nec ab ea, quod sciam, vnquam resiluit. De aliis quoque non paucis eadem cum SOCINO sensit." Idem refert SANDIVS l. c. p. 61. his verbis: "Cum arbitraretur et Reformatos CALVINI sequaces, in multis adhuc reformatione egere: inprimis vero cernens eorum acerbitatem erga coetum minorem, qui vnum profitebatur Deum, ab illis se seiunxit, his autem se adiunxit, sententiamque horum amplexus, ad obitum vsque professus est ac propugnauit." LINGELSHEMIVS vero apud THOM. CRENIVM l. c. P. II. p. 153. inquit: "Scio labem DVDITHII famae adspersam, ob commercium cum Arianis: sed mihi de eius recta fide in Christum et pia morte constat. Expressius de eodem REVTERVS

l. c.

l. c. Cracouiae quidem ab Arianis Italis eo deductus eſt, vt, more ſuo, diſputaret, pro et contra, quod ipſi merito vitio datum: ſed poſt refugit et damnauit illas impias ſententias. Excuſauit ſe apud multos: ad me quoque ſcripſit de epiſtola ad *Bezam*, *illarum ſcriptionum me pudet et poenitet.* Contra SOCINVM, ducem ſectae quoque diſputauit litteris." Ad quaeſtionem: *cui ex his contraria de* DVDITHIO *teſtantibus fides habenda ſit?* ita *Schwarzius* reſpondet l. c. p. 123." quod LINGELSHEMIO et REVTERO (*) res ipſa ſuffragetur. Ex reſponſionibus enim *F. Socini* liquet, DVDITHIVM, ſi non ab Antitrinitariorum ſententia reſiluiſſe, adeo tamen in eadem obfirmatum non fuiſſe, quam in ſuis ante decennium epiſtolis, ad LASICIVM et BEZAM ſcriptis, animo ſuis caloribus tunc ſuperato, plus iuſto indulgens, prae ſe tulit, quod exemplo quoque confirmari poteſt. Cum BLANDRATA, SOCINVS, horumque aſſeclae negarent, Chriſtum Dominum, natura ſua Deum eſſe, omnem tamen diuinitatis plenitudinem ei a Patre donatam eſſe, adfirmarent, ac propterea cultum adorationis ipſi quoque tribuerunt, DVDITHIVS ſubalternos Deos duos ab illis fingi, duplicemque adorationis cultum, eumque diuinum, comminiſci, componere atque concipere non potuit." *Vid. Biblioth.* FF. PP. T. I. p. 498. col. b. Haec non excuſandi DVDITHIVM, ſed colligendi locum faciunt, quod DAVIDIS ſectatoribus Chriſto cultum diuinum denegantibus proprior ſteterit, quam ſuſpicionem eius confeſſio ad *Laſicium*, vltimaque eius ſuſpiria: *Ah Domine Ieſu, ſerua me*, non prorſus auferunt. Eidem ſuſpicioni argumentum ſubſternit epiſtola ad CRATONEM d. 30. Iulii 1584. ſcripta, in qua, haec verba, ex allegatione

T 2

(*) Et REVTERI et LINGELSHEMII pro DVDITHIO apologia legitur in *Epp. doctor. viror. ad* MELCH. GOLDASTVM *ep.* 29. et 308. *Vid.* TENZELII *colloq. menſtr.* a. 1689. p. 409. ſeqq.

gatione *Stieffii* l. c. p. 209. leguntur: "Eſt inter Antitrinitarios diſſenſio. Alii Chriſtum adorandum docent; etiamſi eum non eſſe aeternum, neque eundem, qui Pater eſt, Deum affirment; alii prorſus adorationem tollunt, et ſoli Deo Patri hunc cultum relinquunt. Ego cum ab vtrisque diſſentiam, illos tamen magis quam hos ſibi pugnantia loqui, ſcribebam in poſtremis ad CHIVM (*) litteris meis, quas puto cum eius ſcriptis *Romam* eſſe reportatas. Ita enim, ſi recte memini, argumentabar: Si adorationis cultus vni ſoli Deo conuenit et hac praecipue re Deus ſe ab omni ente diſcriminat; tum ne Chriſto quidem tribui poteſt, quem Deum vnum eundemque cum Patre eſſe negatis etc." Quidam cum MARESIO aliisque colligunt, quod DVDITHIVS proximis ante mortem annis SOCINI erroribus vale dixerit, quia epiſtolam ad LASICIVM non euulgauerint Sociniani, niſi altero, poſt eius obitum anno, cum eius retractatio non metuenda amplius eſſet. Adferri tamen praeter retractationis metum alia cauſſa, imo validior poteſt, cum caeteras ſuas epiſtolas DVDITHIVS adeo edi nollet, vt eas etiam per aliorum manus volare aegerrime ferret, iniuriamque hanc SOCINO quereretur.

Argumenta, quae *Cel.* SCHWARZIVS et STIEFFIVS pro emendato ac circa vitae finem de veritate inſtructo DVDITHIO adferunt, tanti momenti non ſunt, vt omnino contrarium credi nequeat. Potuit a FR. DAVIDIS et SOCINO in ſpeciali momento diſſentire, interim tamen eandem in genere cauſſam cum vtroque ſuſcipere. Famam Socinianiſmi a ſemet ſuſcepti, ignominiae ſibi duxit, et ne honori ac vitae periculum contraheret, ſententiam in ſinu ſuo

(*) IAC. PALAEOLOGVM ex inſula *Chio* oriundum notat, ad quem plures DVDITHIVS dedit litteras.

ſuo abſcondidit; quod RVARVS loco paulo ante allegato notauit. Quam ob rem nec iſto quoque tempore, quo ipſius cum Antitrinitariis conſenſus indubitatus fuit, palam ſe horum adiunxit communioni, cuius rei teſtes, ipſos habemus Socinianos, LVBIENIECIVM nimirum l. c. p. 226. et auctorem narrat. compend. apud SANDIVM l. c. p. 214. Quando vero SANDIVS expreſſe dicit, DVDITHIVM Vnitariorum coetui ſemet iunxiſſe, id, quoad mentem ac conſenſum eſt explicandum. Ex verbis Io. PRAETORII, in altera de DVDITHIO ad LINGELSHEMIVM epiſtola, *monumentis pietatis et litterar. etc.* a MIEGIO, Theologo Heidelbergenſi editis, P. II. p. 127. inſerta, ego ſané colligerem, homines Socinianiſmi erroribus conſtrictos, in domo DVDITHII Wratislauiae ſuos habuiſſe conuentus, quos eccleſiae miniſtri de DVDITHII fide dudum haeſitantes, dispellere per Magiſtratum intenderunt. Ita vero *Praetorius* inquit: "Cum etiam quidam eius amici, non diu ante obitum, diebus feriatis, Wratislauiae herum meum conuenire ſoliti eſſent, ſuſpicax illud Theologorum genus Magiſtratum quoque, ob hos conuentus, in ſuſpicionem adduxit: et tandem iuſſus fuit, de hac re reſpondere. DVDITHIVS vero reſpondit, ſe *Caeſari*, ſuper hoc negotio, ſatisfacturum. An ad Caeſarem res delata ſit, nec ne, non comperi, hoc tamen ſecutum, vt ei amplius moleſti haud fuerint. Habeo haec, non ab hero quondam meo, ſed a fide dignis viris." Haec miniſtrorum de diſſoluendis conuenticulis cura, DVDITHIIQVE ad Caeſarem prouocatio, qua ſpecialiorem inquiſitionem vel auertere vel remorari ſtuduit, Socinianiſmi ſuſpicionem haud parum augent. Accedit familiae ipſius ſuperſtitis, coniugis, filiorum, filiaeque ad Socinianos tranſitus. Interim plenum de interioribus eiusdem ſenſibus, circa

vltimum vitae terminum, iudicium, omniſcio cordium ſcrutatori committendum putamus. Quod aliquando myſterium S. Trinitatis impugnauerit, haud pauca extra omne dubium ponunt documenta; quod erroris eum ſerio poenituerit, ne vnico quidem argumento certo probari poteſt.

Ab eo tempore quo domicilium Wratislauiam transtulit, notante *Lauterbachio* l. c. p. 237. ſeq. quoad externam ſocietatem, publicumque cultum eccleſiae Lutherano-Euangelicae adhaeſit, ſtatisque temporibus S. coena in publico coetu vſus eſt. In hunc finem, abſtemius, vinum recens, ex vuis expreſſum ſemper Eccleſiae miniſtris exhibuit, non, quod (ZELTNERO ita ſententiente in not. ad RVARI epiſt. XCIX. Cent. I. p. 352. not. a.) ad ſaniorem mentem reuerſus ſit, ſed, quia, vt ſolent ἑτερόδοξοι eiusmodi homines, in dogmatibus fidei diſſenſum parum curantes, dignior illa viſa eſt Eccleſia Euangelica, cum qua, *externa ſocietate* coniunctus, viueret, *intus*, vt luberet, ſentiens. Indubitatum enim inde, quod ſ. Synaxi in coetu Lutherano deuote ad finem vsque vitae vſus fuerit (*), pro interno cum orthodoxa euangelicorum doctrina, conſenſu et explicito a Socinianorum placitis diſſenſu peti omnino nequit; cum hoc S. Coenae vſu, ſuum tantum a Papatu diſceſſum ſignificare voluiſſe putandus ſit; quod pluribus coetus Sociniani ſociis, imo acerrimis diſciplinae huius propugnatoribus demonſtrari poteſt, qui cultu ſacro coetus ſui deſtituti, ad ſacra Proteſtantium accedere non de-

(*) Licet id nec a LAVTERBACHIO nec a STIEFFIO vllo teſtimonio confirmatum ſit, probabile tamen videtur, ob hunc ad S. coenam acceſſum, ipſius corpori ſepulchrum in templo Euangelico primario iuxta altare conceſſum eſſe; niſi fortaſſis MONAVII aliorumque DVDITHII amicorum interceſſionibus in hac parte aliquid datum fuerit.

detrectarunt. Interim DVDITHIVS, in coetu Augustanam confessionem suscipiente, ad S. Synaxin externe accedens, mente sua in doctrina de vera et reali corporis et sanguinis Christi in S. Coena longe diuersa ab Augustana confessione statuit, imo in epistolis suis et colloquiis testante STIEFFIO l. c. p. 214. durissima quaeuis aduersus eos, qui hanc susceperunt, congessit, hosque calumniatus est, quod statuant, dentibus atteri Seruatorem, atque eos in carnem eius infigi. In epist. d. 12. Octobr. 1583. ad PETR. MONAVIVM ita scribit: "Vbiquitarum secta longe lateque patet, atque, vt ego auguror, (vtinam falso) hanc quoque prouinciam peruagabitur. Qui fiat aliter; cum Academiae omnes, in quas adolescentes nostri proficiscuntur et stipendiarii vrbium mittuntur, hoc dogma crepent? Crepent sane, et ilia ducant prius, quam me adstipulatorem habeant." Et in ep. ad eundem die 6. Augusti 1583. scripta: "Si Christi vnum tantum est et naturale corpus, atque adeo humanum, id certe vno aliquo loco esse, necesse est. Sit in pane, quem tu sumis, quid aliis relinquis, qui eodem momento de pane participant, si tu solus totum deuoras? Eodem certe momento atque, vt vocant, temporis puncto in plurimis locis corpus esse nullum potest."

SCRIPTA:

1. *Epistola ad M.* ANTON. MVRETVM, scripta *Patauio* d. VI. *Id. Maii* a. 1559. his initialibus: *Pudet me ad Te Virum eloquentissimum scribere etc.* inter epistolas MVRETI editas a IAC. THOMASIO L. I. N. LXIX. p. 422.
2. *Opusculum de lingua graeca et latina*, ante annum 1560. scriptum, de quo DVDITHIVS in dedicatione versionis DION. HALICARN. *iudicii de* THVCYD. *historia ad* NICOL. OLAHVM, *Archiepisc. Strigon.* haec notauit:

tauit: *Si graeca cum latina lingua conferatur, quid, quaeso illa plenius, quid hac ieiunius inueniri queat? quod nos in quodam nostro libello, satis copiose, satisque vt arbitror, dilucide ostendimus.*

3. *Commentariolum argumenti theologici* a DVDITHIO PATAVII adhuc commorante, conscriptum, multa cum laude allegat PAVLVS MANVTIVS *Epp.* L. IV. fol. 201. *edit. Colon. Agrip.* apud PETR. HORST, 1581. 8. Verba initialia sunt: *Ita mihi optata contingant etc.* DVDITHII tamen nomen inscriptioni additum non est. Vtrum typis exscriptus an calamo saltim exceptus fuerit commentariolus, determinari a nobis nequit.

4. DIONYSII HALICARNASSEI de THVCYDIDIS *historia, iudicium. Ad* QV. AEL. TVBERONEM, ANDREA DVDITIO, *Praeposito Thermarum Superiorum Badensium et Canonico Strigoniensi interprete: et cum praefat.* DVDITHII *ad* NICOL. OLAHVM *Archiepisc. Strigon.* (dat. *Patauii III. Non. Martii* 1560.) *Venetiis apud* PAVL. MANVTIVM, 1560. 4. Insertum quoque collectioni Basileensi operum historicorum, quae titulum prae se fert: Io. BODINI *methodus historica. Duodecim eiusdem argumenti scriptorum tam veterum, quam recentiorum Commentariis adaucta etc. Basileae, ex* PETRI PERNAE *Officina,* 1576. 8. p. 916-942. Et secundae operis huius editioni, quae indicem habet: *Artis historicae penus etc. Basil.* 1579. 8. In operibus THVCYDIDIS iterum quoque excusum. *Vid. Biblioth.* GESNERI *edita a* FRISIO f. 43. Plura adfert SCHWARZIVS l. c. §. 12. p. 37. Quod alios quoque eiusdem scriptoris libros *de arte Rhetorica,* tum et LONGINVM ac DEMETRIVM *περι ερμηνειας,* ac tres postremos DIODORI SICVLI et APPIANI ALEXANDRINI *de bello Romano contra*

*tra*

*tra Carthaginienses et gestis* HANNIBALIS libros convertere coeperit, LVNDORPIVS l. c. p. 788. narrat.

5. *Notae MSSCC. in Dialogos* BERNH. OCHINI, alleguntur a SANDIO l. c. p. 64. Parui eos fuisse momenti SCHWARZIVS l. c. p. 138. suspicatur.

6. *Orationes duae in SS. Oecumenico Concilio Tridentino habitae a R. P.* ANDR. DVDITIO, *Sbardellato, Episcopo Tininiensi ac Dnn. Praelatorum totiusque Hungariae Cleri Oratore,* 1562. *Venet. apud* IORDAN. ZILETVM, 1562. 4. Editor PETRVS FONTIDONIVS *Segobiensis* dedicationem praemisit, NICOL. OLAHO *Archiepiscopo Strigon. scripta Tridenti XV. Kal. Septemb.* 1562. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. praef. ad lect. §. 6. p. 5. Iterum prodierunt *Parisiis* apud Io. DALIER, 1563. nec non *Francof. ad Moen. Hanouiae, et Patauii. Vid. Relat. Innoc.* 1711. p. 128. Prodiisse quoque easdem a. 1562. *Brixiae* apud DAMIANVM TVRLINVM in *Miscell. Groning.* T. III. p. 150. notatur. SANDIVS praeter omnem veritatem scribit p. 63: *Orationes duae - - - in Concilio Tridentino habitae, et ibidem impressae;* cum non *Tridenti*, sed *Venetiis* impressae fuerint. Mutuasse videtur allegationem hanc contractam ex FRISII *Epit. Biblioth. Gesner.* p. 43. sed absque respectu ad contextum habito. Ita autem apud FRISIVM verba se habent: "ANDR. DVDITIVS - - *Halicarnassaei* ad Q. AEL. TVBERONEM de THVCYD. hist. iudicium, in linguam latinam conuertit, liber impressus *Venetiis* ab ALDO. Eiusdem orationes duae, nomine Episcoporum Hungariae in Conc. Trid. habitae, ibidem (*Venetiis* nimirum non autem *Tridenti*) impressae sunt. Eaedem orationes insertae sunt *collectioni miscell. operum* QVIR. REVTERI, *Offenbachi* 1610. 4. Vid. supra. In hac editione *Offen-*

*fenbacenf*, *tertia oratio*, *de permiſſione calicis in S. Coena acceſſit*, quae a REVTERO et in *Obſeru. Hal.* l. c. DVDITHIO tribuitur, quam vero SCHWARZIVS l. c. Praef. ad lect. §. 7. p. 7. DRASCOWITHIO tanquam vero eiusdem auctori, vindicauit. Duae DVDITHII orationes inſertae quoque ſunt HARDVINI et PHIL. LABBEI *Actis Concil. Tom. XIV.* et HERM. CONRINGII collectioni, quae titulum habet: *Scripta varia de neceſſitate reformationis Eccl. Rom. etc. Helmſt.* 1650. Tertia vero oratio, quam DVDITHIVS in Concilio Trid. d. 5. Sept. 1562. habuit, ſub indice: *Sententia de Calice laicis permittendo*, ſeparatim prodiit *Patauii* apud GRATIOSVM PERCHACINVM, 1563. 4. cum dedicatione editoris NICASII ELLEBODII, *Casletani*, ſcripta NICOL. OLAHO, *Archiepiſc. Strigon. Patauii Kal. Ian.* Iteratam trium iſtarum orationum editionem procurauit GODOFR. SCHWARZIVS, in opere ſupra allegato, qui illis duas adhuc eiusdem auctoris ex *MSC.* adiecit, nimirum 1) *Publicam gratulat. pro Electione et Coronatione* MAXIMILIANI *in R. Rom.* d. 8. Dec. 1562. et 2) *Sententiam de reſidentiae decreto*, eodem anno et menſe in Conc. Trid. habitas. *Vid. Act. Erud.* 1743. p. 615. et KRAFFTII *Biblioth. theol.* T. II. p. 435. Reperiit has DVDITHII orationes SCHWARZIVS in quodam Hungariae angulo, duas inprimis poſtremas manu antiqua ſcriptas, et tribus prioribus in vno volumine adnexas. Priores duas editor imprimi curauit ex editione Veneta a. 1562. 4. vtramque contulit cum editione REVTERIANA et HARDVINIANA. *Tertiam* expreſſit ex editione *Patauina*, 1563. 4. *Quartae*, ſiue Panegyrici, MAXIMILIANO, creato Romanorum Regi, dicti, SARPIVS et PALAVICINVS meminerunt. *Quintae* nullibi

fit

ſit mentio. Illam, quae apud REVTERVM tertia eſt, auctori ſuo DRASCOVITHIO reſtituit, cuius tamen duas orationes in Conc. Trid. recitatas idem recudendas curauit.

7. *Cardinalis*, E. R. REGINALDI POLI *vita. Venetiis, apud* ALD. MANVT. 1563. 4. Non ipſe quidem DVDITHIVS opuſculum hoc concinnauit, attamen ex Italico textu LVDOVICI BECCATELLI, in idioma latinum eleganter transtulit, *Patauii* adhuc vitam degens, quodque proinde opus, aliquantum poſt lucem vidit. Editio *Aldina* rariſſime occurrit; *Londinenſis* vero, quae 1690. 8. prodiit, frequentior eſt, huncque prae ſe fert indicem generalem: *Vita* REGINALDI POLI, *Cardinalis ac Cantuarienſis Archiepiſcopi. Acta diſceptationis inter legatos Angliae et Galliae in Concilio Conſtantienſi, de vtriusque gentis dignitate et praerogatiua, in Conciliorum Tomis deſiderata. Libri rariſſimi, olim quidem editi, ſed paucis noti, et nullis facile obuii. Londini. Recuſi impenſis* IAC. ADAMSON, *ad inſigne angeli coronigeri in coemeterio D. Pauli.* 1690. 8. Titulus ſpecialis prioris libelli eſt: *Vita* REGINALDI POLI, *S. R. E. Cardin. et Cantuar. Archiep. Italice conſcripta, a* LVDOVICO BECATELLO, *Archiep. Raguſino ipſius familiari. Latine reddita ab* ANDR. DVDITHIO, *Epiſc. Tininienſi. Iuxta exemplar Venetiis excuſum*, 1563. *Londini recuſa etc.* Vitam hanc a DVDITHIO latine redditam primae parti epiſtolarum Cardinalis POLI, QVIRINVS Cardinalis praemiſit, p. 22. ſeqq.

8. *Monita politica, quae* SANDIVS, p. 63. *Offenbachi* 1610. typis exſcripta perhibet, non ſunt DVDITHII. Videtur igitur collectionem REVTERI, quam nunquam fortaſſe ipſe vidit, confudiſſe cum alius auctoris opuſculo,

quod

quod sub titulo: *Monita Politica, Francof.* 1609. impensis PETRI KOPFFII prodiit. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. §. 61. p. 139.

9. *Matrimonium omnium hominum ordini sine exceptione diuina lege permissum esse, Demonstratio* ANDR. DVDITHII. Ad calcem scripti legitur: *Datum ex comitiis Petricouiensibus Kal. Iun.* A. D. 1567. Insertum est collectioni QV. REVTERI, p. 52-79. et ibidem, vna cum scripto, sequente numero allegando, primum typis exscriptum, cum ad id diuulgandum *Caesar* consensum suum denegasset. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. §. 26. p. 68.

10. *Excusatio ad Sereniss. Romanor. Imperat.* MAXIMILIANVM II. *Germ. Hung. Bohem. Reg. etc. in qua rationes affert, quam ob rem, Episcopatu Quinqueecclesiensi et aliis honoribus abdicatis, vxorem duxerit.* Inserta est REVTERI collectioni et *Bibliothecae* FF. PP. eademque est cum epistola apologetica, cuius argumentum recenset SCHWARZIVS l. c. §. 25. p. 66. In hac equidem excusatione apud *Reuterum*, p. 39. DVDITHIVS significat, quod propositum sibi fuisset in Conc. Trident. si ipsi oblata fuisset occasio, matrimonium Clericorum argumentis adstruendi; hanc tamen materiam in concilio isto re ipsa non tractauit, quod contra veritatem ipsum fecisse narrant et THVANVS et ex eodem alii. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. §. 19. p. 54.

11. *Epistola ad* IOACH. CAMERARIVM *patrem, scripta Cracouiae, d.* 1. *Octobr.* 1568. quae THOM. CRENII *Anim. Phil. et hist.* P. II. p. 140. seqq. inserta. Testatur in eadem suum in CAMERARIVM amorem, rogatque vt mathematicum quendam doctum quaerat, qui sibi domesticam operam nauet, et si IO. PRAETORIVM

hisce

hisce vsibus aptum fore animaduerterit, eundem ad se mittere velit. In eadem caussa post aliquot annos 1584. ad IVSTVM LIPSIVM in *ep.* N. 21. alleganda ita scribit: "Si vobiscum adhuc est NN. Mathematicus, is, de quo te superiori anno tribus verbis ad *Ortelium* Gallice scripsisse memini, rogo te, auctor ei sis, vt ad me veniat: si tamen bene eruditus est, tuo quoque iudicio, in illis, aliisque disciplinis, et honesto salario contentus esse potest. Doctorum virorum consuetudine perbeatum hoc otium meum iucundius efficere conor, si possim."

12. *In Bibliotheca* FF. PP. T. I. octo epistolae, SOCINI epistolis adtextae reperiuntur; de quibus falso prodiderunt editores, has nunquam antea esse editas, cum earum aliquot, plus simplici vice typis fuerint exscriptae.

*Prima fol.* 510. ad Io. LASICIVM, *Equitem Polonum*, in qua *de diuina Triade* disputatur, scripta *Cracouiae*, d. 9. Iunii 1571. Prodiit haec primum sub hoc titulo: *Epistola* ANDREAE DVDITHII, *Sac. Caes. M. Consiliarii*, *ad* IOANNEM LASICIVM *equitem Polonum. In qua de diuina Triade disputatur.* Anno M.D.XC. 4. pagg. 20. Locus impressionis non significatur, sine dubio autem *Racouiae* lucem adspexit; non vero *Cracouiae*, quemadmodum perhibet GEVERHART ELMENHORST in dedicatione *Opusc. Procli*, *Lugd. Bat.* 1617. 8. Impressam eam esse ex Bibliotheca GOMARI, SANDIVS l. c. falso perhibet, ex male intellecto loco in HOORNBEECKII *adparatu ad controu. et dispp. Socin.* p. 61. Praemissa est breuis ad lectorem Praefatio, his verbis: "ANDREAS DVDITHIVS vir clarissimus iuxta atque eruditissimus, annis ali-

aliquot ante, quam nobis morte adhuc immatura ereptus eſt, epiſtolas et ſatis longas, nec omnino paucas de rebus diuinis conſcripſit; quas tibi ſimul omnes legendas dare, et in publicum edere animus erat. Verum hactenus huius vnius tantum exemplum nanciſci potuimus; quamuis iam vnam aliam praeter hanc, annos abhinc complures, in Germania, auctore ipſo inſcio atque adeo inuito, editam fuiſſe reſciuerimus (*). Hanc igitur vnam nunc tibi damus, qua ſcilicet ad alias expetendas, et ſuo tempore auide accipiendas animum tuum praeparemus: quem tam honeſto deſiderio haud fruſtratum iri, ſed breui eo potiturum, et ſperamus, et, vt coepimus, ſedulo operam, quo id fiat, dabimus. Vale." Epiſtola ipſa ſubſcripta eſt hoc modo: *Cracouiae* 9. Iunii 1571. *Tuus*, *quoad voles*, *et amicus et frater*, ANDREAS DVDITHIVS. Promiſſum in breui ad lectorem alloquio impletum non eſt; niſi paucas haſce DVDITHII epiſtolas, epiſtolis F. SOCINI inſertas, exceperis. Excuſa haec eſt epiſtola a Socinianis paulo poſt DVDITHII obitum de tanto viro coetui ſuo gratulantibus, qui, ſi adhuc in viuis exſtitiſſet, ex rationibus ſupra allatis eius publicationem aegre tuliſſet. Exſtat quidem recuſa in SAM. MARESII *Biga Fanaticorum euerſa. S. Diſſertt. II. theologg. quarum prior continet vindicias pro SS. Trinitatis myſterio aduerſus epiſtolam* ANDR. DVDITHII — *poſterior exhibet refutationem XXVIII. Obiectionum D. N. N. contra varia religionis Chriſtianae capita*, *Groningae* 1647. 12. quo loco ſimul eadem refutata. Teſte SAN-

(*) Eſt haec epiſtola ad BEZAM ſcripta, quae cum MINI CELSI *Senenſis* tractatu *de haereticis capitali ſupplicio non adficiendis* edit. ſecundae a. 1584. 8. p. 246—260. lucem vidit.

SANDIO l. c. p. 63. belgice quoque verſa 1668. 4. prodiit. Illa tamen editio prima rariſſima eſt, et a cel. SCHWARZIO in Bibliotheca Caeſarea Vienneni tantum viſa, l. c. p. 111. GVST. GE. ZELTNERO prorſus incognita, qui in not. ad epp. RVARI, p. 352. not. b. perhibet, primum illam in *Biblioth.* FF. PP. ex Mſpto eſſe impreſſam. Habet haec magnam circa finem lacunam; omittit enim quae ad ADAMI NEVSERI et PAVLI ALCIATI Mahumediſmum ab aduerſariis Antitrinitariorum obiectum, DVDITHIVS regerit. Inter alia *Dudithius* in epiſtola ſcribit: "Serio profeſſus ſum confeſſionis illius formulam, quae ATHANASII nomine circumfertur, itemque NICAENVM illud ſymbolum, non eſſe S. litteris et chriſtianae pietati conſentaneum, ſed ex humano ſenſu, et ſpinoſis quibusdam frigidorum ſophiſtarum argutiis depromtum." Et paulo poſt: Si tres ſunt perſonae, et quaelibet per ſe Deus eſt, quomodo non tres dii erunt? aut certe Deus vnus erit triperſonatus, aut trinomius SABELLII. Vnus enim Deus eſt, qui tres perſonas gerit, et tria nomina habet — — PETRVS, IOANNES et ANDREAS, etſi domini ſint, nunquam tamen hi tres vnus, et idem numero dominus eſſe poſſit; niſi eos dicas, eandem poteſtatem, idem imperium habere: quae tamen poteſtas nunquam efficiet, vt tres illi numero, vnus tantum homo ſit." In ſequentibus varia blaſphema in Trinitatis myſterium eructat, quae exſcribere exhorreſcimus. Adeo enim pungens eius eſt dictio, quam vix vllius Antitrinitarii. Non igitur iniquum GEVERH. ELMENHORSTIVS tuliſſe videtur iudicium, quod ab orbe condito ex orci faucibus, nullum illo ſcripto DVDITHII ad LASICIVM, prodierit peſtilentius. *Vid.* CRENIVS l. c. P. II. p. 145. De occaſione,

sione, argumento et historia huius epistolae, eiusque mutilatione in *Biblioth.* FF. PP. plura habet SCHWARZIVS l. c. §. 48. p. 111. seqq. Quam noxia et diris plena eadem sit, ex GISBERTI VOETII *Exercitat. de prognosticis Cometarum* repetitum legitur in THOM. CRENII l. c. p. 142. In IOS. SIMLERI *Bibliotheca*, p. 389. legimus: IO. LASICIVM errores nouorum Samasathenianorum et Arianorum lingua Polonica erudite et solide confutasse, et de eadem controuersia ad ANDR. DVDITHIVM latine scripsisse.

*Secunda fol.* 515. IOANNI WOLPHIO, *Tigurinae ecclesiae ministro*, data *Cracouiae* ipso die Pentecostes (29. *Maii*) a. 1569. Tractatur in eadem quaestio: *Vbi vera et Catholica Iesu Christi Ecclesia inuenienda sit. Vid. Obseru. Hal.* l. c. §. 26. p. 372. Prodiit illa cum *Wolphii* et *Bezae* epistolis a. 1610. peculiari scripto, cui plenus titulus est: *Quaestio, vbi vera et catholica Iesu Christi ecclesia inuenienda sit. Abs* ANDREA DVDITHIO *oratore caesareo olim* IOANNI WOLPHIO, et THEODORO BEZAE *per epistolam proposita: et horum ad eandem solidissimae responsiones. Quarum illa de nouo prodit; hae emendatiores: studio* IO. RVDOLPHI LAVATERI, TIGVRINI. *Hanouiae, typis* THOMAE VILLERIANI: *impensis vero* CONRADI BIERMANNI *et consort.* MDCX. 8. pagg. 110. DVDITHII epistola, quae, post dedicationem LAVATERI, CONRADO BIERMANNO scriptam, primum locum occupat, responsoria est ad WOLPHII epistolam, per CHRISTOPH. THRECIVM DVDITHIO exhibitam, qua ille hunc, ad coetum reformatum inuitauit, illiusque de eodem iudicium sibi expetiit. DVDITHIVS WOLPHIO mentem suam ancipitem declarat, significatque acerbissimas controuersias, spiritumque

que persequutionis, quae hactenus in coetibus a papatu separatis animaduertisset, sibi maximo adhuc esse impedimento, quo minus ad eorum communionem accedere possit. Hanc excipit WOLPHII responsio, scripta *Tiguri* d. 26. Aug. 1570. et tandem BEZAE litterae ad DVDITHIVM, Geneuae, d. 18. Iunii 1570. de eodem argumento concinnatae. Hae BEZAE litterae in huius *epistolis theol. Geneuae* 1573. 8. editis, primum locum p. 1 - 23, occupant, in quibus titubantem DVDITHII animum confirmare, ac maxime heluecticam confessionem commendare studet; praeterea vero suum coetum, de suppliciis, a SERVETO et VALENT. GENTILE sumtis, et de hospitalitate OCHINO et IO. A LASCO denegata, quantum potest, excusat, magistratumque in hisce omnibus iusta edixisse iudicia defendit. Quod isto iam tempore, DVDITHII ad Antitrinitariorum partes propensio BEZAE non ignota fuerit, tota comprobat epistola, cui l. c. p. 23. ita finem facit: "Haec habui — — quae responderem, non in DVDITHIVM, cuius ego pietatem, eruditionem, elegantissimum ingenium, amo et obseruo; sed ad DVDITHIVM, cuius solitudine adficior: quem ab illis perditis paulatim in auia abduci — — noctes iam et dies non sine magno moerore cogito. — — — Dominus te totamque familiam ab omni malo, ac praesertim a daemoniis meridianis istic obambulantibus custodiat." Vterque et WOLPHIVS et BEZA ad obiectiones DVDITHII respondent, et obstacula, quae ipsius accessum ad reformatam ecclesiam adhuc remorabantur, remouere allaborant, quo tamen studio frustrati sunt. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. p. 98 - 108. Cum vero LAVATERVS, quae ad BEZAE epistolam DVDITHIVS regessit, operi huic

V non

non adiunxerit, hoc vtique imperfectum cenſendum eſt. Ita inter alia ad WOLPHIVM: "Illud abs te peto, vt ſi poſthac ad me ſcribere voles, ambitioſos illos Epiſcopatus titulos abiicias. Si neſcis, illud ego nomen et functionem cum veſte ſimul exui, et omni me dignitate ſponte abdicaui, vt in otio et litteris viuerem. — — — Magno equidem et forti animo extra Romanae eccleſiae caſtra pedem extuli. Sed illud diſſimulare nolo, ex omnibus aduerſis rebus, nihil mihi ita acerbum accidere poſſe, quod eum dolorem aequare poſſit, quem capere ſoleo, quoties animo repeto, quam multae, quam pugnaces, quam aduerſariae ſint tum alibi, tum in hoc regno, eccleſiae, quae tamen reformatae vocari et haberi volunt. — — Niſi Deus lucem a tenebris diſcriminet, in eam perturbationem confuſionemque religio adducetur, vt non ſit, cur quispiam bonus vir, viuere amplius velit. Quae enim vita ſine certo Dei cultu iucunda eſſe queat? Vbi quaeſo eſt vinculum illud, quod a Seruatore noſtro relictum Teſtamento, animos conſociare et firmiſſimo nexu continere debuit? Vbi illa eſt eccleſiae vnitas, quae tanquam acies ordinata, inferorum portas et haereticorum regnum euertere poſſit? — — — Deum immortalem, in quo tandem religionis capite congruunt inter ſe eccleſiae, quae Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem ſi percurras omnia, nihil propemodum reperias, ab vno affirmari, quod alter ſtatim non impium eſſe clamitet. — — Quum omnia diligenter perpendo, nulla fere in re Pontificis aduerſarios ſecum conuenire, quam in oppugnando Pontificatu animaduerto. — — — Quaeſo a te, *Clariſſime vir*, poſt SERVETVM exuſtum, poſt GENTILEM capitis ſup-

ſupplicio affectum, poſt multos alios ob religionem trucidatos, poſt OCHINVM, veſtra iſta vrbe indicta cauſſa, hyeme acri, depreſſa iam aetate ſenem, cum vxore et liberis eiectum, poſt LASCVM item, cum ſua illa peregrinorum eccleſia, quam in Anglia collegerat, maximis frigoribus, ab Euangelicis, apud quos hoſpitium quaerebat, cum hyems deſaeuiret, immaniter, omnibus fere, ad quas appellebat, ciuitatibus excluſum aut pulſum: poſt alia huius generis multa, quae ſane a chriſtiana charitate aliena videntur eſſe, obſecro te, qua fronte poſthac Pontificiis tyrannidem obiiciemus? quomodo illius crudelitati inſultabimus? Vſurpabimusne illud amplius, *ſinite eos creſcere, vsque ad tempus meſſis?* Dicemusne *arma noſtra ſpiritualia, non carnalia eſſe?* Iactabimusne amplius, fidem cogi non oportere, libertatem conſcientiis permittendam eſſe. — — Immodice eloquentiam, quae plane nulla eſt, in orationibus meis delaudas, me vero earum iam et pudet, et profecto etiam poenitet. — — Vale, et meis verbis BVLLINGERVM, RVDOLPHVM GVALTERVM, LAVATERVM, atque alios ſymmiſtas tuos, viros doctiſſimos et eloquentiſſimos officioſe ſaluta, et haec omnia in optimam partem accipe, meque mutuo ama."

*Tertia*, *fol.* 516. THEODORO BEZAE, *Geneuenſis eccleſiae primario miniſtro*, ſcripta *Cracouiae. Calend. Auguſti* 1570. in qua diſputatur, an eccleſiae nomen ſoli reformatae conueniat. Prodiit haec *Heidelbergae* a. 1593. 8. eſtque eadem, cum illa, quam SANDIVS l. c. p. 63. et iterum tanquam ab hac diuerſam p. 64. ita allegat: *Epiſtola, de haereticis non perſequendis et capitali ſupplicio afficiendis, Chriſtlingae* 1584. 8. Prodiit enim haec DVDITHII reſponſio, ad BEZAE epi-

ſtolam datam 18. Iunii paulo ante memoratam, cum MINI CELSI SENENSIS libro, *de haereticis capitali ſupplicio non adficiendis.* Epiſtolae huius haec ſunt palmaria momenta: "Varie affectus ſum litteris tuis, quas mihi VENTVRINVS veſter attulit: in quibus ipſis multa ſunt abs te, praeclare ſcripta, non pauca etiam paulo vehementius in me contorta ſpicula: quae tamen ita iacis, vt videri velis, alio direxiſſe. Patere obſecro, vt mihi bona tua venia liceat fuſius, eadem, qua tu in me vſus es libertate, reſpondere. Neque exiſtimes tamen contentionis ſtudio incenſum me tibi moleſtiam afferre, ſed diſcendi cupiditate inflammatum, laborem docendi imponere voluiſſe. Si igitur tu non grauate ſuſcipies, vt confido, facies certe officio tuo conuenienter, quod te admonet, vt omnia fias omnibus, et cuilibet petenti fidei tuae rationem reddas, neque magna tua humanitate et bonitate, quicquam alienum committes. Sed rogo te, aequo animo mihi, vt animum accommodes, et in reſponſione omnem orationis acerbitatem remoueas. Pigmenta illa, quae in VESTPHALVM, in HESHVSIVM, in CASTELLIONEM et alios profudiſti, cum ſuis myrotheciis nunc miſſa facito. Non recuſo tamen interim, vt errorem mihi demonſtres, quin etiam vehementer peto, ſed placidum atque amicum te mihi ducem praebe: ne ſi aſperius mecum egeris, et pugnis atque adeo calcibus, vt vos ſoletis, in viam me retrahere velis, ſuſpicionem mihi commoueas, non eſſe te boni illius paſtoris alumnum, qui aberrantem a grege ouiculam, ſollicito animo quaeſitam abiit, inuentam in humeros ſuos amantiſſime ſuſtulit, leniſſime reportatam ad caeteras aggregauit. —— Sed doleo, me nondum ex hac medi-

medicina, quam mihi ſtudioſe concinnaſti, eum fructum percipere, quem tu promittis, et accepturum me eſſe confidis. Nondum enim doloris et dubitationis fibras omnes euulſiſti, altius nimirum radices hoc malum egit, quam tu putas. Quod equidem confiteri dubitarem, ſi ſimulate potius, quam vere agere vellem." In ſequentibus haud pauca adfert, de certaminibus in eccleſiis, quae papatui valedixerunt, agitatis; quibus propoſitis inquit: "Haec cum ita ſint, adhuc ne inepte me facere dices, qui nondum oculis eccleſiam cernam? Quae de STANCHARO ſubiicis, intelligo. At ille mutusne tibi videtur? Quomodo veſtrates theologos excipit? Certe, ſi eius ſcripta legere potuiſti, cum *Arianis*, *Samoſatenianis*, *Ebionitis* et neſcio quibus non haereticis, iam olim, vt tu ſcribis, damnatis, vos conſociat. Non deſunt, qui hanc illius de vobis ſententiam ſuis ſuffragiis comprobent, viri ſummi. — — Tu tua, ille ſua acriter defenditis, ſcripturarum et veterum ſcriptorum teſtimonia, vterque pro ſe vſurpabit. Quis erit inter te et illum iudex? et vt ſit aliquis, neuter veſtrum patietur, tantum enim quisque ſibi ſumit, vt ne aequalem quidem, nedum ſuperiorem ferre queat. Idem aliis quoque vſu venire videmus. Hic ego ſimplici ingenio et non magna doctrina praeditus, in cuius partes concedam? Vterque mihi ſuſpectus eſt, diiudicare tamen per tarditatem meam nequeo tu, an ille, magis veritati conſentanea ſcribat? — — An ita clam eſt, quo auctore atque impulſore SERVETVS crematus ſit, vt de eo adhuc ambigamus? Sed non ero in hac parte longior, ne tibi bilem moueam, qui hoc factum tantis viribus, tanta eloquentia libro edito defendere conatus es. — — Ac,

quod multo minus ferendum est, optare videris; vt *Poloni* et *Transyluani*, pulcherrimum scilicet, ac Christiano nomine dignissimum hoc vestrum institutum imitentur: quod Deus omen auertat! Non erunt, mihi crede, ita immites, neque ita impudentes, vt hoc sibi faciendum existiment. — — — Haec habui, *doctissime* BEZA, quae ad longam tuam epistolam respondenti, in mentem venerunt, vt intelligeres, non ita leues esse rationes, quibus adducor, vt amplius etiam mihi quaerendam existimem, ad quam potissimum ecclesiam me applicem. Ac sane ingenue tibi affirmo, me nondum constitutum habere, quid consilii capere debeam. Deum tantum supplex oro, vt mihi viam commonstret, neque a via certa abduci patiatur." *Vid.* SCHWARZIVS l. c. p. 99. 104. et 141.

*Quarta*, *fol.* 521. PETRO MELIO, *Pastori Debrecinensi in Hungaria*, scripta *Cracouiae* d. 30. Ianuarii 1571.

*Quinta*, *fol.* 522. PETRO MELIO, *Praeconi Deobreocheoniensi*, *Cracou.* d. 22. Septembr. 1571. Argumentum paulo ante p. 282. exhibuimus.

*Sexta*, *fol.* 523. THEODORO BEZAE VEZELIO, *Geneuensis ecclesiae primario Ecclesiasti.* Epistolae huius finis desideratur, proinde quoque locus et tempus scriptionis; nisi quod in genere DVDITHIVS tempus his verbis significauerit: Annus est et eo amplius, quum ad te scripsi. Inde colligimus a. 1571. vel 72. non autem 1569. quod *Schwarzius* l. c. p. 163. putauit, nec post annum 1582. quod *Sandius* perhibet, scriptam esse. Eadem haec est epistola, quam SANDIVS l. c. p. 63. ita recenset: *Ep. ad* THEOD. BEZAM, *Vezelium, in qua Confessionem fidei suae de Deo P. F. et Sp. S. proponit,*

*ponit, et Athanasii symbolum castigat.* Hanc in Biblioth. FF. PP. esse mutilatam et adulteratam SCHWARZIVS monstrauit, l. c. p. 62. et p. 160. Haec fortassis notatur epistola per statutum consessus Raszcouiensis, quo STAN. LVBIENIECIO iniungebatur, vt epistolam DVDITHII ex autographo descriptam, IONAE SCHLICHTINGIO traderet, vna cum ep. THEOD. BEZAE ad illum scripta. Dubitanti, an DVDITHIVS vmquam fuerit Antitrinitarius, epistola haec sola omne dubium eximere potest.

*Septima, fol.* 530. IOSIAE SIMLERO et IOANNI WOLPHIO, *Theologis Tigurinis Cracouiae* d. 7. mensis Iulii 1572. *Vid. Schwarzius*, §. 44. p. 103. et BAVMGARTENII *Recensio libb. memorab.* T. VI. p. 115. Est modesta responsio ad WOLPHII epistolam VII. Kal. Septemb. 1570. datam, cui pro humanitate gratias agit, et aduersus persequutores dissidentium in religione pugnat.

*Octaua, fol.* 532. PETRO CAROLINO *Concionatori Varadiensi, Cracouiae Calend. Sextilis* 1572. Est haec responsoria ad CAROLINI epistolam datam 1572. 12. *Kal. Quinctil.* qua iram et animum *Dudithii* erga PET. MELIVM exacerbatum mitigare studuit, sed irrito successu. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. p. 119. Inter alia ita in hac epistola DVDITHIVS inquit: "Ego certe eo sum animo, vt cupiam quidem summam in ecclesia de rebus omnibus animorum consensionem esse, sed quoniam id vt eueniat, ne sperandum quidem est, cum haec semper ecclesiae fortuna fuerit, non tamen propterea inimicitias cum quoquam exercere velim, quod ex epistola ad SIMLERVM et WOLPHIVM intelliges, quam huic adiunxi, vt videas, quem animum geram, et quid in hoc *de Trinitate, philosophico potius, quam*

*Christiano dogmate* ſequar. Eundem erga me tuum, qui meus in te eſt, animum eſſe, inprimis cupio. Ac non in me ſolum, ſed in omnes te ita affectum eſſe, humanitatis ac pietatis tuae fuerit. Ac non propterea quendam odiſſe velis, quod adduci non poteſt, vt tecum vnum in Trinitate, atque eundem in vnitate, trinum eſſe Deum confiteatur: ne tibi tam iniquum in conſcientias alienas dominatum vſurpes. — — — Non potes ignorare — — tricipitem aut tergeminum hunc Deum, quem ignorarunt Apoſtoli et tota illa orthodoxa eccleſia, in Monachorum et qui e philoſophicis gymnaſiis in Chriſtianam ſcholam inundarunt, ſacrificorum officinis fuiſſe fabricatum, quem tam vario, tam diſſimili habitu ornatum in ſcenam producunt, vt vel ex ipſo adſpectu fucus pateat. etc."

13. *Epiſtola ad* CHRISTOPH. THRECIVM, *ſcholae Cracovienſis rectorem*, ſine loci ac temporis indice, circiter tamen 1571. et quidem *Cracouiae* ſcripta videtur, in *epp. praeſtantium ac eruditorum virorum Epp. Eccleſiaſt. et theologg. quae alias Remonſtrantium epiſtolae* adpellantur, *Amſtel.* 1684. et 1704. fol. N. XVI. p. 32. edita. Ita vero DVDITHIVS ad *Threcium*: "Abalienaſti a me BEZAE, SIMLERI, et aliorum animos; quorum tamen amicitiam mihi ſtudioſe conciliaueras. — — Nunquam quod ſciam te offendi; data opera abſtinui a tua conſuetudine — — eam ob cauſſam, quod viderem, te omnes odiſſe, qui non idem, quod tu, de religione et ſentiunt et loquuntur. Nunquam te odi, neque amicus eſſe deſii — — obſecro te, vt me ſcriptis tuis et ſermonibus lacerare deſinas, hominem de te nihil mali meritum.". *Vid.* SCHWARZIVS l. c. §. 47. p. 109.

14.

14. ANDREAE DVDITHII, *viri clarissimi, de Cometarum significatione commentariolus, in quo non minus eleganter, quam docte et vere, Mathematicorum quorundam, in ea re vanitas refutatur. Addidimus* THOMAE ERASTI *eadem de re sententiam. Basileae, ex officina* PETRI PERNAE a. 1579. 4. pagg. 68. Hanc omnium primam editionem, Io. MICH. BRVTVS promouit, cum epiſtola dedicatoria NICOLAO MIELECZKIO, Palatino Cracouienſi ſcripta. Prodidit quidem SCHWARZIVS l. c. p. 140. tractatum hunc eodem anno 1579. a MICH. BRVTO *Cracouiae* eſſe editum, ſed hanc editionem vllibi exſtare negat VOGTIVS l. c. p. 247. *Secunda* editio inſerta eſt collectioni ſcriptorum de eodem argumento, quae haec in fronte habet verba: *De Cometis diſſertationes nouae Clariſſ. Virorum* THOM. ERASTI, ANDR. DVDITHII, MARC. SQVARCIALVPI, SYMON. GRYNAEI. *Ex officina* LEONARDI OSTENII, *ſumptibus* PETRI PERNAE, M.D.LXXX. 4. pagg. 196. et 88. Hanc in tres partes diuiſam plene recenſuit FREYTAGIVS in *Adparatu litterario*, T. III. p. 764. ſeqq. In eius *prima parte*, Num. II. occurrit: ANDREAE DVDITH. *Caeſaris Conſiliarii*, ad THOM. ERASTVM, *philoſophum et medicum clariſſimum, Profeſſorem in Academia Heidelbergenſi epiſtola, ſcripta ex ſeceſſu Paſchouiano Kal. Febr.* 1579. In *ſecunda parte* loco IV. exhibetur: ANDREAE DVDITHII, ad IOANNEM CRATONEM, *de Cometarum ſignificatione tractatus, ex ſolitudine Paſcouiana apud Morauos prid. Kal. Mart.* 1578. *Tertiam* editionem protulit ELIAS MAIOR, *Wratislauiae* 1619. 8. *Quarta* prodiit in lucem *Ienae* 1665. 4. et *quinta* denique *Vltraiecti* 1665. 4. cui IO. GE. GRAEVII de eodem argumento tractatio adtexta eſt.

Scripsit DVDITHIVS commentariolum, a Io. CRATONE inuitatus occasione fulgentis a. 1577. stellae crinitae, et epistolam ad THOM. ERASTVM, Medicum aetatis suae celeberrimum, atque huic simul MARC. SQVARCIALVPI iudicium de cometis transmisit. Complectitur eadem haud pauca praeclara et solida aduersus philosophiam sectariam. Negat DVDITHIVS cometas caussas esse productiuas malorum, eosque lumine suo, vel aliis affectionibus singularia fata significare. Ob hanc sententiam omnibus nostra aetate probatam, a GISBERTO VOETIO, *in Exercitat. de prognosticis cometarum* immerito male notatur; qui quoque commentariolum istum falso QVIR. REVTERO tribuit, quamuis iste eiusdem defensionem susceperit. *Vid.* THOM. CRENIVS l. c. P. II. p. 142. In epistola ad THADD. HAGECIVM *ab Haick*, *Wratisl.* Calend. Febr. 1581. scripta DVDITHIVS huic grates persoluit, quod ex peripateticorum placitis conceptam de Cometis sententiam, si non penitus animo euellerit, ita tamen labefactarit, vt vix amplius consistat, his verbis: "Si firma sunt, vt esse videntur, quae tu magna diligentia atque artificio de duorum Cometarum, qui hoc triennio conspecti sunt, locis sublimioribus, quam vbi luna fertur, disseris, atque adeo demonstras, quid iam obsecro caussae superest, cur accensos ex fumosis halitibus ignes esse, ARISTOTELEM sequuti contendamus? Quid enim? Etiam ne lunae atque aliorum planetarum orbes transuolare exhalationes illas nugabimur? etc." Praemissa haec est epistola scripto, quod *Gorlicii* in lucem prodiit, hoc titulo: THADDAEI HAGECII *ab Hayck, Apodixis physica et mathematica de cometis tum in genere, tum inprimis de eo, qui proxime elapso anno*

*LXXX.*

*LXXX. in confinio fere Mercurii et Veneris effulſit, et plus minus LXXVI. dies durauit. Ad Generoſum et Ampliſſimum virum Dn.* Andream Dvdithivm, *Caeſaris Conſiliarium.* 4. *Vid.* infra tit. *Squarcialupus.* Thom. Erastvs in epiſtola *Petro Monauio* 4. Sept. 1579. ſcripta et inſerta illius *Diſputationibus et epiſtolis medicinalibus*, *Tiguri* 1595. 4. p. 13. b. haec ſcribit: Quae deſideras in Commentariolo de cometarum ſignificationibus, reperies fuſe expoſita in diſputatione integra, de cometarum ortu, natura, cauſſis, efficientia. —— Coegit me fere vir maximus, Andr. Dvdithivs: ac fuit *Ariſtoteles* in cauſſa iuſta et defendendus et declarandus.

15. *Notae duplices in* Favsti Socini *diſputationem de Baptiſmo aquae;* quae vna cum libro *Socini* impreſſae ſunt *Racouiae* a. 1613. 8. *Vid.* ſub F. Socino. Inſertae quoque *Bibliothecae* FF. PP. T. I. p. 738-748. *A Dudithio* concinnatas eas eſſe, negat Schwarzivs l. c. p. 123. et a *Reutero* profectas eſſe adfirmat, prouocans ad teſtimonium Melch. Adami, et ad ocularem adſpectum. Dvdithivm vero illarum eſſe auctorem Socinvs ipſe omnium optime ſcire potuit, qui in reſponſione ad easdem Dvdithivm literis initialibus adpellat. Fortaſſis tamen notae poſteriores Revtervm, auctorem habent.

16. *Ep. ad* Reinervm Reineccivm, ſcripta *Wratisl.* d. 12. Septembr. a. 1581. edita in *libro epiſtolarum hiſtoricarum* ad Revnervm Reineccivm, per annos XVI. ſcriptarum. *Helmſtadii* 1583. fol. p. 35. b. De eius argumento *vid.* Schwarzivs l. c. p. 85. Dvdithii epiſtola ad Io. Metellvm *Sequanum*, ſcripta *Wratislauia*

*lauia* d. 8. Maii 1580. inserta est Offenbacensi collectioni QVIR. REVTERI. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. p. 68.

17. *Ep. propemptica, in* REVTERI *libellum, amicorum memoriae consecratum, adscripta* die 13. Iunii 1582. Exhibetur illa in MELCH. ADAMI *vita* REVTERI, *in vit. germ. Theol.* p. 391.

18. *Trecentas circiter autographas* DVDITHII *epistolas Wratislauiae in Bibliotheca Elisabethana* adhuc seruari LAVTERBACHIVS l. c. p. 240. testis oculatus tradidit. STIEFFIVS vero non multum eas centenarium numerum superare testatur. Continentur istae in thesauro epistolico MSC. qui in eadem Bibliotheca decem Voluminibus seruatur, quorum duo DVDITHII epistolas exhibent.

19. Ab his DVDITHII epistolis, ad Silesiacos et Wratislauienses maxima ex parte et *Wratislauiae*, teste STIEFFIO scriptis, diuersae sine dubio sunt, quarum LINGELSHEMIVS in epistola ad SCIP. GENTILEM, *Altorphium Heidelberga* d. 19. Februarii a. 1607. scripta, apud CRENIVM l. c. P. II. p. 153. mentionem fecit, his verbis: "Epistolas, quas habet PRAETORIVS, a DVDITHIO innumeras, perire nolim. — — Ego satis grandem earum numerum obtinui, et editionem molior, si ipse (PRAETORIVS) aliique iuuent. Solitus est enim diuinus ille vir per epistolas tractare quaestiones, consideratione valde dignas, et ea ratione scribendi vsus est, quam ego rectissimam iudico, et iuuentuti ad imitationem proponendam."

20. *Epistola ad* SAL. GESNERVM, *S. Th. Doct. et Prof. in Acad. Witteb.* scripta Breslae a. 1588. d. 20. Iulii et praemissa huius *Commentario* in M. T. CICERONIS librum *de Fato*. Inchoauit GESNERVS, cum Paedagogus libe-

liberorum DVDITHII per aliquod tempus circa a. 1583. et 84. Wratislauiae esset, commentarium hunc, ad quem publicandum a DVDITHIO quoque saepius excitatus est. Non tamen illum DVDITHIO dicauit, quod *Celeb.* SCHWARZIVS l. c. p. 89. putauit, cum quinquennio post illius obitum a. 1594. *Witebergae* lucem adspexerit Commentarius GESNERI, adscriptusque ab eodem sit *Nobili et Magnifico Dn.* ABRAHAMO IENKWICIO *a Goldschmieden, - - - inclytae Reipubl. Wratislauiensis Capitaneo.* In hac ipsa dedicatione, scripta *Witeb. Kal. Iunii* 1594. post longam tractationem de praestantia et difficultate argumenti in libro expositi, rationes exponit, cur hunc IENKWICIO dicauerit, insimulque DVDITHII mentionem facit, his verbis: "Si cui gratiam debeo, vestrae me illam, et quidem immortalem, Reipublicae debere et agnosco et ingenue fateor. Siquidem in vestra vrbe et schola a puero educatus et ad litterarum studia assuefactus sum. Accedit deinde illud, quod hic libellus intra moenia vestra natus est. Cuius ergo patrocinio tutior in publicum exiret, quam quorum auspiciis lucem aspexit. Sed maxime omnium me mouit, quod non dubito, memoriam illustris viri, *Domini* DVDITHII, Magnificentiae vestrae et bene noti et sincere amici, non iniucundam fore. Delectat enim bonos viros veterum amicorum honorifica recordatio. Eam vero renouare commodius non potui, quam si hoc ipsum, quod *Domini* DVDITHII erat, illo haud inuito Magnificentiae vestrae traderem, eamque beneuolentiam et amorem, quo ille viuus me complectebatur, mihi meoque libello de Magnificentia vestra polliceor."

Epistolam hanc dedicatoriam, p. C. excipit DVDITHII

DITHII epiſtola, ad GESNERVM, quae ita incipit: "Excellentiſſime et chariſſime amice, tanquam fili S. P. Inſtitueram ad te ſcribere eo ipſo tempore, cum litteras tuas mihi frater tuus reddidit. Mirabar enim, quid eſſet, quod tam diu ſileres: et ſane dubitabam, ne quid aduerſi tibi accidiſſet. Quare hoc quoque nomine pergrata mihi tua epiſtola accidit, quae me hac ſolicitudine liberauit. Non miror commentarium tuum creſcere. Quid enim ad eam tractationem requiri poteſt, quod tibi non ſuppetat abunde? etc."

21. *Epiſtola ad* IVSTVM LIPSIVM. *Wratisl.* 17. *Martii* 1584. Legitur haec in I. LIPSII *Epp. ſelectis, Cent. I. Francof.* 1590. N. XCI. p. 149. et inter I. LIPSII *epiſtolarum, quae in centuriis non exſtant, decades XVIII. Harderuici* 1621. 8. et in Decadibus VI. epiſtolarum LIPSII praetermiſſarum, *Offenbachii* 1610. 8. Reſponſio *Lipſii* reperitur in huius Epp. ſelect. Cent. I. ep. XCII. p. 151. *Lipſius*, qui non facile alios laudabat, cum encomio DVDITHII mentionem fecit Cent. I. *ep.* 54. ad ABRAH. ORTELIVM *ep.* 75. ad IOACH. CAMERARIVM Cent. II. *ep.* 82. ad *Monauium.* Alia *Dudithii* ad eundem epiſtola ſcripta *Wratisl. Calend. Martii* 1587. in PETRI BVRMANNI *ſylloge epiſtolarum a viris illuſtribus ſcriptarum*, T. I. ep. CCXIV. p. 215. ſeqq. reperitur.

22. *Epiſtola ad* SIM. SIMONIVM, ſcripta *Wratislauia* 12. Iul. 1585. Fragmentum eius inſertum eſt in SIMONII SIMONIO *Supplice ad incomparabilem virum etc.* fol. M. 3.

23. *Epiſtolae tres ad* IOANNEM PRAETORIVM, *Ioachimicum*, *ſcriptae*, prior *Brzeznicia* 1. *Febr.* 1572. altera *Gorca* 29. *Dec.* 1585. tertia *Bresla* 21. *Febr.* 1589. (propridie diei emortualis DVDITHII.) *Editae ſunt a*

SIGISM.

SIGISM. IAC. APINO, in *Vitis Professorum Philos. in Acad. Altorf.* p. 25. seqq. *Vid.* SCHWARZIVS l. c. p. 94. et 143.

24. *Epistolae XXXVIII. medicinales, partim ex Pascouiano, partim Wratislauia; ad* WENCESL. RAPHANVM *XIX. ad* LAVR. SCHOLZIVM *I. dat.* 1577. 21. *Nouemb. ad* PETR. MONAVIVM *XVIII. scriptae.* Leguntur hae insertae operi LAVRENTII SCHOLZII a ROSENAV, sub hoc titulo diuulgato: *Epistolarum, philosophicarum, medicinalium ac Chymicarum, a summis nostrae aetatis Philosophis ac Medicis exaratarum volumen. Francof.* 1598. *fol.* et *Hanouiae* 1610. *fol.* p. 20-67. Ex his epistolis abunde colligitur, quanto DVDITHIVS desiderio accensus fuerit, in Physicis ac Medica scientia vlteriores capere profectus.

25. Plures DVDITHIVM ad F. SOCINVM scripsisse litteras, easque lingua Italica, patet, ex huius ad illum epistolis IV. ex Italico in latinum conuersis a *M. R. H.* (qui MARTINVS RVARVS HOLSATVS est) *Racouiae, ex officina Sternaciana*, a. 1635. 8. pl. 5. de quo opere sub F. SOCINO, et ex SANDII relatione p. 64. qui quoque notauit plures ad varios Msptas exstitisse. (*)

26.

(*) Virorum celebrium ad DVDITHIVM epistolae, exstant in collectionibus et thesauris huius generis epistolicis, hinc et inde insertis. Ita e. g. Plures MANVTII ad DVDITHIVM scriptae, in illius epp. L. IV. et VI. reperiuntur. In IO. MICH. BRVTI, *selectarum Epistolarum libris quinque* Cracouiae, Typis *Andreae Petricouii*, a. 1583. 8. editis, L. IV. fol. 140-166. octo longiores ad A. DVDITHIVM epistolae inueniuntur, huius laudibus plenae. BRVTVM hunc Regis Poloniae historicum fuisse, ex oda fol. 188. patet, quam ad eundem PAVLVS MELISSVS, *Comes Palat. et Eq. ciuis Romanus* Noribergae, mense Septembri a. 1581. scripsit. Praedicat BRVTVS l. c. in epistola ad GASPAREM BECHESIVM, *Cracou.* 18. Kal. Febr. 1578. scripta, p. 78. DVDITHIVM, qui ipsi in describendis rebus Pannonicis adiumenti haud parum praestiterit his verbis:

» *Viris*

26. FRANCISCI VICOMERCATI *commentarii in meteorologica* ARISTOTELIS. *Parif.* 1556. *fol.* et *Venet.* 1565. Concinnauit VICOMERCATVS, DVDITHII, Lutetiis operam nauantis litteris, praeceptor in ſtudio philoſophico, hoſce commentarios, quos DVDITHIVS ab auctore rogatus in ſtylo et dicendi elegantia emendauit. Quae vero opera tanti non aeſtimanda, vt DVDITHIO potius, quam VICOMERCATO opus hoc ſit tribuendum; imo potius hoc ex ſcriptorum *Dudithii* catalogo expungendum eſſe, recte iudicat SCHWARZIVS l. c. p. 137.

27. *Poëmata* a SANDIO *aliisque* DVDITHIO tribuuntur, et T. II. *Deliciarum poëtarum germaniae* inſerta traduntur. Sed SCHWARZIO diligentiſſimo vitae et ſcriptorum DVDITHII ſcrutatori, nihil ab ipſo ligata oratione diuulgatum videre contigit, praeter duo epigrammata, quorum *alterum* ANGELO CANINIO, gratus diſcipulus ſcripſit, et huius libro *de graecis Grammati-*

" *Vnus mihi vir idem ampliſſimus et cupidus inprimis patriae illuſtrandae multa* A. DVDITHIVS *ſubminiſtrauit.*" Sunt et nonnullae epiſtolae ad IO. CRATONEM a *Craffthheim*, ad MARTINVM BERSEVICAEVM *Eq.* ad IAC. MONAVIVM, PAVLVM GIVLANVM, aliosque in hoc opere a BRVTO ſcriptae, in quibus frequens DVDITHII occurrit mentio. Inter amicos, cum quibus *Dudithius* commercium epiſtolicum habuit, NICASIVS quoque ELLEBODIVS fuit, qui in epiſtola *Patauii* 20. April. 1571. ita ad *Adrianum van der Myle*, Venetiis commorantem ſcripſit: *Duditius* abhinc aliquot menſes me rogarat, vt curarem ſibi deſcribenda *Diophanti* ἀριθμητικα. Sumſi a *Pinello Diophantum* et *Duditio* exſcribendum curaui, ſimulans tamen mihi deſcribi, quoniam DVDITII nomen vt ſcis, odioſum eſt: duxit enim vxorem, cum eſſet Epiſcopus etc. *Vid. Illuſtr. et Clar. Virorum Epp. etc. Lugd. Bat.* 1617. 8. p. 561 In NIC. REVSNERI *emblematibus etc.* (Francof. 1581.) Emblema XXII. libri I. p. 30. ſcriptum eſt ad *Andr. Duditium*, Senatorem et oratorem caeſareum. In Operibus HIER. ZANCHII T. VIII fol. 131. huius ad DVDITHIVM exſtat epiſtola, de vera eccleſia, ſcripta ſine anni et diei ſignificatione; et f. 396. illius ad eundem ſcripta *Heidelbergae* d. 11. Septbr 1574. qua ZANCHIVS gaudium ſuum declarat, certior factus a THRECIO, DVDITHIVM de Chriſti perſona orthodoxe ſentire.

*maticis*, praefixum legitur; *alterum* coniugi suae morti vicinus reliquit, quae ipsa in *delic. poët. german.* frustra quaeruntur. Quando SANDIVS l. c. de poëmatibus DVDITHII narrat, eadem permissa esse in *Indice Hispanico expurgatorio;* idem index monstrat, tantum innui NATHAN. CHYTRAEI *poëmata in* DVDITHIVM, quae *Tom. II. delic. poët. germ.* inserta sunt.

28. *Ex epistola* 18. MANVTII L. IV. colligitur, quod DVDITHIVS *illustrationes in librum* DEMETRII *de interpretatione* concinnare inchoauerit, mentem vero postea mutauerit. Eundem LONGINI opus *de sublimi*, in latinum sermonem e graeco transtulisse, STIEFFIVS p. 62. notauit; qui vero liber nunquam lucem vidit. Plures quoque illum versiones tentasse, REVTERVS, BVDDEVS, et SCHWARZIVS obseruarunt, quarum vero nulla typis exscripta. Meditatum quoque esse opus aduersus *Atheismum*, ex *F. Socini* epistola 2. ad eundem, ex allegata versione et editione *Ruari* p. 20. colligimus. Ita vero de eodem tum temporis nondum absoluto in antecessum iudicat SOCINVS: "Quo opere, quod contra Atheismum meditaris, procul dubio vere eum te esse, qui es, palam facies, hoc est, virum, rara doctrina atque ingenio singulari praeditum, si argumentis ex Philosophia depromptis aduersarios constrinxeris, et ad id, quod asseris, confitendum adegeris, praesertim quod ad praemia et poenas attinet. Deus tibi id fortunet: ego quidem tanto illius desiderio, non modo teneor, sed paene dicam, torqueor, vt nullius rei umquam magis." Sed in epistola 3. ad eundem d. IV. Id. *Iunii* a. 1582. scripta, l. c. p. 49. vehementer dolet, cogitationem stringendi calamum contra Atheismum in DVDITHIO refrixisse.

29. Allegatio SANDII p. 63. his verbis: *Epiſtolae eius quaedam inter* MANVTII, *ni fallor (ſcribitur in Bibliotheca Gesneriana) epiſtolas leguntur;* fundamento deſtituta videtur. Exſcripta illa eſt ex CASP. FRISII *Epit. Biblioth. Gesnerianae*, p. 43. Antiquiſſimam equidem epiſtolarum MANVTII editionem non vidimus. In iis, quae illam exceperunt, nullae *Dudithii* ad *Manutium* ſcriptae occurrunt; imo in epiſtolis ad DVDITHIVM datis, et MANVTII epiſtolis inſertis, nomen adeo DVDITHII exſcriptum non reperitur, quod in editione, quae prodiit *Colon.* apud PETR. HORST 1581. 8. iam obſeruauimus. In editione a IO. GOTTL. KRAVSENIO, *Lipſ.* 1720. 8. in lucem emiſſa, DVDITHII nomen ex antiquiſſimis editionibus reſtitutum eſt.

## NICOLAVS DüMLERVS.

Norimbergenſis, honeſtis, at mediocri ſorte parentibus, opificibus nimirum, ſub finem ſaec. XVI. natus, in Academiam patriam Altorphinam 1608. conceſſit. A *Ioach. Peuſchelio*, *Ge. Richtero* et *Mart. Ruaro* a veritate abductus, ipſe poſtea ſuſceptum errorem tuitus, nec in rectam viam ſe reduci paſſus eſt; imo inter complices Socinianismi Altorphini, promouendo huic inſignem operam nauauit. Hoc palam facto, docentibus meliora acerrime in diſputando reſtitit, atque ex Academia patriaque contra fidem datam aufugit, quae ſingulatim *Zeltnerus* l. c. p. 203. ſeqq. expoſuit. Quanto eum *Ruarus* amore amplexus fuerit, carmen loquitur, ab hoc in illius laudem concinnatum l. c. p. 205. quem etiam in epiſtolis ſuis tenero adfectu ſemper proſequutus eſt. Fata *Dümleri* poſt diſceſſum e patria, ex ipſius ad *Ruarum* epiſtola, in Epp. *Ruari*, Cent. II. N. 22. l. c. p. 500. cognoſcimus.

Ex

Ex *Actis MSSCC. Synod.* diſcimus, eum a. 1618. in Synodo Racouienſi miniſterio eccleſiaſtico vna cum *Io. Crellio* initiatum et Meſericenſi coetui praefectum eſſe, quamvis ipſe *Bobeluicii*, haud procul Meſeritio commoraretur. Ex epiſtola allegata conſtat, eum a. 1619. adhuc in vita exſtitiſſe, eodemque loco miniſterio functum eſſe, quamuis *reuerendi viri* titulum declinaret. Ita autem ad *Ruarum:* "Omnis reuerendus eſt, qui virtutem ex animo ſectatur. Sic autem tu mihi magis reuerendus eris, quam ego, iudicio meo, vel tibi, vel aliis. - - - Vtut enim munus meum a tuo, quod nunc geris, ſit diuerſum, diuerſitas tamen illa adparens tantum eſt, non vera, ſi accurate rem perpendas. Ego doceo homines pro virili mea, viam veritatis, tempore et loco certo; tu idem facis - - per occaſionem. Quid igitur erit, ſi titulis diuerſi eſſe velimus, qui amore, qui fide, qui vocatione idem ſumus." Non multo poſt, quam *Ruarus* e peregrinatione rediit, obiiſſe *Dümlerum*, coniicit *Zeltnerus*, quod altum deinceps in epiſtolis quibuscunque de eodem obſervetur ſilentium. Praeter *confeſſionem*, inſertam apud *Zeltn.* l. c. p. 1119-1136. nullum *Dümleri* ſcriptum *Zeltnero* innotuit.

## GEORGIVS DVROSCIVS.

In conſeſſu Raſzcouienſi a. 1649. ſtatutum eſt, vt coetibus Volyhinienſibus Iwanicii et Haliczanii praedicando verbum inſeruiret, quod 1650. repetitur; quo anno munus ſcribae publici eidem collatum, et *Rinioucicius* ob ingraueſcentem aetatem hoc onere liberatus eſt. Eodem anno coetui *Piellae* collecto, ex decreto Synodi operam ſuam dicauit; anno vero 1652. demum miniſterio Eccl. initiatus eſt, exponentibus haec *Act. MSSCC. Synod.*

## THOMAS EMLYNVS.

Dublini in Hibernia Presbyterianorum coetus minister, qui primum in *Socini* castris pugnauit, deinde vero ad *Arianorum* partes transiit, et propter negatam aeternam ac coessentialem Christi deitatem a. 1703. ab officio eccles. remotus est. Opera eius prodierunt sub tit. *The Works of Mr. Thomas Emlyn, Londini* 1746. 8. Vol. III. Ad quasdam eius obiectiones circa locum Io. I. ven. *Semlerus* in diss. 1772. scripta, respondit. Plura de eodem in *Hist. Antitrin. Angl.*

## GEORGIVS ENIEDINVS.

Transyluanus patria, ab oppido ad Marusium *Enyed*, ita dictus est. De vitae ipsius fatis in *hist. Socin. Transylu.* exposuimus. Librorum ipsius hoc loco commemoratio instituenda.

SCRIPTA:

1. *Explicationes locorum Veteris et Noui Testamenti, ex quibus Trinitatis dogma stabiliri solet, Auctore* GEORGIO ENIEDINO, *Superintendente Ecclesiarum in Transyluania, vnum Patrem Deum, et eius Filium Iesum Christum per Spiritum sanctum profitentium.* 1 *Cor.* 8. *At nobis quidem vnus est Deus, Pater ille, a quo omnia: Item vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* 4. Alph. 1. et ½. plag. seu pagg. 441. *dedic.* et *praef.* 6. *indic.* 13. Prima operis huius posthumi, et quoad potiores V. et N. T. partes imperfecti editio in Transylvania forma 4. absque addita loci et temporis nota excusa, ibidem prohibebatur, multaque eius exemplaria publice flammis tradita, teste SANDIO l. c. In toto etiam

etiam imperio Germ. eius vſum eſſe interdictum, VOGTIVS narrat in *Catal. libb. rar.* p. 236. Quem exhibuimus titulus, ſecundae editioni absque die et conſule mendoſiſſime excuſae (vix enim vnica vox graeca occurrit, quae non vitioſe expreſſa ſit) praefixus eſt. Prodiit haec in *Belgio*, et quidem *Groningae* 1670. quod Io. FABRICIVS in *Hiſt. Biblioth.* P. V. p. 51. teſtatur, qui hoc loco exemplar ſuum a prelo adhuc madidum eo ipſo tempore, quo in lucem prodiit, comparaſſe ſibi ſcribit. Et haec quoque editio raro occurrens in *Biblioth. Vffenbachiana* T. I. p. 114. pretio VIII. *Imperialium* venalis expoſita eſt. Cum vero ad dignoſcenda antiquiorum Antitrinitariorum dogmata liber omnino neceſſarius ſit, hinc aliquando calamo deſcriptus in Bibliothecis reperitur.

Primae editionis dedicatio, *ampliſſimae reipublicae Claudiopolitanae* ſcripta eſt, quam editor ob merita de ENIEDINO et vniuerſa eius diſciplina, magnopere celebrat, illique tribuit, quod opus hoc tanquam theſaurus ex auctoris ſepulchro in lucem publicam proferri a ſe potuerit. Ita autem editor de ENIEDINO: "Quid vir ille, ſi vitam fata produxiſſent, non effecturus erat? Nemo illo in concionibus habendis ſuauior: in docendo breuior, ſimul ac ſolidior: in ſcriptionibus facilior: in expediendis nodis felicior: in confutandis erroribus certior. Id quod abunde teſtantur conſcriptae ab eo conciones. Is in ipſo aetatis flore, quando in dies inclareſcere et omnium oculos in admirationem rapere coepiſſet, relicta poſteris honeſtiſſimi nominis immortali memoria, ab huius vitae malis demigrauit in beatorum conſortium." Dedicationem excipit *praefatio*, quae breui ac ſuccincta pro

Vnitariorum cauſſa apologia abſoluitur. Ita autem editor inquit: "Equidem ſcio, vt primum libellus iſte in publicum prodierit, quantos, quamque infeſtiſſimos ſit experturus hoſtes. Cuius rei cauſſa mihi nulla videtur eſſe alia, quam quod hic mundus ignorantiae tenebris aſſuetus, veritatis lucem adeo refugiat, vt eius radios ferre nequeat. — — — Nihil a nobis creditur, quod ipſi palam negare auſint. Dei patris omnipotentis creatoris coeli et terrae Filius dicitur Ieſus Chriſtus, is ſcilicet, qui de Spiritu S. conceptus ex virgine natus eſt: homo Ieſus Chriſtus, vnus ac ſolus inter Deum et homines Mediator, cuius morte nobis parta ſalus eſt, et per quem vtrique Iudaei et Graeci aditum ad Patrem habemus, cuiusque nomine Spiritu S. donati; conſignati ſumus in vitam aeternam. Haec eſt ſumma doctrinae totius noui Teſtamenti, haec noſtra fides eſt, quam conſtanter tenemus atque propugnamus. — — — Nos humanis commentis non tenemur, eaque nihil moramur: vt enim oracula ſacrarum litterarum ſint: *Faciamus hominem: et verbum, quod Deus erat, erat apud Deum: et tres ſunt, qui teſtantur:* hinc tamen extructa a Trinitariis dogmata, non niſi humanas traditiones dicimus, ac ſimpliciter reiicimus. — — Trinitatis doctrina, quoniam aut ex non bene intellecta phraſi, aut ex ambigua voce extruitur, ac ſolis perpetuisque nititur conſequentiis, facile cadit, corruitque, ſicuti libellus iſte eleganter docet."

Ad finem praefationis, quidam auctor Anonymus, qui nomen ſuum ſub litteris M. T. occultauit, (quem vero MATTHIAM THOR eſſe conſtat) ſequens Epigramma appoſuit:

Cimme-

*Cimmeriis quondam tenebris et nocte ſepultum*
*Abdiderant hoſtes Chriſtum, Chriſtique miniſtros,*
*Armatis circumpoſitis dirisque ſepulchro*
*Militibus, liceat Chriſto quo ſurgere nunquam,*
*Aetherea vel luce frui: ſed gloria Chriſti*
*Emicuit tandem cunctis ſplendore coruſco.*
*Nam Deus ille Pater, ſolus qui cuncta gubernat,*
*Inſignes pietate viros, et acumine mentis*
*Inſtructos, Zeloque pio, produxit, vt atram*
*Detraherent oculis nubem mortalibus ipſis,*
*Commentis hominum aſſuetis, ſpurcisque lacunis:*
*Vt ſolidam capiat laudem Deus, et ſua Chriſto*
*Gloria reddatur, nullo fucata veneno.*
*Quos inter primas partes ſibi vendicat omnes*
ENNIEDII *labor eximius, qui numina trina*
*Aut nihil eſſe docet, ſola aut figmenta ſophorum.*
*O felix aeuum, felix respublica, cuius,*
*Auſpiciis viuit defuncti poſthuma proles.*

*M. T.*

In opere ipſo auctor S. Scr. oracula, SS. Trinitatis myſterium probantia et Vnitariorum placitis aduerſa ſecundum ordinem librorum, et ſuperſtructam illis demonſtrationem huius myſterii euertere adnititur. Specioſae aliquando ſunt eiusdem oraculorum diuinorum contorſiones, in quibus tamen recentiores coetus huius ſcriptores eum inſigni calliditate longe antecellunt. Diutius verſatur circa dicta, quae ab Orthodoxis non facile extantiora et clariora reputantur; quae autem hac in re plurimum momenti habent, et quibus maxima probandi vis et claritas ineſt, leui opera praeteriit. Veteris foederis oracula vltimo loco explicanda ſuſcepit, in quo labore vita quoque defunctus; quare

dicta prophetica non comparent explicata. Euangelium S. IOANNIS totius S. Scripturae librum maxime obſcurum atque ambiguum iudicat. Quantam vero violentiam in peruertendo eius ſenſu temerarius homo adhibuerit, ex priorum commatum explicatione ſatis colligi poteſt. Εν αρχη ENIEDINO idem eſt: *In initio muneris Joannis*, ſ. etiam *in initio, quo Chriſtus docere et miracula perpetrare coepit.* Ην προς τον θεον: *Deo plene cognitus eique certus et in oculis eius perſpicuus erat.* Και ο λογος ην θεος, idem ipſi eſt, ac *a Deo factus et conſtitutus Deus, non autem ideo aeternus coeli terraeque creator, nec quoad naturam et eſſentiam Deus.* Παντα δι αυτȣ εγενετο, idem eſt, ac *omnes fideles per eum conuertit.* Oraculo Chriſti *Io.* VIII. 58. hunc adfingit ſenſum: *Hoc ipſo tempore, cum ſum Meſſias veſter, ante* ABRAHAMVM *ſum, ac proinde ipſo prior. Quam diu enim* ABRAHAMVS *non eſt pater multarum gentium, tam diu non eſt* ABRAHAM. *Factus vero demum eſt pater multarum gentium per Meſſiam, ac proinde hoc poſterior.*

*Pag.* 133. IRENAEVM, omnium LATINORVM patrum, quorum exſtant ſcripta, antiquiſſimum iudicat. IOANNEM ad conſcribendum Euangelium ſuum impulſum eſſe, vt CERINTHI et EBIONIS haereſin refutaret, omnino negat. Vere igitur WEISMANNVS l. c. p. 541. de ENIEDINO iudicat: "Ingenioſus et ſpecioſus, verum et audaciſſimus deprauator Theologiae de diuinitate I. C. et SS. Trinitate per ſolutiones mire excogitatas locorum ſcripturae, de articulis illis agentium, et praeterea in compendioſo ſatis libro exhibitas. Scriptor periculoſus atque ad ſeductionem aptiſſimus." Quanto in pretio hoc ENIEDINI opus Crypto-Socinianis Altorf-

finis

finis fuerit, ZELTNERVS l. c. p. 208. significat, "quippe qui non pigrati sunt *Altorffiae* et *Wittebergae*, ingentem eius, sua manu describendi, ob raritatem operis, duo licet alphabeta cum dimidio complexi, laborem subire. Cuius etiam vsus valde frequens in caussa procul dubio fuit, cur in litteris tecto nomine, ne quid inuidiae citatio moueret, auctoris facta sit mentio. Namque instar oraculorum, scripturae dictorum calumniosas eius interpretationes inter Socinianos plerosque veteres haberi consueuisse, in vulgus notum est."

Non tamen omnibus Socinianis liber se probat. RVARVS in eodem parum firma esse notauit, quae (vt addit) quia nihilominus Achillea Socinianorum arma putentur, caussam ipsam imperitis suspectam reddant. Inprimis eum carpit, quod dicta de Baptismo v. g. *Matth.* XXVIII. contra Socinianorum consuetudinem de aquae Baptismo explicet. Propter haec et alia eundem quoque SMALCIVS non obscure reprehendit in *Praef. thes.* FRANZII *Disp.* X. p. 318. vbi assertionem ENIEDINI de loco *Matth.* XXVIII. non multum ad rem facere iudicat. *Vid.* ZELTN. l. c. p. 208. Nec recentiores Vnitarii tanti aestimant ENIEDINI opus. Ita enim auctor apologiae, (SAMVEL CRELLIVS) qua Vnitariorum confessio aduersus censuram der Berlin. Hebopfer P. X. defenditur, p. 7. inquit: Besser wäre es — — wenn man anstatt des Buchs SERVETI, Joh. Crellii von dem einigen Gott dem Vater, welches viel stärker ist, in der teutschen Sprache widerlegte. — — — Der Herr D. SPENER ließ den Crellium hübsch liegen, und hält sich am meisten mit dem ENIEDINO auf, welcher bey heutigen Vnitariis in keiner großen Estime ist. Non aliam sine dubio ob caussam, (ZELTN. l. c. addit) quam quia

ad nauſeam vsque παρερμηνειαι eiusdem iam ſunt diſcuſſae, nouisque excogitatis negotium noſtris faceſſere, commentaque ſua, ad tempus certe nouis coloribus felicius exornare infeliciſſimi homines conſultius eſſe arbitrantur. *Vid.* RICH. SIMON. *Hiſt. crit. de comment. N. T.* C. LVII. p. 864. et DAV. CLEMENT. *in Biblioth. hiſt. et crit.* T. VIII. p. 37.

Aduerſus hoc ENIEDINI opus in lucem emiſit 1) D. CHRISTOPH. PELARGVS *de S. S. Trinitate Teſtamenti Vet. inſigniora teſtimonia, Antitrinitariis et Nearianis recentioribus oppoſita, conſenſu orthodoxorum perpetuo, conſtantique expoſitione breuiſſime declarata: vna cum argumentorum aliquot a nobilibus Arianis in vicinia recens obiectorum diſſolutione. Typis Sciurianis.* 1593. 4. pl. 11. *(Francof. ad Oder.)* Idem tractatus collectioni inſertus, quae ſub titulo prodiit: CHRISTOPH. PELARGI *D. admonitio de Arianis recentioribus, eorumque blaſphemis dogmatibus: Teſtimonia inſigniora de SS. Trinitate e V. T. Refutatio libelli Arianici et αυτακατακρισις ad reſponſum ανωνυμου cuiusdam Ariani. Lipſ. typis* ABR. LAMBERGI, *ſumtibus* IO. FRANCI. A. 1605. 8. pl. 22. 2) D. IVSTVS FEVERBORNIVS, *Anti-Eniedinum, aliquot diſpp. publicae luci donatum. Praeſ.* D. PETR. HABERKORN. Gieſſ. 1654. 4. 3) Idem, ANTI-ENIEDINVM *poſthumum, ſ. vindicationem locorum ſacrorum, tam in V. quam in N. T. occurrentium et veram ac aeternam Chriſti Ieſu Saluatoris noſtri vnici Deitatem inuicte demonſtrantium et euincentium.* Gieſſ. 1658. 4. 4) IACOBVS MARTINI *de tribus Elohim* Libb. III. *Witteb.* 1614. 8. 5) D. THEOD. THVMMIVS, *Controuerſiam de Perſonarum in vna Dei eſſentia pluralitate aduerſus* G. ENIEDINVM *Photinianum agitatam*

*tam in illustri Tubinga ventilatam.* FRANCOF. a IO. BERNER. 1620. 4. 6) BENEDICTVS SZENTKIRALYVS, (*in Catal. Biblioth. Vniuers. Francof.* BECMANNI f. 282. legitur eius nomen SZENCKIRALVS) *Transyluanus, vindicationem locorum V. T. aeternam Deitatem F. et Sp. S. mysteriumque SS. Trinitatis confirmantium, aduersus* GEORGIVM ENIEDINVM *institutam. Marburgi apud* PAVL. EGENOLPH. 1619. Recusa *Hanouiae* 1624. *Vid.* CZWITTINGERVS l. c. p. 372.

2. *Explicatio locorum Catecheseos Racouiensis.*

3. *Praefatio in Nouum Testamentum versionis Racouianae.* Vtrumque scriptum ENIEDINO tribui SANDIVS l. c. p. 93. et 94. obseruauit, sed ipse dubitat, an illorum iure auctor esse afferatur, cum Catechesis Racouiana et vtraque versio polon. et germ. N. T. quae *Racouiae* prodiit, mortuo iam ENIEDINO fuerit concinnata.

4. *De diuinitate Christi opus ipsi a* SCHERZERO tribui, SANDIVS l. c. notauit.

5. *De prouidentia Dei liber*, allegatur a ZELTNERO l. c. p. 209.

## CHRISTOPHORVS EOVS.

Quis fuerit, rescire nobis nondum datum est. SANDIVS l. c. p. 97. praeter nomen et titulum *de Ecclesia Christi MSC.* nihil adfert.

## IOANNES FALCONIVS.

FALCONIORVM nobilis et antiquae in Litthuania familiae gentilitium nomen in lingua polon. SOKOLOWICZ, nec non IASTRZEMBSKI, (*) (*Vid.* WENGERSCIVS l. c. p.

138.

(*) Quam tamen *Iastrembeciam* familiam IO. MICH. BRVTVS, *in Sel. Epp. Cracou.* 1583. 8. p. 172. eandem cum *Sborouia* atque *Rituinia* indicat.

138. et 447.) denotat auium genus Cataracten vel accipitrem, et ex lingua lat. *Falco* vel germanica Falck derivatur. Habent quoque in armis gentis suae falconem, quod notatur in den fortgesetzten Sammlungen von Alten und Neuen, a. 1738. p. 469. Fuit IOANNES Polonus vel Litthuanus, Catecheta et praeceptor scholae in *Biala* Podlachiae oppido, et in Becchauiensi coetu, deinde teste SANDIO l. c. p. 54. coetus Mordensis in Podlachia minister. Corruptum eum a GONESIO, in Synodo fratrum Bohemorum a. 1558. habita, errorem suum retractasse, sed eundem post hac iterum defendisse, WENGERSCIVS l. c. p. 146. notauit. SANDIO diuersus videtur a IOANNE FALCONIO, Physico et Medico Hamelensi, qui 1586. 26. Nou. obiit. Scripsisse nostrum *de Ecclesiis Litthuanicis*, WENGERSCIVS testis est.

## THOMAS FALCONIVS.

Litthuanus. Praecipua vitae eius fata exponuntur in den Fortges. Samml. von A. und N. a. 1738. p. 468. GE. BLANDRATA auctore, ab orthodoxa veritate ad Antitrinitariorum castra abductus, teste WENGERSCIO. LVBIENIECIVS l. c. p. 43. eum primis Poloniae reformatoribus accenset. Fuit primo Ecclesiae Cathedralis Lublin. mysta, narrante SANDIO l. c. p. 54. A. 1566. minister coetus Klecensis sub Principe NICOL. RADZIVILIO, Palat. Viln. ERASMVS OTVINOVIVS in scripto *de heroibus Christianis*, adtexto *Wengerscii Historiae eccl.* p. 537. de illo exponit, quod vale dicto Ecclesiae Romanae, e carcere, in quem ob mutatam religionem fuerat coniectus, liberatus, in Litthuaniam a Principe RADZIVILIO euocatus, se contulerit, ibidemque sub eius patrocinio praeconem verbi Dei egerit. Quod SIMONI BVDNAEO in codice S. trans-

transferendo in linguam polon. cooperarius exstiterit, perhibetur.

SCRIPTA:

1. Sprawy y słowa Iezusa Krystusa syna Bożego, ku wieczney pociesze wybranym Bożym napisane przez swiadky y Pisarze na to ad Boga zrzondzone, a tu wyklady krotkiemy som obiaśnione Matth. XVII. 5. Tency iest moy syn mily, na ktorym przestawam iego słuchaycie. W Brzesciu Litewskim drukowano Roku 1566. fol. i. e. *Acta et dicta I. C. Filii Dei in perenne solatium electis Dei conscripta per testes et scriptores a Deo ordinatos, hoc loco succinctis explicationibus illustrata Matth. XVII. 5. Hic est Filius meus dilectus etc. Brzesciis in Litthuania impressum.* A. 1566. fol. Alph. 7. pl. 20. Idem hoc opus est, quod SANDIVS l. c. Harmoniam ex quatuor Euangelistis adpellat. Non tamen proprie Monotessaron est, sed tantum dicta factaque Seruatoris ex tribus prioribus Euangelistis, excluso IOANNIS Euangelio, auctor recenset, quemadmodum quoque omnibus operis huius quoad partem priorem, paginis titulus praefixus est: Historia Z trzech Ewanielistow złozona, i. e. *historia ex tribus Euangelistis composita.* Hanc trium Euangelistarum harmoniam demum excipit fol. 260. Euangelium S. IOANNIS cum peculiari explicatione. Auctor sine omni ordine Euangelistas scripsisse commentarios suos de vita, sermonibus et factis Christi arbitratur, nec de vllo fundamento cogitat, quo harmonia nitatur. *Vid.* WENGERSCIVS l. c. p. 146. Samml. von A. und N. 1738. p. 468. et 1739. p. 650. quo loco operis huius argumentum fusiori recensione exponitur. LVBIENIECIVS l. c. p. 20. RINGELTAVBE *Hist. Bibl. Polon.* p. 114.

2. Wthore

2. Wthore kſięgi Lukaſza ſwiętego, ktorich napis ieſt: Dzeie abo ſprawy Apoſtolſkie, krotkiemi wyklady obiaſnione. Będziecie mi ſwiadkami w Ierozolimie etc. Dz. I. W Brzeſciu Litewſkim drukowano Roku 1566. dnia dwudzieſtego trzeciego Czerwca, fol. i. e. *Liber poſterior S. Lucae, qui inſcriptionem prae ſe fert:* HISTORIA *vel* ACTA APOSTOLORVM, *ſuccinctis explicationibus expoſitus. Vos eritis teſtes mei Hieroſolymis etc. Act. I. Brzeſciis in Litthuania impreſſ. a.* 1566. *d.* 23. *Iulii.*

3. *Epiſtola ad Synodum Breſinenſem* (Cuiav.) 1565. *celebratam*, ſuper quaeſtione de *Baptiſmo. MSC.*

4. *Epiſtola ad eamdem Synodum* de eadem materia. Hiſtoriam Synodi huius, *vid. in hiſt. Socin. Polon.*

5. *In cantionali polonico Thorunenſi* N. 171. aliisque libris cantionum pol. canticum occurrit: To ſluſzna z wiernych każdemu, *quod Thomam Sokolowicium vel Falconium* auctorem habet, quod ex PETRI ARTOMII *cantionali Thorun.* a. 1601. 8. Num. 182. probari poſſe, in der F. Samml. von A. und N. 1738. p. 470. notatur. An hunc vel alium ſcriptorem innuant verba IO. MICH. BRVTI in epiſtola 1582. ſcripta l. c. p. 184. pro certo determinari a nobis nequit. Ita autem ille ad IAC. MONAVIVM: Omnia mihi erant praeſto, SOCOLOVII *cenſura* illa inprimis, quam ego domi habebam, eius ipſius SOCOLOVII munus, quem ego propter ſuavitatem ingenii atque eruditionem ſingularem mirifice amo.

## STANISLAVS FARNOVIVS.

Scribitur quoque nomen eius aliquando FARNESIVS et FERNESIVS, et in *actis Synodal. MSSCC.* haud raro

PHAR-

Pharnovivs. In Germaniae Academiis, praecipue *Heidelbergae* ſtudiis operam nauauit, ſimulque iſto iam tempore errores conceptos diſſeminauit. Zach. Vrsinvs T. III. *Opp. Theol.* fol. 1765. narrat, quod Theologi cum eodem ſermones contulerint, et quod poſthac Heidelberga abire iuſſus fuerit. *Marburgi* Haſſiae eum quoque commoratum eſſe, litterae Io. Pincieri, VIII. Calend. Aprilis 1564. ad Henr. Bvllingervm ſcriptae teſtantur, in quibus Farnovivm Bvllingero commendat. *Vid.* Io. Conr. Fveslini *Epp. ab Ecclef. heluet. reformatoribus ſcriptae etc. Cent. I.* N. XCVII. p. 475. Poſt ſchisma a caeteris Vnitariis, qui tum temporis Pinczovii nominabantur, circa a. 1568. factum, coetus ac ſcholae *Sandeciae* in finibus Hungariae, ſub tutela Stan. Mezeck, (Sandio venit Mezyk, et Lvbieniecio p. 220. *Menzicus*) *Satrapae Sandeciae* curam habuit. Fuiſſe eum adhuc in viuis a. 1614. et collaboratorem habuiſſe Stan. Wisnovivm, Sandivs l. c. p. 52. et 53. teſtis eſt. *Sandecia* forſitan *Zarſiniam* ſemet contulit, quo in loco colloquium cum eo habuit Smalcivs, qui in *diario vitae* apud Zeltn. l. c. p. 1201. ita inquit: "A. 1614. d. 31. Ianuarii cum Ill. Dn. Palatinide profectus ſum *Zarſiniam*, ad colloquium cum Farnovio miniſtro Ariano habendum; ſed irrito ſucceſſu." Putat Lavterbachivs l. c. p. 294. eundem 1615. vita hac exceſſiſſe. Probabile tamen videtur, eundem grandaeuum adhuc ſuperſtitem fuiſſe, eo tempore cum Smalcivs diario ſuo finem impoſuit, qui ſine dubio annum et diem mortis alioquin annotaſſet, quod ab eodem in aliis caſibus non intermiſſum animaduertimus. Sandivs in *Append. ad nucl. hiſt. eccl.* p. 92. eum poſt annum 1604. obiiſſe, ſaltem ſignificat. Fuit Gonesio homodoxus in doctrina de perſona Filii Dei, et

prin-

princeps eorum, qui Christi praeexistentiam ante conceptionem in vtero Mariae defenderunt. *Vid.* WENGERSCIVS l. c. p. 89. Vtrum Spiritum S. pro persona habuerit, nec ne, non adeo certum videtur SANDIO, posterius tamen veri similius putat. Quod vero personalitatem Sp. Sancti omnino crediderit, ex loco quodam operis *Num. I.* euictum dabimus. De baptismo adultorum per immersionem, eadem cum reliquis Vnitariis defendit placita. De *secta Farnouiana* inter Antitrinitarios, plura in *Hist. Socin. Polon.*

SCRIPTA:

1. O znaiomośći i wyżnaniu Boga zawzdi iednego, stworzyciela wszystkich rzeczy, i iednego syna iego, przez ktorego wszystkie som rzeczy: i iednego Ducha Bożego, przez ktorego wołaiom nawroczeni, Oicze: Nauka wielka święta i prawdziwa, że wszystkiego y samego pisma S. dziwnie zebrana i słosowana. W ktorey wszystkie przeciwnikow łapaczki wikrenti i przymioty znacznie som witknione y mocnie zborzone. Przez Stanislawa Farnowiusza, sługe zboru w Panu Chrystusie oczyscionego a słowem prawdy poświenconego Matth. 17. 2 Petr. 1. Ten iest moy sin mily przez ktorego ia ubłagany iestem, tego słuchaicie. Roku od przyscia na swiat sina Bożego 1573. Dnia 1. Sticznia 4. (*) i. e. *De cognitione et confessione Dei omni tempore vnici, omnium rerum creatoris: vnicique eius filii, per quem omnia existunt: et vnici Spiritus Dei, per quem conuersi clamant: Abba Pater: pretiosa, sancta et vera doctrina, tantum ex S. Scr. pulchre*

(*) Plane singularem auctor obseruauit orthographiam polon. quam in exscribendo titulo seruauimus accurate.

*pulchre concinnata et in harmoniam redacta, in qua machinationes, contorsiones et notae aduersariorum manifesto expressae et solide euersae, per* STAN. FARNOVIVM, *ministrum coetus in Christo Domino purificati et verbo veritatis sanctificati. Matth.* 17. 2 *Petr.* 1. *Hic est Filius meus dilectus etc. Anno ab aduentu Filii Dei in mundum,* 1573. d. 1. Ian. 4. Alph. 2. pl. 11½. Sine loci mentione, quo impressum est. Praemittitur *alloquium ad Polonos*, cuius quidem SANDIVS l. c. p. 52. sed nescius vbi inueniatur, meminit. In hoc auctor agit de gentili incredulitate, qua olim Polona gens sepulta, et de Antichristi superstitione, qua adhuc oppressa est, ad quam quoque doctrinam *de S. Trinitate et de Paedobaptismo* refert. In hac fusiori repraesentatione fol. A. 2. b. iudicat: quod Iudaei et Turcae regno Dei propiores sint, orthodoxis Christianis, quia illi Deum vnicum confitentur, et in eo solum a vero alieni, quod accessu et mediatore ad eundem destituti sint, non credentes illum esse Patrem Domini nostri I. C. hi vero adeo abnegant Deum vnicum, quia in vno tres coniungunt; quapropter hos cum plurium Deorum *Iouis*, *Plutonis*, *Martis* etc. cultoribus comparat. *Tractationem* ipsam inchoat triuiali explicatione nominum Dei *Elohim*, *Iehoua* et *Adonai*, putatque fol. 4. b. vocabulum *Elohim* in plurali numero, honoris gratia adhiberi, pari ratione, ac *Ios.* XXIV. 19. *Gen.* XX. 13. XXXV. 7. 2 *Sam.* VII. 23. *Ps.* LVIII. 12. *Deut.* V. 26. Nomen Iehoua fol. 21. ex *Exod.* III. 13. et *Apoc.* I. 4. XI. 8. explicat, conceditque quod Christus sit Dominus *Iehoua*, verum non a se ipso, sed ab vnico Iehoua, cuius est filius, secundum *Io.* V. 26. 27. Mysterium S. Trinitatis acerrime impugnat, id sibi

certo perſuadens, fol. 63. ſeqq. quod VSIANI (quo titulo orthodoxos inſigniuit) *vel* ſtatuant Patrem F. et Sp. S. tres eſſe perſonas, quarum quaelibet pro ſe Deus ſit, ſicque tres eſſe Deos; *vel*, quod P. F. et Sp. S. tres ſint perſonae, ſolo nomine, non re ipſa diſtincti, ita vt Pater ſe aliquando Patrem, alio tempore Filium et alio Spiritum S. vocauerit, quod *Sabellianismus* eſt; *vel* tandem concedant, quod P. F. et Sp. S. non tres ſint perſonae, ſed eiusmodi tres Deitatis partes, quarum quaelibet ſine alia Deus non ſit, ſed omnes tres diuinam eſſentiam conſtituant. Quae ad haec reſponderi poſſunt, auctor nulla ratione admittit, ſed ſua opinione captus ſimili plane inconueniente de tribus tabernaculis *Matth.* XVII. 4. vtitur, ſicque inepte argumentatur: *Si Petrus tria intellexit tabernacula, quis vnquam ſtatueret, haec tria fuiſſe vnum.* Fol. 87-170. nomina, quibus in S. Scriptura vel Deus Pater ſingulatim, vel Filius Dei, vel ambo communiter inſigniuntur, in medium proferuntur, inprimis locus 1 *Io.* V. 20. aduerſus eos vindicatur, qui eundem de Chriſto intelligi nolunt. Chriſto, filii Dei nomen ratione habita ad eius praeexiſtentiam ſenſu proprio ante natiuitatem ex Maria competere, ſecundum hypotheſin *Farnouii*, nec non locus *Io.* VIII. 28. fol. 123-127. aduerſus reliquos Antitrinitarios defenditur. Haec fol. 170. excipit *breuis doctrina de Spiritu S.* nec non fol. 172. *de tribus teſtibus in coelo ac in terra* 1 *Io.* V. 7. 8. quorum vnitas, per vnicum et conſpirans teſtimonium explicatur. Circa operis huius finem, triplex formula confeſſionis, ſolis S. Scripturae phraſibus concinnatae occurrit, 1) De Deo Patre, fol. 184. 2) De vnico Dei Filio, f. 187. 3) De Sp. S. fol. 193. His iunguntur

tur duae precum formulae; *prior* ad vnicum Deum, f. 197. *posterior* ad Filium Dei Seruatorem, Deum et Dn. nostrum directa, f. 200. nec non duo hymni, *alter* ad Deum Patrem, f. 201. qui incipit: Stworzycielu wszystkich, rzeczy, Boże Oycze iedyny etc. i. e. *O Creator omnium rerum, Deus et Pater vnicus et solus; alter* ad Filium Dei, Seruatorem nostrum, hoc initio: Chwala Bogu nawyzszemu, Bogu y Oycu iednemu etc. i. e. *Gloria sit Deo altissimo, vnico Deo et Patri, etc.* Quod Sp. sancti personalitem in dubium non vocauerit, SANDIO id perhibente, ex loco f. 175. manifesto colligitur, vbi inquit: "Spiritus S. quoddam ens singulare pro se est: (Osobny) quia ex instituto diuino, Euangelio credentes, in eius nomen aeque ac in nomen Patris et Filii baptizari debent. Est aliquid hypostaticum, (istotny) qui se visibiliter in figura columbae manifestauit etc." In eo vero recte iudicat SANDIVS, quod Spiritui S. diuini cultus honorem denegauerit. Ita enim scribit: "Quamuis Sp. S. viuus sit Spiritus, nullo tamen loco S. Scriptura significat, eum esse Iehoua vel Deum, nec nos iubet in eum credere vel eum inuocare. Hac de re nullum oraculum atque exemplum prostat etc.".

2. Nauka prawdziwa o karnosci christianskiey, w zborze Sina Bożego prawdziwim wedlug samego i wszystkiego przymierza Nowego. Zebrana izstosowana porzondnie przes Stanislawa Farnowiusa sługe zboru christianskiego. Mowi sin Boży. Matth. VII. 24. Kto slucha tych slow moich etc. Ktorego upadek był wielki. Roku ot przyscia na swiat sina Bożego 1573. i. e. *Genuina institutio de disciplina Christiana, in vero Filii Dei coetu, ex solo tantum Noui Foederis argumento, in or-*

*dinem redacta et conciliata per* STANISL. FARNOVIVM, *ministrum coetus Christiani. Filius Dei inquit Matth. VII.* 24. *Quicunque hunc meum sermonem audit etc. — magnam ruinam fecit. Anno ab aduentu Filii Dei in mundum* 1573. 4. pl. 4½. In *praefatione ad omnes fideles* directa, de internis ac externis characteribus coetus Apostolici agitur. Ipsa *tractatio* continet monita, partim pastoribus ac ministris, partim vniuerso coetui data, cum expositione eorum, quae vel facienda, vel fugienda vtrique ordini incumbunt. Omnia phrasibus biblicis N. T. sunt exposita.

3. Okazanie zfalszowania, y wyznanie prawdziwey Nauki etc. i. e. *Demonstratio falsationis et confessio verae doctrinae:* Dubius vero SANDIVS haeret l. c. p. 53. circa verum libri huius auctorem.

4. *Libri contra pacificationem Luclauicensem:* STANISL. SZAFRANECIO, *Castellano Sendomir. inscripti.* In his sententiam eorum, qui Filium Dei ante *Mariam* exstitisse inficiantur, oppugnat. Ad hoc scriptum MART. CZECHOVICIVS a. 1579. responsum dedit. *Vid.* sub hoc N. 7.

5. Liber precum polonicarum, sumtibus viduae ZABAWSKII, matronae nobilis e FARNOVII coetu, in lucem emissus, cuius in *Actis Synod. MSSCC.* frequenter fit mentio.

## IEREMIAS FELBINGERVS.

De acerrimo hoc orthodoxae de S. Trinitate doctrinae aduersario, pluribus scriptis inclyto, haud pauca fide digna exposuit CHRIST. GROSSIVS, *in examine confessionis fidei* ION. SCHLICHTINGII, a FELBINGERO *in linguam germ. translatae.* Inprimis Cap. I. de FELBINGERI apo-

apoſtaſia et querelis agit, nonnullaque profert, ex quibus ea, quae SANDIVS l. c. p. 157-159. et LAVTERB. l. c. p. 424-428. narrarunt, corrigi ac ſuppleri poſſunt. Conf. quoque BENTHEMII *ſtatus eccl. et ſchol. Belgii*, p. 905. EL. SIGISM. REINHARTVS l. c. §. XXII. fol. D. 4. *Relat. innoc.* 1705. p. 589. et IO. FABRICIVS in *Hiſt. Biblioth.* P. V. p. 52.

Natum eum eſſe *Bregae* Sileſiorum a. 1616. d. 27. April. SANDIVS commemorat. MART. FRID. SEIDELIVS *in Hiſtoria libb. et vitae doctorum MSCta*, Vol. VI. cuius quaedam contenta expoſuit BAVMGARTENIVS *in recenſione Biblioth. Hal.* T. V. p. 525. *Felbingerum* Bregenſem fuiſſe narrat, Patremque habuiſſe pellionem. Iuuenis SCHEVRELII, SCHRADERI, LOTICHII, TAPPII, CONRINGII, GE. CALIXTI et HORNEII diſcipulus fuit, ac iuris praecipue ſtudioſus. Poſtea per triennium et amplius ſub Suecis militiam ſecutus, nihil inde retulit, niſi cicatrices et vacuam crumenam. Per aliquod tempus ſcholae Coeslinenſi in Pomerania Rector praefuit, hocque loco matrimonium contraxit. Munere hoc ſcholaſtico ſemet ſponte abdicauit, non autem ex ſuperiorum ſententia, quod plurimi perhibent, exutus eſt. Inde Helmſtadium acceſſit, ſed quia cum ſtudioſis ſcripta quaedam communicauit, ante ſolis occaſum vrbe exire iuſſus eſt. A. 1642. referente SEIDELIO ad Socinianos clam tranſiit. Eodem teſte, Magiſtratus Bernſtadienſis, apoſtaſiae huius ignarus, Cantoris officium eidem commiſit. Sed improuidus hoc loco conceptorum errorum cuſtos, hos cum eiusdem ſcholae Rectore communicauit, qui male ferens Cantorem haereticum, cum eodem poſt varias diſceptationes a verbis ad verbera deſcendit. Antequam vero iſtarum pugnarum examen a Magiſtatu inſtitueretur, FELBINGERVS in fu-

gam se auertit. In historia vitae suae, quam ipsius auctoris manu descriptam possedit Io. FABRICIVS ipse testatus est, "se per frequentes Coslinensium Ecclesiastarum disputationes, quibus contra Reformatos et Sacramentarios, quamquam XX. inde lapidibus remotos vehementer detonabant, commotum fuisse, Scripturam S. diligenter vt scrutaretur, nec, nisi quod expressis ibi verbis continetur, pro credendo acceptaret, atque inde doctrinam Vnitariorum, de Deo, Christo et Sp. S. suscepisse, ac *demonstrationes Christianas* (de quibus paulo post N. 5.) concinnasse." Aliquamdiu Cantoratus officio ad paedagogium Sedinense, (aliquando *Professor Musices* adpellatur,) et, quod a quibusdam narratur, Rectoratus munere in quadam Silesiae vrbe functus est. (*) Hisce locis, cum errores ipsius palam facti, vel superiorum iussu exclusus, vel ipse vltro alium domicilii sui locum quaesiuit. Ipsius coniux tot peregrinationum pertaesa, Coeslinum cum liberis suis remeauit ad cognatos suos, comitari maritum in alia loca detrectans. Ad eam tamen Coeslinum semet contulit, ibidemque hoc tempore versionem *confessionis* ION. SCHLICHTINGII germanicam adornauit. Hinc Gedanum concessit, et inde XII. exemplaria translatae *confessionis Schlichtingianae* Rectori Colbergensi, ad distribuendum in ista regione transmisit. *Gedani*, vel potius *Straffini* prope *Gedanum*, coetus Vnitariorum per breue tempus in subsidium M. RVARI curam habuit. Anno 1654. in confessu Czarcouiensi, testantibus *actis MSSCC.* PREVSSIO et WOLZOGENIO committebatur, FELBINGERI scripta recognoscere, eademque ad proximum confessum secum ferre. Huic quoque confessui FELBINGERVS exposuit, quae adhuc in coetus commodum

(*) Fortasse *Wratislauiae*; ex hoc enim loco a. 1648. d. 14. Decbr. scripsit epistolam *Ducibus Lignicensibus et Bregensibus*, praefixam *compendio politicae Christianae*. *Vid.* infra N. 4.

modum praestiterit, et olim praestiturus sit, sibique locum designari expetiit, in quo coetui, publico munere operam suam nauare possit. In consessu igitur Raszcouiensi a. 1655. iussus est *Luclauicium* se conferre. Inde *Gedanum* commigrasse videtur. Post ipsius in Prussia commorationem SEIDELIVS itineris eius in Frisiam orientalem et Belgium mentionem facit; quo absoluto a. 1665. *Francofurtum ad Oder.* commigrauit, ibidemque conuictorii beneficio ad tempus est fruitus. Cum vero scripta sua erroresque coetus sui disseminare studeret, imo in coenobio Carthusianorum prope oppidum conuenticula institueret, Magistratus hac de re examen instituendum iudicauit, quod vero fuga sua praeuenit. Hinc *Berolinum* se contulit, ibidemque sibi patronos conciliauit, quibus promotoribus in Senatu Camerae Electoralis veniam procurandi et aliorum negotiis prospiciendi obtinuit, quo tamen priuilegio, post aliquot fraudes et nequitiae technas exutus, aliorsum se conferre coactus est. Cum libellum accusatorium aduersus coniugem suam Regimini ac aulae Electorali exhiberet, huic iteratis vicibus quaedam exemplaria *confessionis Schlichtingianae* adiunxit, vt liber ad multorum manus perueniret, qui temerarius ausus GROSSIVM commouit, vt aduersus eum calamum stringeret.

Post haec tempora iterum se in Belgium, et quidem *Amstelodamum* contulit, quo loco in platea BENTHEMIO a. 1687. obuiam factus, misere vixit, vitamque suam docendo iuuenes, et correctoris vicibus in officinis typographicis fungendo sustentauit. Non omnibus semet probauit Socinianis; eclecticus enim inter eos videri voluit, et propior ad ARII partes propendit; quod ex eius *epistola ad Christianos et Enchiridio Christiano* inter alia constat; quare etiam stipendiis coetus Sociniani eum esse sustenta-

tum in *Act. MSSCC.* non legimus. *Vid.* FABRICIVS l. c. p. 52. Teste BENTHEMIO l. c. p. 905. pessime adfectus erat aduersus coetum Euangelico-Lutheranum, quem pro auctore suarum calamitatum in Germania habuit, ex quibus male inferebat, se esse genuinum Christi discipulum. Quo anno mortuus sit, notatum alicubi non recordamur. A *Fabricio* immerito *Mennonitis* accensetur, nisi in eo quod cum his iuramenta esse illicita defenderit. *Vid.* IO. GE. WALCHII *Biblioth. theol. sel.* T. I. p. 954.

SCRIPTA:

1. *Doctrina syllogistica.* 1646. 12. et *Roterod.* 1675. 8.
2. *Nomenclatura latino-germanica* super IANVAM COMENII.
3. *Rhetoricae et Oratoriae* BARTHOLINI *epitome.* 1646. 12.
4. *Politicae Christianae compendium, ex Scriptura Sacra, cumprimis vero ex libris noui Foederis concinnatum: auctore* IEREMIA FELBINGERO. *Vratislauiae typis Baumannianis.* 12. pagg. 84. Eodem loco a. 1648. in forma 8. prodiit. Eundem libellum a. 1646. 4. item Belgice 1660. 8. in lucem esse emissum, et germanice in *MSC.* prostare, SANDIVS p. 157. testatur. Belgica versio hunc prae se fert titulum: *Een christelyk Bericht, hoe de aerdsche Politien der Rechtgeloowigen behooren wel besteld te Zyn etc. uyt het Latyn in t Hollandsch overgeset door* ANT. VAN KOPPE. *Not Amsterd. by* CHRISTOFFEL CVNRADVS. 1660. 8. Inscriptus est ab auctore Ducibus Lignicensibus et Bregensibus, GEORGIO, LVDOVICO et CHRISTIANO, Vratislauiae, anno 1648. 14. Decembris *St. n.* Compendium hoc politicae Christianae, quod, quasi praecursor plenioris operis, posthac tamen quantum scimus, nunquam ab eodem editi, esse voluit, maximam partem Scripturae S. verbis concinnatum, et in *duas partes* distinctum

ctum eſt, quarum PRIOR agit: 1. *De coniugio;* 2. *De parentibus et liberis;* 3. *De Domino et ſeruo;* 4. *De domo;* 5. *De vico ſiue pago;* 6. *De ciuitate.* POSTERIOR: 1. *De magiſtratu;* 2. *De magiſtratuum officio;* 3. *De maleficorum ſuppliciis, horumque ſub euangelio mitigatione;* 4. *De ſubditis;* 5. *De cultu diuino et religione;* 6. *De bello et pace;* 7. *De foederibus;* 8. *De tributo et vectigalibus;* 9. *De mercatura et opificiis;* 10. *De cauſis conſeruantibus et corrumpentibus rempublicam.* Scopum, quem ſibi propoſuit, ita in concluſione p. 80. exponit: "Non ſolum vt conſtet, quid de ſocietatibus ciuilibus ſub euangelio exiſtentibus ſentiam; ſed etiam, vt ad amicam et Chriſtianam tolerantiam inuitarem nonnullos rigidos cenſores, qui ſine expreſſo euangelii mandato, imo contra tot clariſſimos euangelii textus, Magiſtratibus politicis, adverſus pertinaces maleficos, et quidem bonis in bonum, ab ipſo Deo gladio armatis, nullum in Dei et Chriſti eccleſia locum concedunt."

5. IEREM. FELBINGERI *demonſtrationes Chriſtianae, invictiſſimis teſtimoniis comprobantes I) Quod ſolus Pater Dni N. I. C. ſit Deus altiſſimus. II) Quod ſolus homo Ieſus Mariae filius ſit vnigenitus ac proprius Dei filius. III) Quod Spiritus Dei ſit virtus Dei. IV) Quod gratia diuina per fidem iuſtificati, teneantur vitam ſuam inſtituere ſecundum X. praecepta Dei et mandata Chriſti: Ex libris N. T. depromtae etc.* 1653. 4. *Vid.* quae de his referunt auctores *Relat. Innoc.* 1705. p. 589. Io. FABRICIVS l. c. p. 53. ſequentia habet: "In epiſtola ad Geneuenſes ac Wittebergenſes Theologos, recte quidem ait, piis ac fidelibus vnicum ſufficere ad credenda et facienda, verbum Dei; ſed inde vult inferre,

ferre, Deum altiſſimum non conſtare diſtinctis Perſonis ac Dominis; Patrem non genuiſſe ab aeterno ſibi Filium: Spiritum S. non proceſſiſſe ab aeterno, atque adhuc procedere a Patre et Filio: Filium Dei aeternum non aſſumſiſſe in Maria virgine humanam naturam, propria ſubſiſtentia carentem: Humanam Chriſti naturam mortuam eſſe, quieſcente verbo. Nec veretur porro ſcribere, complures mendaces doctrinas in eccleſiam irrepſiſſe et incrementa ſumſiſſe per doctorum Trinitariorum non ſolum proximarum aetatum; ſed vel maxime veterum illorum purioris adhuc eccleſiae inſcitiam et inſulſitatem; idque teſtimoniis quorundam Proteſtantium comprobare ſuſtinet. In fine opuſculi addit epiſtolam ab ipſomet ad G. CALIXTVM a. 1653. d. 8. Iunii ſcriptam, *(Coeslini)* in qua propoſitis vtriusque partis, Vnitariorum videlicet, ac Trinitariorum doctrinis, eum hortatur, det gloriam Deo, ſententiamque illorum amplectatur: de rudi autem tam Romano-Catholicorum, quam Proteſtantium plebe, quae in ſimplicitate adhaeret ſymbolo Apoſtolico, et chriſtianis precandi formulis, publicis etiam, quae *Collectae* dicuntur, vtitur, ſancteque viuit, ita iudicat, vt eos firmam eſſe columnam templi Dei fateatur. Huic epiſtolae ſubiungit excerpta ex duabus eodem fere tempore ad Io. MICRAELIVM (*Sedinum* 1654. *M. Iun.)* ab ipſo datis, in iisque ea, quae credit, falſa, quaeque Trinitarii credunt, vera eſſe, ex SS. literis ſibi poſtulat demonſtrari.".

6. Bekenntniß des chriſtlichen Glaubens herfürgegeben im Namen derer Gemeinen, welche in Polen einen einigen Gott und ſeinen eingebornen Sohn J. C. und den H. Geiſt öffentlich bekennen: aus dem

dem Lateinischen verdeutscht. 1653. 8. Versio est *Confessionis Christ. etc.* a IONA SCHLICHTINGIO editae, cui FELBINGERVS praemisit praefationem, et dedicationem D. IAC. FABRICIO, D. CHRISTIANO GROSSIO et IO. MICRAELIO scriptam. *Vid.* sub IONA SCHLICHTINGIO. Testatur in dedicatione FELBINGERVS, quod edita hac confessionis versione de Christo coram rudioribus ac idiotis testimonium dare voluerit, ad quem modum id iam fecerit coram eruditis, in *demonstrationibus Christianis.* Conqueritur insuper de persecutionibus, nec non de criminationibus et imputationibus aduersus dissentientes in religione, a ministris Ecclesiae publice pro concione effusis, et quod sibi commorandi in Germaniae terris locus non relinquatur, sed peregrinandi necessitas incumbat.

Aduersus hoc scriptum prodiit: **Socinianisch Glaubensbekenntniß derer Gemeinen in Polen, welches anfänglich Jon. Schlichting von Bukowiec nach dem** *Symbolo Apostolico*, **in Wahrheit aber wider den Apostolischen Glauben aufgesetzet, neulich Jeremias Felbinger aus dem Lateinischen ins Deutsche übersetzt, und herfürgegeben: Aus Gottes Wort geprüfet, und frommen christlichen Herzen zu trewer Warnung aufgedecket &c. durch** *Christianum* **Groß,** *D.* **Churfürstl. Brandenburg.** *General-Superint.* **in Hinterpommern, Colberg, gedruckt bey Heinrich Heysen,** 1655. 8. 13½ pl. Auctor quasdam particulas *epistolarum a Felbingero* ad se scriptarum inseruit, ex quibus indecens illius vehementia satis perspicue elucet. *Vid. Baumgartenius recens. Biblioth. Halens.* T. V. p. 520. *Io. Fabricius Hist. Biblioth.* P. VI. p. 470.

7. *Iere-*

7. *Ieremiae Felbingeri* Vorläuffer des Beweises aus den Büchern des A. T. daß allein der Vater unsers Herrn Jesu Christi der einige Gott sey, und daß der einige Mensch Jesus, sey Christus der Sohn Gottes, und der H. Geist sey die Kraft Gottes. 1654. 4. Scriptum hoc allegatur a Io. FABRICIO l. c. et simul notatur, in fine additam esse confessionem auctoris de Deo et Christo, quam, dictis Scripturae S. confirmatam esse, sibi persuadet editor.

8. *Explicatio locorum S. Scripturae tam V. quam N. Testamenti, quae ad probandum dogma Trinitatis afferri solent.* Versio est scripti Io. LVD. WOLZOGENII, inserti *Bibliothecae FF. PP.*

9. *Epistola ad* D. CHRIST. GROSSIVM, dat. 1654. 26. Martii, res domesticas concernens, inprimis cum coniux eum deserere voluerit. *Vid.* GROSSIVS l. c. *Cap.* I. §. 5. et 19. p. 10. et 29.

10. *Exemplum litterarum* IER. FELBINGERI ad BIDELLIVM *scriptarum, Dantisci* die 24. *Aug. St. vet.* a. 1654. adtextum est Io. BIDELLII duplici Catechismo, quem alio loco notauimus. Testatur in his FELBINGERVS gaudium suum de accessu BIDELLII ad eorum exercitum, qui aduersus Mysterium SS. Trinitatis et Deitatem Christi pugnant, et vt hoc animo strenue pergere, et placita suscepta non in *Anglia* modo, sed etiam in *nouo orbe* disseminare velit, eum multis modis adhortatur. Circa finem epistolae ita scribit: "Statum Ecclesiae nostrae prope *Dantiscum* cognoscere poteris ex reuerendo Domino ANDREA SANDOLANDIO, dilecto meo, per quem has litteras transmitto.

11. Antwort an *D.* Christ. Grossen, Superintendenten zu Colberg. 1655. 4. Est responsoria ad

*Grossii*

*Groſſii* epiſtolam FELBINGERO datam, poſtquam is *Coeslino* fuga ſemet auerterat.

12. *Epiſtolae ad* D. CHRISTOPH. PELARGVM. 1655. 4.

13. *Doctrina de Deo et Chriſto et Sp. S. ipſis Scripturae S. verbis ante paucos annos a quodam* DIVINAE VERITATIS CONFESSORE *in ſermone germanico concinnata, nunc vero in gratiam exterorum latine edita.* A. 1657. 8. Originale ſcriptum germanicum prodiit 1654. et 1667. 8. ac idem fortaſſis eſt, quod N. 7. allegauimus. In linguam latinam illud transtulit IOACH. STEGMANNVS, Iun. qui verſioni ſuum opuſculum adtexuit, ſub tit. *Disquiſitio breuis inter duas de S. Trinitate diſputantium partes; vtri tandem poſt longa certamina victoria tribuenda ſit?* per MAGNVM AMICVM HONESTI. *Vid.* PLACCII *Anon.* p. 106. N. 702. Gallice FELBINGERI libellus lucem adſpexit ex verſione GEDEON. CVRCELLAEI, *(Paſt. Remonſtr. Norderuic.)* 1657. 8. et Belgica verſio ſub tit. *De Leere van Godt, ende Chriſto, ende den H. Geeſt, (mitsgaders de voornaemſte Hooftucken des Chriſtelyken Geloofs) met eygentlyke Woorden der H. Schriftuur t'ſaamen geſteld.* 1657. 8. et cum *articulis fidei Chriſtianae* auctus. 1670. 8.

Oppoſuit huic ſcripto NICOL. LANGERHANS diſſ. *de myſterio S. S. Trinit. Tom. IX. diſpp. Gieſſenſ.* p. 698. inſertam.

14. *Lexicon graeco-germanicum ſuper N. T.* 1657. 12. Lugduni prodiiſſe notatur in *Catal. Biblioth. Io. Ern. Seileri*, *Gedani* 1709. p. 436. N. 344.

15. *De eerſte Onderwyſing van de Griekſe Spraack.* Lugdun. 1657. 8.

16. Das neue Teſtament, treulich aus dem Griechiſchen ins Deutſche überſetzet. Eine neue Ausfertigung,

gung, in welcher fleißiger als jemals zuvor in irgend einer Dolmetschung die mancherley Lesungen sowol aus geschriebenen als gedruckten Büchern vorgestellet, und die übereintreffenden Oerter der Schrift angemerket sind. Amsterdam, gedruckt bey Christoff Cunraden, Buchdrukkern, im Jahr 1660. 8. *pagg.* 714. et praef. 14. Teste REIMANNO in *Catal. Biblioth.* prohibitus quidem est libellus, sed eo auidius quaesitus a rei librariae peritis, et rariorum idcirco catalogo insertus. Auctoris equidem nomen non in rubro tituli, attamen in praefationis alloquio expresse legitur. Scripta vero est praefatio *Emdae* d. 3. Febr. 1660. An vero exinde satis certo colligi possit, librum hunc *Emdae* typis esse impressum, quod HEINSIVS in *Hist. eccl.* T. II. p. 416. perhibet, contrarium significante titulo; vel etiam *Emdae* ab auctore esse concinnatum, quod ven. MICH. LILIENTHALIVS in *Biblioth. exeget.* p. 102. indicat, dubitandum vtique est. Nullam FELBINGERVS versionem germanicam satis accuratam adhuc exstitisse venditat, ne quidem Racouiensi excepta, quam tamen respectiue optimam indicat, eamque saepissime sequutus est. Ipse opus hoc aggredi statuit, a nonnullis rogatus, vt versionem meliorem et omni modo absolutam adornaret. Cum in eodem verba et litteras textus authentici perfecte exprimere studuit, haud raro absonum ac ridiculum germanice loquendi ac scribendi modum prodidit, quem excusat, quod ipse textus graecus, ab vsitato graecorum scriptorum idiomate haud raro declinet, et quod in conficienda hac versione, editionem CVRCELLAEI, quae propter temerariam auctoris audaciam notata ab aliis est, adhibuerit. Quando in eadem praefatione eos in-

iniuriarum ac iniuſtitiae acerbiſſime accuſat, qui propter errores ab officio alios remouent; de ſemet ipſo vindictam ſumſiſſe videtur. Variantes lectiones, a Curcellaeo notatas, addidit et ad errores ſuſceptos adcommodauit, imo aliquando nouas effinxit. Loci paralleli magno numero ad marginem allegati, voces germanicae in ſenſus ſupplementum adhibitae typis latinis ſignificatae, et nomina propria pari modo, quo in textu graeco, expreſſa ſunt. In iſtis locis vbi textus graecus ſecundum litteram non efferri potuit, ſenſus paraphraſtice exhibitus eſt, notata litterali verſione in margine. Qua ratione familiae ſuae placita fulcire conatus fuerit, verſiones dictorum illis aduerſantium, e. c. *Io.* I. 1. ſeq. *Rom.* IX. 5. 1 *Io.* V. 20. *Iudae* 4. etc. teſtantur. *Io.* I. 1. ita transfert: Im Anfang war die Rede, und die Rede war bey Gott, und die Rede war ein Gott, dieſelbige war im Anfang bey Gott ꝛc. In dicto *Rom.* IX. 5. a Racouienſi verſione et a CVRCELLAEI textus graeci editione diſcedit, ponendo punctum in medio, hoc modo: Welcher SIND die Väter, und aus welchen der Chriſtus IST, nach dem Fleiſche. Gott der über alle iſt, SEI geſegnet in die Ewigkeiten. Amen. 1 *Io.* V. 20. Wir wiſſen aber, daß der Sohn Gottes kommt, und hat uns Verſtand gegeben, auf daß wir erkennen den Wahrhaftigen, und wir ſind in dem Wahrhaftigen, in ſeinem Sohne Jeſu Chriſto. Derſelbige Wahrhaftige, iſt der wahrhaftige Gott und das ewige Leben. Aliquando barbara ac inſolita adſciuit vocabula, e. g. Die Sohnſchaft; *Rom.* IX. 23. Die Verhauſung, *Matth.* I. 7. Der Tabbard, *Luc.* XV. 22. Einen bemaulkorben, *Matth.* XXII. 34. Plura exempla notarunt:

runt: REINHARTVS in *diss. alleg.* §. VI. X. XI. XIII. XXII. XXIX. GE. HENR. GOETZIVS, *in Ecloga theol. de versione N. T.* IER. FELBINGERI, *Lubec.* 1706. 4. ZELTNERVS, *diss. de nouis Bibl. germ. versionibus non temere vulgandis*, p. 15. CHRIST. KORTHOLT, *de variis script. edition.* p. 339. LE LONG, *Bibl. sacr.* T. I. p. 406. IO. FABRICIVS *Hist. Bibl.* P. VI. p. 381. *Vid.* Nachrichten von den Büchern in der Stollischen Bibliothec, T. II. p. 455. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. exeget.* p. 101. *Relat. Innoc.* a. 1707. p. 451. In praefatione FELBINGERVS docet, veritatem euangelicam multo purius hauriri ex fonte graeco, quam e cisternis latinis. Hominem germanum beneficio suae, neque vero demum peregrinae linguae, discere posse ac debere cum alias linguas, tum etiam artes ac scientias: nec hodiernas religionis controuersias esse pro pio Christi ciue, quippe quae minus sint necessariae, multaque peccata secum ferant. Versio polonica Socinianorum, quae prodiit *Amstel.* 1686. 8. ex hac versione *Felbingeriana* haud pauca mutuata videtur. *Vid.* RINGELTAVBE *Hist. Bibl. polon.* p. 41. et 166.

17. **Christliches Handbüchlein.** 1661. 12. Belgice sub tit. *Christelyck Handboeksken, Roterod.* 1675. 12. In hoc libello agitur: 1) De hominis creatione, lapsu et restitutione; 2) De susceptione paruulorum in coetum Christianum; 3) De Baptismo; 4) De disciplina eccles. 5) De Pedilauio Sacro; 6) De S. coena; 7) De prohibitione Iuramenti.

18. *In Catal. Biblioth. publ. Vniuers. Francof.* edit. a *Io. Christoph. Becmanno*, 1707. fol. p. 62. in recensione Catechesium Socin. allegatur: *Catechismus*, d. i. **Kurzer und einfältiger Unterricht von dem Bunde Gottes**

tes mit den Menschenkindern 2c. Auct. IEREM. FELBINGER, 1664. 12.

19. *Litterae ad* D. Io. AD. SCHERZERVM, *ſcriptae*, 1671. Meminit illarum SCHERZERVS in *Syſtem. theol. Loc.* XX. §. 4. p. 582. et in *Coll. Anti-Socin.* p. 1191.

20. IER. FELBINGERI *ad Chriſtianos, vnum altiſſimum Deum, Patrem Domini ac Saluatoris noſtri I. C. ſecundum ſacras ſcripturas V. et N. T. recte agnoſcentes, epiſtola, Amſtelod.* 1672. 4. atque iterum edita *Roterod.* a. 1681. 4. In hac, iudice Io. FABRICIO l. c. p. 53. SOCINI et eius diſcipulorum errores grauiores, ſuis ipſorum verbis notati, ſuccincte refutantur. Enim vero contra illos ſenſit: 1) Baptismum aquae Chriſto initiandis eſſe neceſſarium; 2) Chriſtum non demum in coelo, ſed in ara crucis ſeſe pro hominibus obtuliſſe; 3) Eundem regnum, quod exaltatus ad dextram Dei accepit a Patre coeleſti, non adminiſtrare tanquam Proregem et Vicarium, ſed vt Regem abſolutiſſimum et liberrime gubernantem; 4) Chriſtum aeque ac Deum Patrem, ad huius mandatum eſſe inuocandum; 5) Homini Chriſtiano licere magiſtratum gerere, et, ſi neceſſitas poſtulet, belligerare; 6) Etiam impios reſurrecturos ad iudicium; 7) Lotionem pedum aliorum hominum, ad mandatum atque imitationem Chriſti, eſſe faciendam, tanquam ritum, quotidianorum remiſſionem lapſuum obſignantem credentibus, qui iam ante in Chriſti nomen ſunt immerſi; 8) Chriſtianis non licere iurare.

Ex his omnino colligit FABRICIVS, apparere: FELBINGERVM non eſſe proprie *Socinianum*, ſed in quibusdam cum SOCINO facere, in aliis autem ab eo, atque ipſius diſcipulis recedere, easque opiniones, quas

deserit, pro perniciosis habere erroribus. Veri simile quoque videtur FELBINGERO, Christum, salutis nostrae Archiducem, nobis doctrinam saluificam, quatenus ad salutem consequendam, necessaria est, verbis et phrasibus vulgo vsitatis et claris proposuisse; ita, vt vel a mulierculis, piscatoribus et quibusuis aliis recte intelligi potuerit. Eos igitur, qui credunt, Iesum esse Christum, in ipsius verbis acquiescere, aduersus eum non disputare, non rixari, verbis eius nec addere, nec detrahere: fide duntaxat hic opus esse, qua doctrinam e coelo ad nos delatam apprehendamus, et veram esse firmiter credamus, nempe propter Magistri diuinam auctoritatem et virtutem.

21. In I. H. VON SEELEN *philocal. epist.* N. 82. p. 344. ex ep. IVST. IAC. MÜLLERI, (Pastoris posthac *Norimberg.* ad templum S. *Ioannis)* D. BEBELIO scripta, exponitur, qua ratione DAN. ZWICKERVS et IER. FELBINGERVS, per OELHAFIVM quendam (Pastorem deinde *Lauffensem)* litteras dederint, *Facultati Theol. Altorffinae* inscriptas, quibus quaedam scripta sua (inter haec ZWICKERI *Iosias N. T.)* adiunxerint, sibique expetierint, vt Theologi haec attente et absque praeconcepta opinione legerent, quae bona in iis fuerint, retinerent, cauerentque ne auctores conuitiis, calumniis, et persequutionibus opprimerent. Ad has litteras, teste ZELTNERO l. c. p. 1244. tantum abfuit vt Theologi Altorffini responsionem dederint, erroresque saepius refutatos nouo ac peculiari examine dignos iudicauerint; vt DÜRRIVS potius ex instituto potiora in *dispp. Anti-Soc. et Append.* solide refutauerit. Idem DÜRRIVS in *dispp. de Magistratu Christiano*, quae in opere eius alle-

allegato *Caput* XIII. abſoluit, teſtis eſt, FELBINGERVM, in ſcribendis litteris iſtis, calamum duxiſſe.

## CHRISTIANVS FENDIVS.

Illis merito accenſendus, qui aduerſus doctrinam de S. Trinitate et Chriſti ſatisfactione criminationes protulerunt. De eodem aliquando plura in *Hiſt. Socin.* Germaniac. *Vid. Additamenta ad Acta hiſt. Eccl.* T. I. p. 933-942. CHR. GVIL. FRANC. WALCHII *Comp. H. E. recentiſſ.* p. 273.

## FERBERINVS.

Nihil de eodem reſcire licuit, praeter quod a. 1637. in Synodo Racouienſi, Rectoratui Scholae Czerniechouienſis deſignatus fuerit. Inter eos, qui circa a. 1606-1609. colloquiis, ſeu exercitationibus theologicis in aedibus SMALCII interfuerunt, IOANNES FORBERIVS, ſ. *Forberinus* apud SANDIVM l. c. p. 175. vocatur, quod nomen, fortaſſe *Ferberinus* ſcribendum, et *Ioannes* vel pater vel agnatus noſtri videtur, cuius praenomen in *Actis MSSCC.* non notatur.

## THOMAS FIRMINVS.

Mercator quondam Londinenſis, qui etiam ſcriptis lingua anglica editis Vnitariorum et Socinianorum cauſſam defendit. De quo in *Hiſt. Socin. Anglic. Vid.* PFAFFII *Introd. in hiſt. Theol. litter.* P. II. p. 329.

## ISAACVS FOECLERVS.

In *Actis MSSCC. Focklerus* et aliquando *Voglerus* nomen eius ſcribitur, melius autem FOECLERVS, quod anagramma, quo vſus eſt, *Ius colo*, *fer caſus*, compro-

bare videtur. De illo plura expoſuit Io. MOLLERVS in *Cimbria liter.* T. II. fol. 197. Patria vel *Badenſis*, vel *Palatinus* fuiſſe et natus 1578. apud MOLLERVM l. c. perhibetur, quo loco, nec non in den Samml. von A. und N. 1738. p. 281. ſeq. et in GROSSENII Jubellexicon, T. III. p. 64. vitae eius fata narrantur. Poſt alia officia eccl. a. 1627. Paſtor Falckenſteinienſis et Superintendens dioeceſeos iſtius factus, a. 1633. a munere hoc dimiſſus, per triennium exſul fuit. Poſthac Superintendens Badenſis et Paſtor Durlacenſis, et in Gymnaſio huius loci Profeſſor linguae hebr. vocatus; his tamen muneribus iterum exutus; A. 1640. *Glückſtadium Holſatiae* conceſſit, ibidemque priuatus quorundam Patronorum, imo ipſius Regis Daniae munificentia, quibus ſe concionibus ſacris et dono proponendi maxime commendauerat, ſuſtentatus eſt. Hinc, palam facto ipſius in Socinianos fauore in Belgium ſe contulit, relictis *Glückſtadii* coniuge ſua et filiola. Inde a. 1643. in Poloniam demigraſſe videtur; eidem enim aduenturo, regimen ſcholae Vſzymirſcianae in Synodo Siedliſcenſi a. 1643. habita deſtinabatur, teſtantibus *Actis MSSCC.* ISAACVS quidam FOECLERVS, *Parochus prope Baſileam* et deinde *Superintendens Scopfenſis* HVNNII tract. *de S. Scripturae maieſtate* germanice translatum 1596. *Francof.* 8. edidit.

SCRIPTA:

1. Schediaſma vnius plagulae publicae luci commiſit, ſub titulo: *Sophronismus;* cuius tantum, vt ipſe auctor confeſſus eſt, quinquaginta exemplaria prelo exemta, et quibusdam in hiſce controuerſiis exercitatis viris exhibita, vt horum iudicium experiretur. In hoc ſcripto Socinianismum, clam hactenus in pectore occluſum ſatis manifeſto confeſſus dicitur. MOLLERVS l. c. narrat

rat *Sophronismum*, Christiano IV. *Regi Daniae* fuiſſe inſcriptum et 1642. editum, titulumque hunc indidiſſe, quod prudenter in illo, circumſpecte ac modeſte de Socinianis ſectisque aliis tuliſſe iudicium, fuerit perſuaſus. Teſtibus aduerſariis in hoc tractatu iſta tantum fidei capita, creditu ad ſalutem neceſſaria iudicavit, quae diſertis verbis in Symbolo Apoſtolico continentur, et quotquot normam hanc admittunt, pro orthodoxis, qui autem repudiant, aut heterogenea ſurrogant, pro haereticis eſſe habendos cenſuit.

Oppoſitum eidem eſt: *Examen et refutatio Sophronismi, quem nuper in gratiam Socinianorum euulgauit* Isaacvs Foeclervs, *Superintendens generalis Durlachenſis, ibidemque hebraeae linguae Profeſſor; in qua Socinianorum errores peſtilentiſſimi, quos Sophronismus tecte et aperte fouet, deteguntur et refelluntur a M.* Ioanne Rotloeben, *Reg. Mai. Dan. et Norueg. concion. aul. Glücksb. et Comitat. Pinneberg. Praepoſito. Lubecae* 1643. pl. 12. 4. Dedicatio Regi Daniae Christiano IV. ſcripta eſt d. 1. Decembr. 1642. in qua auctor Foeclervm degenerem filium D. Lvtheri, et *Sophronismum* ſine σωφροσυνῃ editum adpellat. In praefatione, quae verba Chriſti *Matth.* VII. 15. *Cauete vobis a falſis prophetis etc.* in aduerſarium adplicat, libellum ſuum in VI. partes diſtribuit his verbis: "*Primum*, titulum, quo ſcriptum indigitatur, examinabo: *Deinde* confeſſionem fidei, ſecundum quam *Socinianos* ſuos, Chriſtianos, Chriſti diſcipulos Deo credentes inſigniri vult, ponderabo. *Tertio* quinque regulas, quas in gratiam Socinianorum producit, perpenſitabo. *Quarto* errores duos ſecundum mentem Foecleri intolerabiliſſimos Socinianis aſſignatos conſidera-

derabo. *Quinto* scopum collustrabo; et *denique* extricationem ventilabo." Accusauit in hoc scripto Rotloebivs Foeclervm, quod in *Sophronismum* tanquam in compendium pleraque Socinianorum dogmata congesserit, ac ista omnia partim accepta reddere, partim vero palliare et doctrinam de Trinitate Christianam omnibus modis suspectam facere, sit conatus, imo quemlibet in sua religione posse saluari, neminem autem in eadem certum esse, statuerit.

2. Bescheidenheit, welche an Gottgläubige Christen nach einziger Richtschnur der H. Schrift gestellet und in Acht genommen hat Isaac Föcler, der Graffschaft Durlach General-Superintendent, und zugleich der Hebräischen Sprach alda Professor: Nunmehr Dennemark Königl. und Gräfl. Penzischer Freymildigkeit über drey Jahr zur Glückstadt in Holstein reichlich erhalten. 1642. 4. pl. 2. Msptum autographum huius nec non libelli N. 3. allegandi, tenuit Casp. Henr. Starck; *Vid.* Samml. von A. und N. 1738. p. 285. Directum hoc est aduersus Rotloebii *examen Sophronismi*, quamuis hunc non nominauerit.

3. *Sophronismi recognitio ad Serenissimum ac Potentissimum* Christianvm IV. *Daniae et Norwegiae, item Gothorumque Regem etc.* 4. pl. 2. In initio notauit se concinnasse opusculum hoc Amstelod. d. 1. April. 1643. *Mscpti* argumentum exponitur in den Samml. von A. und N. l. c. p. 286.

4. Christlicher Bericht, wie die Versehung Gottes und der erwehlte Mensch zu betrachten sey; mit angehengter *Recognitione Sophronismi*, wider M. Ioh. Rotloeben, *Glückstadii* 1643. 4. Allegatur in den Samml. von A.

und

und M. l. c. apud MOLLERVM l. c. et in IOECHERI Lex. quo loco alia quaedam FOECLERI ſcripta citantur.

5. *Iſaaci Foecleri, Diſterminator regiminis Eccleſiaſtici ac politici. Spirae* 1636. 8. Allegatur in IO. FRID. MAYERI *Catal. Biblioth.* p. 232. N. 106.

## WILDEBRANDVS FORKENBECIVS.

VAL. SMALCIVS in *diar. vitae* ap. ZELTN. l. c. p. 1194. eum vocat extraneum iuuenem, *Monaſterienſem Weſtphalum*, narratque, quod a. 1612. ad Socinianos Polonos acceſſerit, homo taciturnus et ſubdolus fuerit, et fratribus fere inſalutatis ante feſtum Barthol. diſceſſerit. Plura de eo ſciſcitari non datum eſt nobis. Quidam tamen IOANNES FORKENBECCIVS (fortaſſis WILDEBRANDI frater vel patruus) ab HOORNBEECKIO inter VORSTII diſcipulos numeratur, qui FAVSTI SOCINI librum: *Quod regni Poloniae ſubditi, Euangelici dicti, debeant ſe adiungere etc.* ſub titulo: *De officio hominis Chriſtiani, Franequerae* 1610. recudi curarunt.

## ADAMVS FRANCVS.

Natus a. 1590. A rectoratu ſcholae Racouianae, quo in munere IOACHIMO STEGMANNO ſucceſſerat, ad paſtoratum Claudiopolitanum admotus eſt, a. 1633. Profecturo Racouia in Tranſyluaniam iniunctum eſt, vt *refutationem refutationis Catechiſmi* STEGMANNI abſolueret, eamque quam primum Claudiopoli Racouiam transmitteret, vt reuiſio eius inſtitui poſſit. Obiit teſte SANDIO l. c. p. 141. a. 1656. annos natus 60.

SCRIPTA:

1. *Explicationes et Conciones in varia loca N. T. et alia non pauca MSS CC.*

2. Cum *Io. Stoinio* commercium epiſtolicum habuit, qui a. 1638. d. 24. Iul. ex Belgio epiſtolam ad eum miſit de florente ſtatu Sociniani coetus in Belgio, quam GEORG. RAGOZIVS, Tranſyluaniae Princeps intercipiens, miniſtris eccleſiarum Belgicarum transmiſit, referente BAYLIO in Diction. tit. SOCINVS Not. k. ex HOORNBEECKII *adparatu ad controu. Sociniſt.* et BENTHEMIO l. c. P. I. C. XIX. §. 31. p. 882.

## CHRISTIANVS FRANCKEN, VEL FRANCVS.

*Gardelebienſis*, *Palaeomarchicus*. Eius fata et religionis genus deſcripta leguntur in *vitis Philoſophorum Altorffin.* REIMANNI *catal. Biblioth. theol.* p. 654. ZELTNERI *hiſt. Crypto-Soc. Altorff.* C. I. p. 23. Not. a. et in HOORNBEECKII *adparatu* p. 32. Romae olim Ieſuita, deinde a. 1580. ad Euangelico-Lutheranos candide reuerſus videri volens, Altorffinam ſalutauit academiam, vnde, poſtquam iam aliquot in auditorio praelectiones publicitus recitaſſet, dimiſſus eſt. Non equidem conſtat FRANCKENIVM ſub id tempus aliquid adhuc Arianismi profeſſum eſſe; ea tamen haud dubie animo iam preſſit placita, homo omnium partium Planus; quae paulo poſt a. 1583. quo ſe Socinianorum ſcholae adiunxit, ita tamen, vt FRANCISCI DAVIDIS opiniones de Chriſto non inuocando, placitis F. SOCINI praetulerit. Circa annum 1584. Rectoratui ſcholae Chmielnicenſis admotus, poſtea in Tranſyluaniam conceſſit, ibidemque lectoris munere *Claudiopoli* ad annum vsque 1590. functus. Ob libros contra Trinitatem in lucem emittendos ipſe Polonia excedere coactus, typographo RODECIO officinae iacturam et vincula contraxit. *Vid.* HOFMANNVS *de typograph. Polon. et Lith.* p. 40. Tandem Antitrinitariorum caſtra deſeruit,

ſcruit, et *Pragae* inter Pontificios ſub exitum Saec. XVI. e vita exceſſit. Effigies eius ex collectione *Frid. Roth-Schöltzii* aeri inciſa form. 4. exſtat, adiuncto breui vitae curriculo, in quo tamen male Rector *ſcholae Schmidnicenſis* adpellatur et a. 1590. Claudiopoli mortuus perhibetur.

SCRIPTA:

1. *Reſponſio ad tres orationes* WARKOWICII Ieſuitae, quibus Regem STEPHANVM et *Senatores* ad Proteſtantes perſequendos incitát: ſub nomine NIC. REGII. *Vid.* PLACCII *Pſeudon.* N. 2292. p. 533.
2. *Breue colloquium Ieſuiticum, toti orbi Chriſtiano, et vrbi potiſſimum Caeſareae Viennenſi, ad recte cognoſcendam, hactenus non ſatis perſpectam Ieſuitarum religionem vtiliſſimum: habitum a S. Theologiae Doctore et Prof.* PAVLO FLORENIO, *cum* CHRISTIANO FRANCKEN, *Philoſophiae Profeſſore in Caeſareo Ieſuitarum Gymnaſio, Viennae* 1578. *XX. Ianuarii. Lipſiae* 8. pagg. 35. et dedic. 9. In fine legitur, *Lipſiae in officina typographica* IOANNIS RAMBAE. *Anno MDLXXX.* Tractatus, quem CHRIST. FRANCKEN PAVLO FLORENIO, per epiſtolam Lipſiae 24. Aprilis 1579. ſcriptam, dedicavit, argumentum titulus ſatis prodit. In dedicatione exponit, qua ratione a Ieſuitis et ex Viennenſi collegio hoc ipſo anno 1579. diſceſſerit, his verbis: "Abſoluto meo doctrinae curſu, *(Philoſophiam, quam in collegio hoc docendam ſuſceperat, intelligit)* valde ipſi *(Ieſuitae, inprimis Rector et Prouincialis ordinis)* de me ſolliciti et anxii, primo quoque tempore me in Italiam, inde vero in Hiſpaniam, vbi omnis mihi, ſi non ex ſocietate diſcedendi, at contra eandem pugnandi praeciſa foret occaſio, relegandum cenſent, tempusque

que idoneum et occasionem eiusmodi expectant, qua illectus potius, quam tractus aut coactus Romam vsque reduci possem. Quod cum praesentirem, id me scire dissimulans, flagitare illos coepi: vt mihi summis contemplandi docendique laboribus perfuncto ac propemodum exhausto, animi gratia domum Brunensem, Collegiumque Olomucense inuisere liceret, neque prius ab huiuscemodi destiti precibus, quam id, quod vellem, tandem impetrarem, vel ab inuitis potius extorquerem. Itaque duodecimo post emensum Aristotelicum labyrinthum die, ex Viennensi Collegio, ea, qua dixi, conditione dimissus iter *Brunam* et *Olomucium* intendi, omnem meam et Theologicam et Philosophicam, non parui momenti supellectilem, diligentissime illis ad reditum meum custodiendam relinquens; imo totum etiam, si haberem, mundum donare me illis malle cogitans, quam diutius apud eosdem manere. Neque vero reuerendi nostri Iesuitae, idem mihi, quod aliis solent, obiicere possunt, me non sincero ac religioso, sed ficto et explorandi animo ipsorum fuisse religionem ingressum, atque hanc ob caussam in eadem permanere non potuisse. Nam in primis ipsi fatentur, me pene puerum nullo simulandi artificio traditum ad suam religionem peruenisse, idque in prima statim probationis Romana domo ita crebris corporis voluntariis suppliciis testatum esse, vt ter vnico illo anno in febriculam inciderem etc."

Insertum quoque est Tomis *Rupell. de doctrinae Iesuit. praecipuis capp.* T. I. ex editione iterata 1589. 8. Praeterea *Basil.* ex officina PETRI PERNAE 1580. 8. prodiit. Dicata est haec editio IESV CHRISTO per epistolam *Basil.* d. 1. Octob. 1579. scriptam, quae ita inci-

incipit: "Quam huius inimici libelli sint potentes, quantoque astu ferme omnia prioris editionis exemplaria, meae conuersionis auctori PAVLO FLORENIO dedicata suppresserint, tu profecto, Imperator sapientissime, omnium optime nosti — — Quocirca huius editionis exemplaria Maiestati nunc tuae dedicare volui, omnipotenti, vt tuo praesidio fulta a crudelissimis inimicis defenderentur. Exstat quoque editio *Basil.* 1581. 8. cui PAVLI ALEVTII *ad Iesuitas epistola* est adtexta de qua vid. FREYTAGII *Adparatus litter.* T. I. p. 111. seq. et praefixo titulo: *Profana sectae Iesuiticae vanitas, Ambergae* 1611. 4. plag. 3. *Vid.* SALIGIVS l. c. T. II. p. 176. Anglicanae versionis W. C. (i. e. WILLIAM CHARIER) *Londini* 1580. meminit PLACCIVS in *Anon.* p. 514. N. 2010. Alia prodiit *Lond.* 1630. 4. allegata in *Catal. Biblioth. Bodlei.* T. I. p. 455. *Vid.* DAV. CLEMENT. *Biblioth. Hist. et Crit.* T. VIII. p. 454. seqq.

3. *Epistola, in qua deplorat suum a Societate Iesu et Ecclesiae discessum, eiusque fidem a se temere oppugnatam. Wirtzburgi* 1583. 4. Allegatur haec in APINI *vitis Professorum Phil. Acad. Altorff.* p. 53.

4. *Disputatio cum* F. SOCINO *de Iesu Christi cultu religioso*, habita 1584. De hac in vita F. SOCINI.

5. *Epistola ad Synodum fratrum Polonorum Wengrouiae celebratam*, agens de eadem materia: scripta 1584. MSC. Responsionem allegabimus sub tit. VITRELINVS.

6. *Libri contra Trinitatem impressi Cracouiae apud* ALEX. RODECKI. (circa a. 1585.) His SANDIVS addit: Propter quos FRANCKEN persequutionem; RODECKI vero typographiae amissionem et vincula passus est, de quo sub tit. FASSYTIVS. Iam antea RODECIVS in carcerem coniectus erat, quia typis exscripserat FRANC. DAVIDIS defen-

defensionem a PALAEOLOGO concinnatam. *Vid.* SANDIVS l. c. p. 59. Typographum hunc turpis lucri auidum fuisse, recte iudicat SCHWARZIVS *de vita et scriptis* DVDITHII, p. 83.

Aduersus allegatum FRANCKENII scriptum directum est opus, quod STAROVOLSCIVS in *Hecatont. Script. Polon.* allegauit, sub tit. IAC. GORSCII, *Praemunitio aduersus insanum dogma Arianum* CHR. FRANCKEN et aduersus eundem Apologeticum. Verus autem libri titulus est: *Pro tremenda et veneranda Trinitate, aduersus quendam Apostatam* FRANCKEN, *falso appellatum* CHRISTIANVM, *Apologeticus, siue Antichristianus. Colon.* 1585. 8. Allegatur quoque in *Catal. Biblioth. Bodlei.* p. 298.

7. *Recitatio praecipuarum caussarum, cur Christiani, cum in multis sint religionis doctrinis mobiles et varii, constantes tamen in tuenda Trinitatis confessione. Vid. sub tit.* SOCINVS.

8. Plura eius scriptis accensentur, e. g. *De bello in Turcas; Dolium Diogenianum; Typus veritatis conscientiarum; Analysis rixae Christianae, quae imperium turbat et diminuit Romanum. Prag.* 1595. 4. In *Catal. Bibliothec. Vniu. Francof.* BECMANNI allegantur: *De Idololatria a Soc. Iesu in Adoratione Panis et Vini commissa, Basil.* 1580. 8. *Disput. inter Theologum et Philosophum de incertitudine Religionis Christianae. Claudiop.* 1593. 4.

## IOANNES FRANCK.

Patria Dresdensis, a. 1612. in Poloniam venit, coetuique Sociniano se adsociauit, cui admodum gratus, ab hoc stipendio publico exceptus est. A. 1613. ministe-

nisterio ecclesiastico initiatus, Mesericensi coetui minister concessus est. Ab a. 1618. Gedanensium Vnitariorum curam habuit. Quas ad eum in hac statione GITTICHIVS dedit litteras, alio loco ex MSSCC communicabimus.

## DANIEL FRANCONIVS.

A DANIELE FRANCO, qui *de indicibus librorum expurgandorum disquisitionem* 1684. edidit, distinguendus. A Franconia patria sua cognomentum tulisse, probabile videtur ZELTNERO l. c. p. 1185. Not. a. VAL. SMALCIVS in diario apud ZELTN. l. c. eundem vocat fratrem in Domino charissimum, virum industrium et Collegam scholasticum. LVBIENIECIVS l. c. p. 249. virum pium et Poëtam celeberrimum nuncupat, ingentia vero eius ex priore vxoris marito CRAVSIO nati priuigni scelera ita narrat, vt non obscure patris, vel potius vitrici hinc ortam domesticam calamitatem deploret. Qua occasione, vnde, et quo tempore in Poloniam venerit, et ad Socinianorum coetum accesserit, a nemine adhuc, quantum scimus, expositum legimus. *Acta* vero *Synod. MSSCC.* de eodem referunt, quod Rector scholae eodem loco exstiterit, quo PISTORIVS in montibus Silesiae Tarnouicensibus coetui praefuit minister. A PISTORIO quoque ad coetum SOCINI dogmata probantem transire persuasus est, cum quo etiam eodem tempore, nimirum a. 1603. exsul factus in Poloniam se contulit. Circa a. 1609. praeceptor et collaborator scholae Racouiensis constitutus. Posthac extra Racouiam muneri vel Scholastico vel Ecclesiastico videtur admotus. Anno enim 1619. admonitus est, vt VOLKELII libros nitide descriptos Racouiam quam primum transmitteret. In *act. Synod. MSSCC.* FRANCKII nomen fert.

ANDRE-

## ANDREAS FRICIVS, *vid.* MODREVIVS.

## IOANNES GEISTERANVS, *f.* GEYSTERANVS.

*Batauus*, paſtor Eccleſiae Alcmarienſis; a. 1619. ob conſortium cum *Remonſtrantibus* munere exutus, a quibus tamen in nonnullis capitibus diſſenſit, ſtatuitque nec magiſtratum ciuilem, nec bella gerere, Chriſtiano eſſe licitum. *Vid.* epiſtola SAM. NAERANI ad CONR. VORSTIVM in *epp. Remonſtr.* N. 380. Eundem a. 1622. in Poloniam eſſe vocatum, *Sandius* l. c. p. 114. ſignificat. Offerebatur ipſi a RVARO munus ſcholaſticum, (forte Rectoratus ſcholae Racouienſis) quod vero recuſauit, et mechanicis potius exercitationibus vitam tranſigere, victumque iis acquirere maluit, quam ſtationem illam acceptare. *Vid.* Epiſtola GABRIELIS COENERDINGII ad RVARVM ſcripta, in huius epp. ex edit. ZELTN. p. 504. A patre ſuo *Euerardo Geiſterano*, ſemet adpellauit IAN EVERTSS. Frater PETRVS GEISTERANVS, quem SANDIVS l. c. Antitrinitariis accenſet, nunquam in Poloniam venit. Pater EVERHARDVS, ZELTNERO in not. ad RVARI epp. p. 503. videtur idem ille SPIRITVS BELGA fuiſſe, de quo in *narratione compendioſa* apud SANDIVM p. 216. ex ANDR. FRICIO MODREVIO, exponitur. Fuiſſe hunc ex conſortio *nouorum Prophetarum*, qui apud *Antuerpianos*, tempore exorientis in Belgio Euangelii, ſomnia ſua, et inter haec inprimis *Spiritum S. nihil aliud eſſe, quam noſtram rationem et intelligentiam*, prodiderunt, imo inter hos ipſum illum tumultuantem SPIRITVM, de quo LVTHERVS prolixe agit in epiſtola ad *Antuerpianos* a. 1525. ſcripta, ac inſerta operi epiſtolarum LVTHERI, per AVRIFABRVM collecto, Tom. II. p. 281. ſeqq. iterumque exhibita in ABRAH. SCVLTETI *Annal. Euang. Dec. I.* p. 320. ſeqq. et in DAN. GER-

GERDESII *Monumentis antiquitatis*, Tomo III. eiusdem *Historiae reformationis* adtextis, p. 62. seqq. suspicamur; sed de hoc argumento alio loco. Plura de GEISTERANIS habent, *Acta Dordrac.* et ZELTN. l. c. p. 326. In Synodo *Dordracena* Confessio duorum fratrum IOANNIS et PETRI GEISTERANORVM, ministrorum Remonstrantium —— praelecta fuit, et cum summa detestatione ab omnibus reiecta atque improbata, quum ex illa manifestissime adpareret, illos, sub nomine Remonstrantium, et sub praetextu quinque articulorum, horrendas atque exsecrandas SOCINI et *Anabaptistarum* blasphemias fouere, et in Ecclesias suas conatos esse introducere. Testantibus *Actis Synod. Dordrac. Vid.* N. 7.

SCRIPTA:

1. *Predicatie over 't ontset van Alkmaer, dedaan* 1618. 8. *Octobr. over Act. IX.* 31. *Mitsgaders 't Examen over hem, Ian Evertsz* GEISTERANVS, *gehouden in 't Consistorie* 1619. 11. *en* 12. *Mart. Gedruct* 1665 4. De hoc et proximo scripto N. 2. plura habet BENTHEMIVS l. c. P. I. p. 891.
2. *Idolelenchus*: qui adiungi solet hymnis THEODORICI RAPH. CAMPHVYSII, *qui carmen hoc Belgicis rythmis reddidit.* Ita SANDIVS librum allegat, p. 114. *Dirk* RAPHAELSEN CAMPHVYSEN *Stichtelyke Rymen om te Lesen of te Singen: ghedeelt in III. Deelen*, post obitum auctoris prodierunt, *Harlemi* apud Io. PASSCHIERS VAN WESBVSCH etc. 1632. pl. 8½. in forma oblonga Sedec. quam editionem SANDIVS sub CAMPHVYSIO p. 112. non allegauit. Ibidem in fine partis posterioris p. 257. reperitur canticum sub tit. *Aen I. G. over zyn Idolelenchus of Beelden-straf*, quod fortasse SANDIVS innuit.

innuit. Initium eius est: *Dichter, die de blinde Werelt, door een ongehoorde Leer, Haaren lieven dreck komt roeren, en durft tasten op haer seer; etc.*

3. *Verborum s. dictorum distinctio.*
4. *De dilectione.*
5. *De Magistratu.*
6. *Consensus Pauli et Iacobi.*
7. *Confessio in Synodo Dordracena exhibita* 1619. d. 24. April. legitur in *actis Synodi Dordrac.* Seff. 138. p. 386. seqq. edit. Hanou. 1620. 4. SCHERZERVS in *syst. theol.* Loco XX. §. 1. p. 573. eam allegat, quatenus GEISTERANVS scribit: "An aliud corpus, quam iam est, et an eadem corpora substantia sint resurrectura, se nescire." In articulo *de diuinitate Christi* eam allegauit MART. THALYAEVS in *Anat. Samosat.* p. 5. Ratione *Paedobaptismi* allegatur in GVIL. WALLI *hist. Paedobapt.* T. II. p. 371. Vtriusque GEISTERANI haec de Paedobaptismo confessio fuit: "Infantes non baptizari speciali aliquo Dei mandato de infantibus baptizandis, sed ad scandalum euitandum, maioris autem se facere baptismum adultorum, quam infantum."

## STANISLAVS GEIZANOVIVS.

In *actis MSSCC. Synodi Kisielinensis* a. 1638. pluribusque aliis locis EXSVL vocatur; quae vero ipsi patria fuerit, non constat. A. 1634. scholae Kisielinae praeceptor admotus, ipseque vt ad studium Theologicum omnem conuerteret industriam admonitus est. A. 1643. coetui Berescensi minister destinatus, eiusque inauguratio ad ministerium Eccles. decreta est. An STANISLAVS, GEIZANOVIORVM, quorum in *actis* conuentus Czarcouiensis a. 1642. fit mentio, maior fuerit, certo a nobis statui nequit. *Iu-*

*nior*

*nior* tamen iſte fuiſſe videtur, qui a. 1640. nondum muneri cuidam admotus, vel ſumtibus publicis, vel priuatis beneficiis ſuſtentatus, et a. 1643. ſcholae Vſzymirſcenſi praepoſitus eſt. Ab hoc ſane diuerſus eſt Georgivs.

## GEORGIVS GEIZANOVIVS.

Vel Senioris, vel Iunioris filius, qui narrantibus *Actis MSSCC.* a. 1646. in numerum alumnorum et in ſcholam Lucłauicianam ex decreto conſeſſus Dazuienſis ſuſceptus eſt. Idem a. 1654. Stegmanno ad coetum Siedliſcenſem cooperarius conceſſus eſt; anno vero ſequente in Germaniam eo fine miſſus, vt proſequeretur ſtudia et addiſceret linguam teutonicam. Idem fortaſſis eſt Geizanovivs, qui a. 1662. poſt vniuerſale exſilium in conſeſſu omnium, qui in Polonia habiti ſunt, vltimo, iuſſus eſt apud Pokomorscivm *Kiiouienſem* ſubſiſtere. Idem quoque videtur, de quo 1687. in *actis MSSCC.* Synodi *Selchouiae* habitae legitur, quod poſt inſtituta ſaepius in Poloniam itinera, tandem ibidem miſere perierit.

## FABIVS GENGA.

Italus, Favsti Socini partibus addictus, quod ipſe Socinvs teſtatur in epiſtola ad Everhardvm Spangenbergivm *Claudiopolim* ſcripta, Cracouiae d. 14. Martii 1593. in Epp. F. S. p. 606. ex qua ſimul colligimus Gengam maxime in Tranſyluania hoc tempore vitam traxiſſe.

## IOANNES VALENTINVS GENTILIS.

Fuit is princeps inter Tritheitas recentiores, qui, vt Stancaro obuiam irent, teſte Simlero in praef. l. c. docuerunt: "Chriſtum, qua Deus eſt, Patre minorem eſſe,

ideoque secundum eam naturam pro nobis intercedere: neque Patrem et Filium atque Sp. S. esse vnum Deum; sed esse horum perpetuam quasi diuisionem, et tres prorsus Spiritus, e quibus solus Pater sit ἀγεννητος et vnus Deus; Filium vero et Sp. S. duos esse Spiritus, a summo illo vno Deo Patre essentiatos, et ab eo dependentes. Fata et specialiora eius placita alio loco susius a nobis exposita sunt.

SCRIPTA:

1. *Confessio de Trinitate: cui praefixa est* PRAEFATIO, sub THEOPHILI *Typographi nomine ad filios Ecclesiae; illi additae* PROTHESES ex AVGVSTINO *et criminationes* in ATHANASIVM. *Impressa Lugduni*, licet *Antuerpiam* praeferant. 16ma. Teste SANDIO l. c. p. 26. 27.

Aduersus *Gentilem* scripserunt praeter IOSIAM SIMLERVM, 1) BENED. ARETIVS, sub tit. VAL. GENTILIS *teterrimi haeretici, impietatum ac triplicis perfidiae ac periurii explicatio ex Actis publicis Senatus Geneuensis, adiicitur historia, quod iusto capitis supplicio affectus fuerit: et contra eiusdem blasphemias defensio articuli de S. Trinitate. Geneu.* 1567. 4. quae adtexta est *LL. CC.* ARETII p. 1077. *Vid.* DAV. CLEMENT *Biblioth. hist. et crit.* T. II. p. 47. 2) GILB. GENEBRARDVS *de S. Trinitate Libb. III. contra huius aeui Trinitarios, Antitrinitarios et Autotheanos. Paris* 1569. 8. quem insectatus est LAMB. DANAEVS. 3) ALEX. ALESIVS in libro: *Assertio doctrinae orthodoxae Ecclesiae catholicae de S. Trinitate, cum confutatione erroris* VAL. GENT. Geneuae 1564. 8. 4) IO. WIGANDVS *de Deo, contra Arianos nouos in Polonia ortos etc.* 5) ER. GLICZNERI *Societas et Symbola doctrinae et morum*

ARII

ARII et TRIDEITARVM *modernorum* ARIANORVM, *eorum, qui* VAL. GENTILIS *dogma de veneranda Trinitate disseminant hinc et inde: quibus opponitur castitas et candor, in huius abstrusissimi articuli fide, verae Ecclesiae.* 2 *Pet.* II, 1. 1565. 4. pl. 3. *(Francof. ad Od.)* 6) HENR. MOELLERVS in oratione Wittebergae 1572. habita et inserta Tomo VII. *orationum Scholae Melanchthonianae etc.* p. 164. seqq.

2. *De Christi incarnatione libellus. Ital. et lat.* allegatur in C. FRISII *epit. Biblioth. Gesner.* p. 809.
3. *Confessio Illustr. DDn. Geneuensibus oblata.* A. 1558.
4. *Altera confessio, iussu Illustr. DDn. eorundem exarata* 1558. Inserta est actis GENTILIS p. 3-13.
5. *Antidota.* Ad defendendam alteram confessionem scripta.
6. *Carmina MSSCC. de Trinitate.*
7. *Protheses ex* AVGVSTINI *libb. XV. de Trinitate.* Insertae sunt BLANDRATAE operi, *de falsa et vera vnius Dei P. F. et Sp. S. cognitione,* L. I. C. VI. *Vid.* SANDIVS l. c. p. 27. et 31. Videntur istae scripto N. 1. allegato adtextae.
8. *Liber ad Regem Poloniae,* (non editus) allegatur in FRISII *Epit. etc.* p. 809. et in SIMLERI tr. *de aeterno Dei Filio et Sp. S.* p. 266. 277. etc. Argumentum exposuit SANDIVS l. c. p. 27.

## DAVID GEORGIVS, *vulgo* IORIS.

Fanaticis et malesanis Anabaptistis proprie accensendus, non tamen Antitrinitariorum numero eximendus, quamuis ei locum inter hos non assignauerit SANDIVS. De eius fatis placitis et scriptis plura in *historia nostra* alio loco. *Vid.* DAVIDIS GEORGII *vita doctrina et historia per*

*Rectorem et Academ. Basileensem conscripta, Basil.* 1559. 4. CAR. GOTTL. ZEIDLERI *Historia* DAVIDIS GEORGII *eiusque asseclarum, Lips.* 1701. 4. CHR. THOMASII *Hist. Sap. et stult.* T. I. p. 63. seqq. DAN. GERDESII *Hist. Reformat.* T. III. p. 116. seqq. Effigiem eius, quae etiam reperitur in libro, cui titulus: *Apocalypsis insignium aliquot Haeresiarcharum etc. Lugd. Bat.* 1608. 12. GERDESIVS aeri incisam exhibuit, cui haec adscripta leguntur:

*Dauid Georgius*, vulgo *Iorissen.*

*Si, quisnam fuerim, rogitas? Cui visus ego, illi*
*Pestis et inuisus* HAERESIARCHA *fui.*

## MICHAEL GITTICHIVS.

Ipse nomen suum scripsit GITICHIVS. F. SOCINVS GVTICHIVM, reliquosque commensales VALENT. RADECII in ep. ad hunc, d. 23. Noubr. 1603. scripta, salutare iubet. Vulgo VENETIANVS cognomento dictus, ita quidem vt omisso saepius GITTICHII nomine, semet ipsum VENETIANVM in epistolis subscripserit, et id quidem a genitoris sui patria, quamuis DINNERVS in ep. a. 1609. scripta ap. ZELTNERVM, patrem *Germania* ortum fuisse perhibeat, aliamque cognomenti huius rationem adferat, his verbis: Dessen (MICH. GITTICHII) Vater ein Teutscher Matthias Güttich genannt, und des Herzogen zu Venedig Aloysii Mocoenici Medicus gewesen, hernacher aber aus Ursach, daß ihm der Pabst nachgestellet, in Polen geflohen, alda er sich mit einer Pollackin verheyrathet, und diesen Sohn mit ihr gezeuget, daher sich der Sohn noch uff den heutigen Tag VENETVM (vel potius *Venetianum*) zu schreiben pfleget. Patriam *Michaelis* Venetias fuisse et LAVTERBACHIVS et LAMIVS in *Hist. Socin. gall.* praeter veritatem prodiderunt; nec verum est, quod hic perhibet,

MICHA-

MICHAELEM GITTICHIVM sub religionis specie patriae Venetae vale dixisse et in Poloniam commigrasse. Extra omne dubium videtur esse positum, MICHAELIS patrem *Venetiis* natum, ex Italia in Poloniam, quo in regno sceptra eius tenente Rege SIGISM. AVGVSTO *Itali* admodum accepti erant, commigrasse, vel ad aulam Regiam et ad custodiam corporis Regii inuitatum esse, vel ex insidiis Romani Praesulis fuga se eripuisse, eiusque filium in Polonia, vel potius Litthuania ex matre Polona, quam sibi pater matrimonio iunxerat, natum, eo modo VENETIANVM esse adpellatum, quo LIBERTINI olim latinis cognominati sunt, qui patre LIBERTO, i. e. seruo antea, sed manu misso, geniti, pristinae sortis monimentum in ipso hoc nomine retinebant, sentiente ita ZELTNERO l. c. p. 79. Qua ratione a teneris in paternis aedibus educatus, et primis quidem adolescentiae annis satis liberaliter habitus sit, ipse ad RVARVM perscripsit. Non tamen ab ipso iam parente aliquid alieni a veritate erroris hausit; imo potius ex parente Euangelico se natum esse expresse testatur, in epistola ad NICOL. HARDERVM quam ex *Mspto* exhibituri sumus. In schola Koklioniensi litteris imbutus, eo vsque iam aetatis anno vndeuicesimo, rariori sane exemplo profecit, vt cum sacerdote pontificio haud inerudito in certamen *de purgatorio* descendere ausus fuerit, hominemque diu reluctantem de errore conuicerit. In Transyluania aliquamdiu cum VAL. RADECIO vixit, eiusque consuetudine familiari et conuictu vsus est, teste SOCINO in epistola allegata. Positis hoc modo *Claudiopoli* litterarum fundamentis, hinc eodem anno 1603. quo SOCINVS epistolam scripsit, in Poloniam rediit, et scholae Racouiensis collega constitutus, cui muneri vsque ad a. 1607. praefuisse videtur, quo anno *Altorffium* commigrauit vna cum

IO. A WOINAROWA WOINAROWSKI, nobilis Poloni filio, cui ſtudiorum morumque Ephorus praefuit. Ex hac Academia, in qua complures erroribus ſuis imbuit, (*vid.* ZELTNERVS l. c. p. 446.) Curatorum eius iuſſu, quibus vt homo haereſi deditus, improboque adfectu in propugnanda illa agitatus, tandem innotuerat, diſceſſit, ſub exordium anni 1610. De ſtudio ac moribus GITTICHII, iſto inprimis tempore cum in Altorphina Academia verſaretur, ita DINNERVS in ep. allegata ad Scholarchas iſtius Academiae a. 1609. d. 30. Decembr. ſcribit: Sein Lehr betreffend, beſtehet dieſelbe vornemlich in zwey Irrthumen, iſt eigentlich nicht arrianiſch, ſondern noch ärger, und aus vielen unſern Vaterland Gottlob! unbekannten haereſibus zuſammengeſticket, weillen derſelbe erſtlich den Sohn Gottes (quod horreſco referens) ſeine Gottheit tam in tempore, quam ab aeterno ganz und gar abſchneidet und verleugnet, und in dieſem Fall eben dasjenige, was Machomet von unſerm Seligmacher Chriſto hält und lehrt. Zum andern, ſo ſtreitet er auch contra ſatisfactionem Chriſti pro peccatis noſtris, will nit zugeben, quod Chriſtus pro nobis paſſus ſit. In welchem Punct er ſich, wie ich vermeine, groſſer Sophiſterey gebraucht, und deswegen mit den Jeſuiten zu Jngolſtadt communiciren wollen, welche ſich aber mit ihm in kein diſputat, et recte, quia contra negantem principia non eſt diſputandum, einlaſſen wollen. Als er auch mit dem Pfarrer zu Hagenhauſen, des erſt bemerkten halben de diuinitate filii Dei zu conferiren, und ſeine Meinung zu entdecken angefangen, iſt er von ihm, wie ich glaubwürdig berichtet worden, mit dieſen Worten, vade poſt me Satana, abgewieſen worden. — — Sein Leben bei uns belangent, iſt daſſelbe äuſſerlich davon zu urtheilen, allerdings unſträflich, denn er bei uns nur drittehalb Jahr lang ſich aufgehalten. In welcher Zeit er ſich dermaſſen

embſig,

embſig, fleißig, nüchtern, und beſcheiden erzeigt, daß ſich ſo- wohl ſeine Koſtherren, als alle andere, darüber höchlich ver- wundert; enthaltet ſich des Weins gänzlich, wiewolln er von Natur kein abſtemius, daß wol geſaget werden kan, quod homo hic ſobrius ad oppugnandam Maieſtatem Dei ac- ceſſerit. Sonſt hat ſich derſelbe ſonderlich auf das ſtudium philoſophicum gelegt, in welchem er, wie auch in allen an- dern ſcientiis und artibus dicendi treflich beſchlagen, geübt und beredt iſt, daß ſich zu beſorgen, wenn dieſer Mann bey ſeiner gräulichen verſtockten haereſi und bei Leben bleiben und keines beſſern unterrichtet werden ſollt, er mit ſeinem geferb- ten Wandel, und ſpitzigen argumentis, viel einfälltige Chri- ſten irr machen, und vielleicht, (wie dieſer Flattergeiſter Art iſt) ſich eines Anhanges in dieſen Landen berühmen möchte rc. Ipſam aliquando Academiam Ingolſtadienſem GITTICHIVM, ad augendum Socinianorum numerum eſſe ingreſſum *Zeltnerus* teſtis eſt. A. 1611. menſe Sept. in Synodo Ra- couiae habita miniſterio eccleſiaſtico initiatus, teſtantibus *Act. Synod. MSSCC.* Ab iſto tempore ad *Nouogrodecium* Litthuaniae in agro RAPHAELIS KOSII, nobilis Poloni, coetui Socinianorum non frequenti praefectus eſt, quod ipſum SONERO per epiſtolam nuntiauit. Ex hoc agro *No- vogrodecium* ſe contulit, ibidemque haereſin publice do- cuit, exactus vero inde a. 1618. in praedio tamen *Koſiano* et vicinia vrbis, placita ſectae ſuae profiteri non intermi- ſit, ibidemque complures annos ſubſtitit. Ex *Koſiano* enim a. 1642. epiſtolam ad RVARVM perſcripſit, in qua de HVG. GROTIO iudicat, in epp. RVARI Cent. I. N. XCIII. ex cuius ſubſcriptione patet, GITTICHIVM iſto tempore in aedibus Generoſi viri D. R. KOSI vixiſſe, coetumque, quem Eccleſiolam vocat, non adeo numeroſum exſtitiſſe. In matrimonium duxerat viduam, ſex liberorum matrem v.

*Epp.* RVARI Cent. II. p. 132. cum qua tamen ipſe filium procreauit, quem Synodus *Czarcouiae* a. 1642. habita, cura ſua complexuram eſſe declarauit, eundemque Synodus Siedliſcenſis a. 1644. in alumnorum numerum ſuſcepit. Quae *Gittichius* fata coram Tribunali Lublinenſi expertus fuerit, cum a Ieſuitis fuerit accuſatus; quod pro GVSTAVI ADOLPHI Sueciae Regis felici ſucceſſu preces pro concione fudiſſet, LVBIENIECIVS l. c. p. 258. coll. p. 242. prolixe enarrat, qui eum appellat Eccleſiarum Litthuanicarum Paſtorem fidiſſimum, virum rara eruditione et morum grauitate conſpicuum, eumque tanto adplauſu concionari ſolitum, teſtatur, vt in maximo auditorio pridie ipſa Pentecoſtes feria ſacram habens concionem, cum nec conclaue ſpatioſum, nec pergulae ſufficerent, paries intergerinus remotus, maximae panegyris locum fecerit.

Conſtituit a. 1614. Synodus eum ex Litthuania, quo loco tantum commodi vniuerſae ciuitati Socinianae conciliare non potuit, quantum ex ſententia Synodi pro donorum et eruditionis copia praeſtare capax fuerit, in Poloniam reuocare, vbi latiſſimus ipſi campus pateret; ſed coetus Litthuanici, inprimis Nouogrodecenſis rogarunt, vt ipſis diutius concederetur, quorum petitis tandem Synodus adnuit. LICINIVS collega *Gittichii* propter ebrietatem a munere eccl. cui in Litthuania praefuit, remotus et excommunicatus, aliquando *Gittichium* coram Synodo accuſauit, in qua tamen cauſſa hic ſuperior ſtetit, coetuumque Litthuanicorum ſententia, quae LICINIVM remouendum et excommunicandum ſtatuit, a Synodo a. 1630. adprobata et confirmata eſt, quod in *Act. MSSCC. Synod.* fuſius exponitur.

ALB. GRAVERVS in *dedicat.* praemiſſa *diſſ. theologg. de errore circa doctrinam de ſatisfactione Chriſti*, eum vocat

cat Photinianum acutiſſimum. Quanto fuerit ingenio et opinionibus ſuis tam defendendis obſtinato, quam diſſeminandis mirum in modum dedito, ex epiſtolis Io. ZABOROVII, AD. PLANCI et GE. REMI, quae in libro *de ſatisfactione Chriſti* a LVCIO typis ſubiecto, excuſae ſunt, et apud ZELTN. l. c. p. 81. ſeqq. inſertae, aliquo modo colligi poteſt. Non iis tantum accenſendus, qui hoc in coetu rigoroſiores erant, ſed quoque iis, qui niſi, quod ipſi faciunt, nihil rectum arbitrantur, quod ipſius *de ieiunio* diſputatio cum RVARO in huius *Epp.* praeter alia innumera documenta comprobant. Eundem primas lineas duxiſſe indicis abſtruſiſſimorum vocabulorum ac nominum, quibus Sociniani res et perſonas ciuitatis ſuae occultarunt, vel ſaltim eumdem, conſilium, hoc ſcriptionis obſcurae genere vtendi, ſubminiſtraſſe, ZELTNERVS notauit, qui hunc indicem a Io. MOELLERO in *Homonymoſcopia* primum in lucem editum, ſupplementis et explicationibus amplificatum hiſtoriae ſuae inſeruit p. 157. ſeqq. Obiit teſte *Sandio.* 1654. poſtquam haud paucis libris, qui vero non omnes lucem viderunt, coetus ſui commoda promouere ſtuduerit, quod ipſe fatetur in ep. ad Io. CRELLIVM d. 13. Ian. 1623. ſcripta.

SCRIPTA:

1. *Loci communes ex omnibus ſcriptis Vnitariorum, ordine alphabetico. MSC.* grande volumen *fol.* Idem ſine dubio opus, cuius in *actis* conſeſſus Raſzcouienſis a. 1650. fit mentio ſub titulo: *Promtuarii theologici*, quod, vt RINIOVICIVS proxime ſecum ferat, in eodem conſeſſu ſtatutum eſt. In Czarcouienſi a. 1654. IOACH. STEGMANNO iniungebatur, vt *Venetiani Promtuarium*, Bibliothecae, quam ſatis numeroſam in Polonia collegerunt Sociniani, (de qua alio loco) publicae inſereret.

2. *Epistolae*, quarum meminit ALB. GRAVERVS in praefat. ad *Examen praecipuarum Sophisticat. recent. Photinian. in explicat. cap. I. ep. ad Hebr.* fol. A. 2. b. quas LVDOV. LVCIVS, vt statim dicetur, Basil. 1613. publicauit.

3. *De grauissima quaestione: Num Christus pro peccatis nostris iustitiae diuinae satisfecerit, nec ne? Inter* MICHAELEM GITTICHIVM *Socinianum et* LVD. LVCIVM, *orthodoxum, scholastica et epistolica disceptatio.* Basil. 1613. 12. die XII. Maii, altera editio 1621. 12. et tertia 1628. 8. cui opusculo adtextae sunt epistolae IAC. ZABOROVII, AD. PLANCI et GE. REMI, D. et Consiliarii Noribergensis, ex quibus disputationis huius historia et differentium argumenta colligi possunt, a ZELTNERO l. c. p. 81. in extenso repetitae, qui quoque plura et de hoc opere, et de LVCIO Socinianorum aduersario celeberrimo exposuit p. 258. seqq. GRAVERVS in ep. dedic. editionis secundae, scripta 1613. inquit: "Prodiit hoc anno scholastica et epistolica disceptatio MICH. GITTICHII, Photiniani acutissimi, et LVDOVICI LVCII, Caluiniani Basileensis, in qua vterque mei mentionem facit, ita, vt hic me calumniae, ille vero consensus cuiusdam cum Caluinianis accusset. — — — GITTICHIVM, quod attinet, natione, vt intellexi, Venetum, officio autem Polonum, gloriatur is, quod in iis, quae in Dn. PARAEVM scripsit, mea etiam argumenta, *(nimirum pro satisfactione per Christum praestita)* quibus in hisce dissertationibus fui vsus, solide confutauerit, adiiciens, quod nostrae et Caluinianorum responsiones congruant, ita, vt qui vnum refutauerit, omnes refutauerit. Verum ea, quae GITTICHIVS Dno PARAEO opposuit, in hunc vsque diem videre mihi non licuit, ideoque quid virium habeant,

beant, dicere nequeo. Si vero meliora non ſunt, quam quae in epiſtolis ſuis LVCIO oppoſitis, attulit, me non feriunt etc." GITTICHIVS peculiare aduerſus LVCIVM opus concinnauit, quod typis exſcriptum non videtur. In Synodo Lublinenſi 1610. habita ſtatutum eſt, vt liber GITTICHII aduerſus LVCIVM et GRAVERVM imprimeretur, praeuia tamen quorundam cenſura, quod a. 1611. in Synodo Racou. repetitum legimus. In Synodo autem Racou. 1612. d. 28. Maii habita decretum eſt, niſi auctor concederet deleri et mutari loca, quae ſcripti huius reuiſores MOSCOROVIVS, GOSLAVIVS et SMALCIVS delenda et corrigenda iudicauerint, typis exſcribendum non eſſe.

4. *Reſolutiones variorum Scripturae S. locorum et lineamenta concionum, in gratiam ſtudioſorum Theologiae ducta.* Praefixum eſt eis anagramma onomaſticum: A IHESV IVGE CLEMENTIA CINCTVS. Coeptae ſcribi 1640. 3. Febr. finitae 1641. 25. Mart. MSC. teſte SANDIO p. 109.

5. *Epiſtola de Chriſto, an habeat idem numero corpus, quod habuerit in terris.* Scripta Nouogrodeci 1613. 16. Noubr. ad Io. CRELLIVM. Digna lectu videntur, quae GITTICHIVS cum CRELLIO de Chriſti et reſuſcitatorum omnium in coeleſti vita vel vnitate, vel diuerſitate numerica, vbi *Gittichius* aduerſus communem Socinianorum doctrinam, eosdem eſſe tuetur, CRELLIVS vero inficiatur, vterque vero philoſophicae haud contemnenda eruditionis ſpecimina, SOCINI tamen placitis admixta expoſuit. Ita autem *Gittichius* inquit: "Quae ergo vtilitas, vt ego iam laborem et patiar, ob Euangelium, ſi alius quispiam accepturus eſt." Inſerta haec ſunt CRELLII excerptis, in *Biblioth. FF. PP.* Vol.

IV.

IV. f. 538. *Vid.* SCHERZERI *Syſtem. Theol.* Loc. XX. §. 4. p. 580.

6. *Concio ex Pſalm.* 146. *quam habuit* MICH. GITTICHIVS, VENETIANVS 1615. 16. *Ianuar.* (*Siniſtro pede fracto recepto ad priſtinam integritatem, ſingulari diuina clementia reſtitutus: ex variis tricis expeditus: variisque beneficiis, qua animum, qua corpus, cumulatus: pro tot tantisque coelitus in ſe collatis meritis, diuinam erga ſe benignitatem et miſericordiam celebrans, gratumque et grates hilari pectore agentem ſuum animum coram Deo et Domino noſtro I. C. ad ipſius nominis gloriam ſupplex effundens*) *in ſuis nuptiis cum* SVSANNA MASLOWNA, *vidua, ab integerrimo viro, oſore impietatis acerrimo, et amore diuinae gloriae quam maxime propagandae flagrantiſſimo, ciue Eccleſiae Chriſti deſideratiſſimo, Domino* IOACHIMO KOCHIO, *pharmacopola Nouogrodecenſe, A.* 1613. 21. *Dec. pie in Chriſto defuncto, relicta. Typis* PETRI BLASTI. 4. pl. 4. (Vilnae vel Nouogrod.)

7. *Index nominum Crypticorum, occultandis perſonarum locorumque vocabulis ab* VNITARIIS *adhiberi ſolitus, auctus a* IOACH. PEVSCHELIO. *Vid. Zeltn.* l. c. Cap. II. p. 157. ſeqq. Indici huic a *Zeltnero* aucto, quaedam addi poſſunt ſupplementa, qualia nos attulimus ſub MELANDRO et VIGILIO, aliisque locis.

8. *Epiſtola ad* MART. RVARVM de GROTII COMMENT. ad LL. N. T. *de Antichriſto.* Scripta 10. *Nou.* 1642. Inſerta RVARI *Epiſtolis Cent. I.* Ep. LXI. Quod cum RVARO perpetuum ſeruauerit commercium epiſtolicum GITTICHIVS, octo epiſtolae inter Ruarianas ex edit. ZELTN. p. 228. 229. 328. 334. 338. 347. 350. 370. comprobant. Haec, quam allegauimus, reſpicit GROTII com-

*commentationem ad loca quaedam N. T. quae de Antichristo agunt, aut agere putantur, expendenda eruditis. Amstel.* apud Io. et CORN. BLAEV. 1640. 8. pl. $3\frac{1}{2}$. absque addito auctoris nomine. V. PLACC. *anon.* N. 614. p. 72. Expenduntur dicta 2 *Thess.* II. 1-13. 1 *Io.* II. 18-24. IV. 1-5. *Apoc.* XIII. 1-18. XVII. 9-18. Recensetur opusculum in *Relat. Innoc.* 1720. p. 44. STEPH. CVRCELLAEVS aduersus illud quaedam monuit in GROTII *Epp. ad Gallos* (Lugd. Bat. 1650. 12.) Ep. 198. p. 461. ad quae GROTIVS l. c. ep. 199. p. 464. respondit. Meminit quoque eius CLAVD. SARRAVIVS in epp. (Araus. 1654. 8.) p. 30. Io. HÜLSEMANNI monita circa illud leguntur in eiusd. *breuiar. extenso* p. 469. Refutarunt GROTIVM HIPPOLYTVS FRONTO CARACOTTA, i. e. PETR. MOLINAEVS, (V. PLACC. *pseudon.* N. 1119. p. 294.) in *Refutatione meditationis Grotianae de Antichristo;* SAM. MARESIVS in diss. *de Antichristo, qua expenditur et refutatur nupera commentatio ad illustriora ea de re N. T. loca,* Ill. *Viri* HVG. GROTII *credita; simulque Ecclesiarum Reform. sententia de Antichristo Romano defenditur et confirmatur.* 1640. 8. SAM. BOCHARTVS, in *Examine libelli de Antichristo.* (T. I. opp. BOCHARTI N. 28.) V. ITTIGII *diss. de Haeresiarchis aeui Apost.* Sect. I. c. II. §. 8. p. 40. eiusd. *Hist. eccl. Saec. I. select. capp.* C. V. §. 18. p. 277. seqq. BAYLII *Diction.* Tit. MARESIVS, litt. D. Quae ION. SCHLICHTINGIVS aduersus GROTIVM notauit, infra allegabimus.

9. *Epistola ad eundem de* GROTII *explicatione III. vtilissimorum locorum N. T. etc.* scripta in territorio Nouogrodecensi in Litthuania, in agro Gener. Dn. RAPH. KOS. 17. Nou. 1642. in RVARI epp. Cent. I. N. 63. Quae in hac ep. circa GROTII sententiam de Christi satisfa-

ctione

ctione notantur, repetita ſunt in BARTHOLOMAEI Fort-geſ. nützl. Anmerk. Coll. IV. p. 406. GROTII libellus prodiit ſub tit. *Explicatio trium vtiliſſimorum locorum N. T. Capitis I. Pauli ad Epheſios. Poſterioris partis cap. II. Iacobi, commatis IX. et ſequentium. Capitis III. epiſtolae I. Ioannis. In quibus agitur de fide et operibus. Amſtel. apud* Io. et CORN. BLAEV. 1640. 8. pl. 5½. ſine praefixo auctoris nomine. V. PLACC. *Anon.* N. 735. p. 117. Inſerta eſt GROTII operibus.

10. *Epiſtola ad eundem*, de IEIVNIIS, ſcripta 15. Iul. 1642. l. c. *Cent. I.* ep. 89.

11. *Ad eundem epiſtola* de eodem argumento. 10. Nou. 1642. l. c. *Cent. I.* ep. 91.

12. *Ad eundem alia* de eodem argumento: ſcripta ex aedib. Gener. Dn. Kos. 1643. 21. Ian. l. c. *Cent. I.* ep. 93.

13. *Ad eundem* vltima de hoc argumento. 1643. 6. Apr. l. c. *Cent. I.* ep. 95. In hoc certamine GITTICHIVS ieiunium, morem ex ſuperſtitione ſuſceptum iudicat, aliter ſentiente RVARO.

14. *Ex epiſtola ad eundem de ieiunio Niniuitarum, ſcripta* 1643. 14. *Iul. fragmentum* l. c. *Cent. I.* ep. 97.

15. *Epiſtola ad eundem ſcripta*, 14. Iul. 1643. qua GROTIVM criminatur, quod in controuerſia de Chriſti ſatisfactione ſimulauerit, ſuamque ſententiam amphiboliis occultauerit. Ad calcem *Cent. I.* epp. RVARI adtexta, et repetita eſt in Fortgeſ. nützl. Anm. Coll. IV. p. 408.

16. *Explanatio prioris epiſtolae* PETRI. *MSC.* Hanc cum SIMONE PISTORIO communicauit in ep. ad hunc absque temporis nota ſcripta, et a nobis ex *MSC.* inſerenda.

17. ANTI-LESSIVS. Quemnam LEONH. LESSII *Ieſuitae* librum, qui plures in lucem emiſit, refutandum in hoc opere ſuſceperit GITTICHIVS, certo a nobis deter-

minari

minari nequit. Fortaſſis iſte fuit LESSII *Conſultatio: Quae fides et Religio capeſſenda ſit*, *Antwerp. ex offic. Plantin.* 1609. 8. et 1614. 8. THOMAM PISECIVM aduerſus LESSIVM Ieſuitam, ſcriptis pugnaſſe, nos condocet SANDIVS l. c. p. 107. Ex *act. Synod. Rac. MSSCC.* a. 1637. probabile nobis videtur, GITTICHIVM, PISECII librum polonice ſcriptum in linguam latinam transtuliſſe, quem fortaſſe adnotationibus et ſupplementis inſtruxit; quamuis *Anti-Leſſius* in conuentu Czarcouiano, a. 1651. expreſſe tribuatur GITTICHIO, STOINIOQVE committatur, vt librum hunc, propria *Venetiani* manu exaratum ad ſe reciperet. Vt typis exſcriberetur, idque ſumtu publico, iam anno praeterito 1650. in Synodo ſtatutum erat.

18. *Epiſtola ad* NICOLAVM HARDERVM. Hunc, patria Demminenſem, Pomeranum, per aliquod tempus ſcholae Lutheranae apud Vilnenſes Rectorem ſuo errore imbuere ſtuduit GITTICHIVS per hanc epiſtolam, in qua argumentis, vt venditat ſolidis, inuictis ac ſolutu difficillimis aduerſus Chriſti perſonam vere diuinam et praeaeternam pugnauit; quae vero argumenta COELEST. MISLENTA peculiari diſputatione, quae 1627. *Regiomonti* prodiit, defendente ipſam HARDERO, vt reſpondens, qui iſto tempore Rector ſcholae Bartenſteinenſi in Boruſſia praefuit, refutauit. Non quidem epiſtola GITTICHII huic diſſertationi in extenſo adnexa eſt, attamen eiusdem argumenta his GITTICHII verbis exponuntur: "Machinas videre cupis, quibus tum noſtram propugnamus, tum aduerſariorum noſtrorum oppugnamus et expugnamus ſententiam: En illas quod petis, ſine vllo cultu ac nitore inutilium verborum. *Et poſt:* habes paucas rationes in conſpectum tuum productas:

ſi

ſi ad iſtas quispiam ſolide reſponderit, reliquas omnes ne adſpectu quidem tuo dignari per me poteris. Niſi quis haec ſolide diluerit, fruſtra eſt, vel ſi centurias et chiliades argumentorum ad ſuam adſtruendam, et noſtram deſtruendam ſententiam fundat. Nihil enim aliud illa, niſi infeliciter conſuta et conſarcinata ſophismata ex perperam acceptis variis ſacrarum litterarum locis futura ſunt."

*Prima machina:* "Homo Chriſtus Ieſus conſtabat ex anima rationali et corpore animato ſentiente. Fuerit igitur neceſſe eſt, quatenus homo ſubſtantia prima, intelligens; ex quo luculentiſſime patet, illum non natura tantum, quod aduerſarii volunt, ſed etiam perſona fuiſſe hominem: perſonam enim eſſe, nihil aliud eſt, quam eſſe ſubſtantiam primam intelligentem. Iam vero ſi perſonam humanam habuit, perſonam diuinam, niſi duas perſonas in aliquo indiuiduo apertiſſima contradictione ponamus, habere non potuit."

*Secunda machina:* "Chriſtus Ieſus, vnigenitus Dei Filius, vt paſſim oracula, et Symbolum, quod Apoſtolorum dicimus, (quod nullius eſt valoris, ſi mancum et mutilum, imprimis vero ſi eo membro, quod caput reliquorum omnium eſt, deſtitutum ſit) teſtantur, fuit conceptus ex Spiritu S. in vtero virginis *Mariae.* Aut igitur mutilam nobis de Filio Dei vnigenito doctrinam Apoſtoli tradiderunt, aut falſa eſſe neceſſe eſt ea omnia, quae de praeaeternitate Filii Dei dicuntur. Habere enim initium ſuae exiſtentiae Filium Dei vnigenitum, et praeaeternum eſſe, tam pugnantia ſunt, quam quae maxime"

*Tertia machina:* "Cum omnes actiones et paſſiones ſuppoſitorum ſint, Chriſtum autem Ieſum Filium Dei

Dei vnigenitum, conceptum, natum, pro noſtra ſalute omnibus calamitatibus et truculentiſſimae morti expoſitum, et in vitam reuocatum S. litterae teſtantur: haec autem in diuinam perſonam nulla ratione cadere poſſint; falſum eſt, Chriſtum natura tantum hominem fuiſſe, non etiam perſona. Non enim naturae, ſed ſubſtantiae ſingulares, ſubſtantiae primae (quae ſi intelligentes fuerint, perſonae ſunt) ſuppoſita ſunt."

*Machina quarta:* "Solo Deo Patre excepto, nemo ſciebat diem et horam extremi iudicii, neque Filius Marc. XIII. 32. Filius Dei nihil a ſe ipſo facere poteſt. Io. V. 9. falſum igitur eſt, Filium Dei eſſe aliquam perſonam praeaeternam. Nihil enim horum de vlla perſona praeaeterna vere enuntiari poteſt." Machinas iſtas MISLENTA ſolide concuſſit et demolitus eſt in allegato opere.

19. *Duo exempla ſingularis diuinae benignitatis. Alterum in iis, qui per incogitantiam aliquam ſuam, a Chriſtiana religione deficiunt, in gratiam ſuam recipiendis; Alterum in tuendis ſimplicioribus, ne fraudibus impoſtorum circumſcripti — — in variorum errorum praecipitia deducantur. MSC.* in manibus noſtris eſt, idque *autographum*, aliquando in extenſo exhibendum.

20. *Volumen Epiſtolarum, lingua latina et polonica ſcriptarum a* GITTICHIO maxima ex parte ad Patronos et Socios coetus Sociniani, inprimis ad CONR. VORSTIVM, et ad Crypto-Socinianos Altorffinos, SONERVM, PAVL. GROE, IO. MVRERVM, IO. CRELLIVM, aliosque, et praeterea ad Senatum Reipubl. *Noricae*, etc. ex quibus, a ZELTNERO nunquam viſis, hiſtoriae huic, haud pauca ſupplementa addi, maiorque lux dictis ab eodem adfundi poteſt. *MSC.* 4. Hoc loco, tres ad NIC. HARDE-

RVM, totidem ad HIERON. MOSCOROVIVM, duas ad *Anonymum* quendam, vnam ad *Val. Smalcium* ſcriptas cum L. B. ex *MSC.* ſpeciminis loco communicamus; reliquas ſuo loco, quo nimirum hiſtoriam Socinianismi illuſtrare maxime poterunt, inſerturi.

21. Plura alia a GITTICHIO exarata eſſe ſcripta, typis non impreſſa et fortaſſis iam perdita, ex his ipſis epp. MSSCC. edocemur. Mentio fit in his e. g. *opuſculi adverſus dogma Trinitatis*, *ſermonis de Deo*, *in verba quaedam Chriſti*, (ſuſpicamur in *Matth.* XXVIII. 19.) *de mendaciis et calumniis*, *quibus* pro opinione auctoris *coetus Vnitariorum a maleuolis oneratur*, *etc.* Iam accipe L. B. quasdam GITTICHII epiſtolas ex *MSC.* absque animaduerſionibus, in quibusdam locis facili negotio addendis.

I. *Ad* NICOL. HARDERVM, *Scholae Luth. Rectorem apud Vilnenſes.*

1624. d. 10. Iun.

Adſcendebam iam currum iturus in Poloniam, cum mihi duo libri, indices tuae erga me ſingularis beneuolentiae, redderentur; alter *de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo* BARTHOLOMAEI BATTI, (*) *cum praemiſſa epiſtola dedicatoria eique ſubmiſſa oratione, in qua, vt ille ait, in* FAVSTI SOCINI *atque complicum contra cauſſam iuſtificationis meritoriam blaſphemiae deteguntur et refelluntur.* Alter continens *analyſin epiſtolae ad Epheſios ab eodem* BATTO factam. Amorem tuum, qui ſumtus ad comparandos mei cauſſa libros facias, magni facio. Quod pecuniam ad emendos eiuſmodi libros perdas mei cauſſa, doleo. Quod enim ad alterum attinet, in quo in epiſtola ſua dedicatoria eique annexa oratione blaſphemias dethecturus erat, ſtupenda in

(*) Theologi Gryphisw. et Generalis Pomer. Eccl. Superintendentis, qui *de Iuſtificatione hominis coram Deo libr. III.* Gryphisw. a. 1611. 8. in lucem emiſit. In praefatione praemiſſa, et ſubiecta oratione, refelluntur F. SOCINI et complicum errores aduerſus cauſſam iuſtificationis meritoriam. BATTI *Commentarius in Epiſt. ad Epheſios, diſpp. XXI.* exhibitus, prodiit *Gryphisw.* 1619. 4.

in eo libro eſt iſtius hominis (viri alioquin, quod ex eius ſcriptis vnicuique facile videre eſt, eruditiſſimi) malitia et peruerſitas. Primarium (inquit in iſta epiſtola) ſophiſma, et in quo ſibi certam palmam promittere videtur SOCINVS, eſt, quod *Redimendi* verbum plerumque et fere ſemper metaphoricam ſignificationem obtineat, idem valens quod liberare, aut ſibi aſſerere nulla interueniente pretii ſolutione, vnde concludit, nec cum de Chriſti redemtione in Scriptura ſermo eſt, aliam, quam metaphoricam redemtionem intelligi. Hoc argumentum *Socino* affictum exagitat, et cum ſuis laruis ſtrenue luctatur: cum neque *Socinus*, neque quiſquam noſtrum vllum argumentum ex voce redemtionis ducat. Argumenta, quae ex hac voce, et aliis huic ſimilibus petuntur, pontificiorum et euangelicorum ſunt. Nos (vt etiam in eo loco ab auctore epiſtolae apud *Socinum* notato videre eſt) reſpondentium munere fungimur, et prolatis in medium non paucis ſententiis et exemplis, in quibus vox redimendi ſimplicem liberationem ſignificat, vanitatem huius argumenti, quod ab aduerſariis noſtris ex voce redemtionis ducitur, oſtendimus. Virum eruditum hoc non animaduertiſſe, quis ſibi perſuadeat, aut ſi non aduertit, quis inde non colligat, eum in aliis, quae in libris noſtris ſubtiliora occurrunt, prorſus coecum eſſe, ideoque ipſius in nos ſcripta meras eſſe coecorum de coloribus ſententias, neque vllam ex ipſis ad lectores vtilitatem redundare poſſe. Quis ſpondeat, iſtum virum, cum in rebus tam manifeſtis tam mala fide nobiſcum agat, in aliis fidem ſeruaturum? Quis non videat, iſtos, dum ad eum modum nobiſcum agant, et nos ex reſpondentibus opponentes faciant, pudori et conſcientiae nuntium remiſiſſe, et cum nullum a veritate ſuae cauſſae ſubſidium habere poſſint, patrocinium illi ab improbitate et peruerſitate quaerere, et ſatis habere, ſi ſtudioſis Theologiae libris noſtris deſtitutis, eiuſmodi artibus imponunt, et eorum animos, quantum poſſunt, a veritate diligentius indaganda auertunt. Eodem ſtratagemate vtuntur *Grauerus* et *Pareus*, et alii, qui in nos ſcripſerunt, qui non habuiſſent, quod vel mutire contra nos potuiſſent, niſi nos ſubinde ex reſpondentibus opponentes feciſſent. *Batti* eſſe, et vel quidquid in buccam venerit loqui, ac de ſuis inſanis figmentis furioſos triumphos agere, quod vtique perditae eorum cauſſae euidentiſſimum argumentum, quam clariſſimae veritati cedere malunt, et ſatis luculenter hac ſua peruerſitate oſtendunt, ſibi non veritatem, et Dei gloriam, ſed vanitatem mundanae gloriae et diuitiarum cordi eſſe. Vident enim veritatem expoſitam eſſe odiis omnium, ideoque perpetuum eius comitem eſſe paupertatem, Maleſuada autem fames et triſtis egeſtas. Horribiles

visu formae; ad quas isti dum consternantur, locupletis erroris diuites patroni, etiam sauciam conscientiam esse, quam pauperculae veritati ieiuno saepe stomacho seruire malunt. Ad *analysin Epistolae ad Ephesios* quod attinet, nullae analyses apostolicarum epistolarum aliorum coetuum nostris coetibus vlli alii vsui esse possunt, nisi vt videamus, quam densae sint apud eos in religionis negotio tenebrae, qui non magistrorum suorum sententias ad sacri codicis canones, sed sacras litteras ad magistrorum suorum sententias expendunt, et catecheses maiorum suorum pro norma interpretandi sacras litteras sibi proponunt, ita vt piaculum sit, aliter explicare sacras litteras, quam catechetici eiusmodi libri permittant. Cum enim scopus ac finis scriptorum Apostolicorum sit, nos ad amandum Deum per obseruationem ipsius mandatorum nobis per Christum traditorum impellere, inculcatione nobis summi Dei amoris, qui nobis vltro et gratuito peccata nostra remiserit, idque luculentissime in oculis omnium, traditione pro nobis vnigeniti Filii sui in truculentissimam mortem proposuerit, isti nobis ex doctorum ecclesiae, et magistrorum suorum placitis, pro Deo liberrime et ex beneplacito voluntatis suae vt sacrae litterae loquuntur, agente, miserandum quoddam iuris sui mancipium, et pro clementissimo et indulgentissimo parente, per viscera misericordiae suae et ex ardentissimo in nos amore nobis peccata omnia condonante, tyrannum quempiam *Nerone* quouis truculentiorem inducunt, quod faciunt, cum docent: Deum non potuisse nobis peccata nostra, nisi plene pro illis sumto supplicio et plena satisfactione, per Christi cruciatus accepta, remittere; quasi aliquis teneatur ius suum prosequi, et mancipium sui iuris, non absolutus Dominus sit, cui liceat illud et prosequi et relinquere, et quantum velit de illo remittere, et quasi vlla ratione aliqua, nedum plena satisfactio pro peccatis, cum remissione eorundem peccatorum, et quidem ex summo amore et visceribus misericordiae consistere possit; Cum docet: vnicam sanguinis Christi guttam tanti fuisse coram Deo pretii, vt ea satis esse potuerit ad abolenda omnia humani generis peccata; voluisse tamen Deum vniuersum sanguinem ex Christi corpore per intolerandos cruciatus, ad restinguendum grauissimae irae suae, qua in humanum genus ardebat, incendium effundi. Quod cum non tam extra, sed et contra mentem S. scripturae, in suas apostolicarum epistolarum analyses inuehant, dici non potest, quam se ipsos in Labyrinthos inextricabiles inuoluant, vt saepissime ipsimet quidem scribant et loquantur, furore et maledictorum virulentia pleni intelligere non possint, tantum abest, vt quispiam alius mentem illorum percipere valeat; ex quo fit, vt excrucient et ad despe-

desperationem adigant bona alioquin auditorum suorum ingenia; qui, quod absurditati sententiae et ignorantiae doctorum suorum tribuere debebant, stupiditati ingenii sui, quod eorum mentem assequi non valeant, imprudentes adscribunt. Hinc videas theologicas publicas disputationes per Academias rarissimas, et eas quidem valde frigidas, ieiunas et miserandas, ignorantiam crassam nullius disciplinae studiosis, quam iis qui se theologiae tradiderunt, familiariores. Non est ergo, *Vir Clarissime*, quod mei caussa ad analyses eiusmodi comparandas pecuniam perdas. Centum eiusmodi analyticos libros vno libello medico et historico facile permutauerim, licet ne hos quoque a te requiro. Non enim is sum, qui ideo tibi libros, quos a me postulas mittam, vt alios vicissim pro illis a te accipiam.

## II. *Ad eundem.*

1624. d. 8. Iulii.

Scio, multa interuenire solere, quae propositum meum saepius remorentur, nonnunquam et prorsus euertant, ideoque non est quod excusationibus aliquibus vtaris, quod id, quod hactenus praestare volebas, aliis atque aliis occupationibus succedentibus, ad exitum deducere nequiueris. Solutionem argumentorum, quam pollicitus eras, legam et expendam libenter. Gratitudinem tuam in praeceptorem *Battum* laudo, et quomodo vel ille ipse se mihi ab eo crimine, quo se obstrinxit in sua epistola dedicatoria, purgaret, qua ratione se ex illo expediret, vehementer videre cuperem. Praeceptorem defende et ei amicus esto, sed ad aras tantum. Sit amicus *Plato*, amicus *Socrates*; sed magis amica veritas. Disputationes nostris oppositas et ego nonnullas habeo, sed eas, in quibus nihil noui. Eadem cantilena millies inculcatur. Vbi videro solutas eas rationes, quarum solutionem polliceris, agnoscam me ex his disputationibus aliquem fructum percipere posse, et eas a te petam. *Arminianorum disputationes*, quales sunt *Conradi Vorstii*, et quas in *Synodo Dordracena* obtulerunt, si quas acquirere potes, et mihi mitte, et ipse lege, si quid legendis disputationibus proficere et ad me quoque aliquam vtilitatem redundare cupis. In maxima librorum copia, et vitae nostrae breuitate, ac variorum negotiorum concursu, plurimi libri nobis sunt de industria negligendi; eligendi vero paucissimi, quibus a sacrarum litterarum lectione aliquam horam impendamus. Nusquam est, qui vbique est. Bene vale. Sumtibus in non necessarios libros mei caussa emendos parce. Me amare perge.

### III. *Ad eundem.*

d. 30. Iulii 1624.

Quod mihi locos communes cuiusdam Doctoris Theologiae per fratrem nostrum D. KORYZNAM, vt ille mihi referebat, mittere volueris, gratias tibi pro ista in me beneuolentia ago. Quod ille noluerit istos libros accipere et secum ad me ferre, illi quoque pro isto in me amore gratias egi. Habuit, vt frater mei amantissimus, rationem meorum studiorum, cui vidit non esse tantum otii, vt etiam eorum scripta, qui solis s. litterarum auctoritatibus, et inde petitis solidis rationibus nituntur, ea qua par est diligentia perlegam, tantum abest, vt istis quoque aliquid pretiosi temporis subtrahere et ad lectionem eorum impendere debeam, qui cum verbis profitentur, se a S. litteris pendere; re ipsa tamen a conciliorum, patrum et magistrorum suorum auctoritate omnes suas rationes habent. Legi maiorum gentium Theologos, tum antiquiores, qui *Patres* appellantur, tum et recentiores Pontificios et Euangelicos, multa in illis inepta, friuola, ridicula, contradictoria et absurda deprehendi, tantumque ea lectione profeci, vt hoc quoque animaduerterem, non posse quemquam solidius refellere eas rationes, quae ad probandum dogma Trinitatis et aeternitatis Filii Dei, ex variis scripturae s. locis adferuntur, quam si illis ea opponat, quae de his locis in suis s litterarum commentariis ipsi Trinitarii, Pontificii et Euangelici (talia et tam solida sunt istorum dogmatum fundamenta!) scripserunt; idque me in primis mouit, vt eiusmodi sententias a mente scripturae s. ipsis Trinitariis hac ratione testibus, alienissimas, desererem, et verbis S. Scriptorum, quibus nulli vel doctiores, vel magis nostrae salutis et vtilitatis cupidi post homines natos exstiterunt, de Deo et rebus diuinis in posterum loquerer, cum antehac *ex parente euangelico natus, id verbis Athanasii facerem.* Exscripta ista omnia habeo, annotatis, quos legi, librorum titulis et locis. Miseras mihi per *fratrem D. Ganonium dissertationem de Iesu Christi persona* nostris oppositam coetibus, vt in ea solida sententiae vestrae fundamenta et ruinam nostrae viderem. Te quidem iuuenem ea sententia a pueris imbutum, et ad id vsque aetatis solis eius generis libris adsuetum, non miror, quod adhuc tales libri tanto apud Te sint in pretio, vt etiam putes, Te illis quidpiam apud aduersarios profecturum; sed mirari satis non possum eos, qui Admodum Reuerendi, Clarissimi et Excellentissimi libenter audiunt, quod tam pueriles ineptias prelo subiiciant, et ad dedecus sui nominis in lucem emittant. Inspexi nuper vestra ista fun-

fundamenta: Prima et praecipua viri istius ratio (ex hac autem de reliquis septem vnusquisque iudicium facere poterit) qua probat, alteram naturam in Christo, iuxta quam eum aeternum Deum statuit, in ista verba et rationem, quae omnium antecedentium fundamentum est, definit: „*Est namque Christus* (ipsissima verba Doctoris exscribo) *secundum diuinam suam naturam* „*ab aeterno ex Patris sui essentia genitus* *Ps.* 2. *v.* 7." Annon vides meras ineptias? An idem est, suam sententiam dicere et docere? An idem vox *hodie* et *ab aeterno?* An aliqua *essentiae* et ex ea *generationis* in Psalmo mentio? Et tamen isti Admodum Reuerendi, Excellentissimique Domini Doctores licet nihil aliud nobis praeter ineptias et phantasmata obtendant, audent nos, ob eiusmodi putida sua commenta, impios, blasphemos, Christi perduelles, et quid non plenis buccis appellare. Sed illis responderi potest *Aesopicum* illud: Heus caper! non tu, sed tectum. Facile est iis in locis, in quibus aduersariis securis esse non licet, ex suggestu maledicta in aduersarios vomere; facile in cathedris academicis ineptire, cum absentibus aduersariis animose disputare, et de illis profligatis triumphos agere, atque iis ineptiis discipulis suis ecclesiae et patrum auctoritate fascinatis imponere; sed si inter eos, in quos ita stramineis gladiis saeuiunt, viuendum, et in privatas illorum scholas istis doctoribus veniendum esset, tum vero Admodum Reuerendi, Clarissimi et Excellentissimi cum suis consarcinatis ratiunculis, admodum miserandi et magis muti pisciculis apparerent. Haec ad Te Clarissime Iuuenis! ne posthac a pomposis librorum titulis et Doctorum, quos vocant, auctoritate pendeas, sed iudicium tuum intelligendis libris adhibeas, rationes ponderes (quod ingenuorum et nullis προκρίμασι praeditum animum gerentium), non numeres (quod brutorum humanae auctoritatis mancipiorum est). Ad regulam f. litterarum omnia examines, et tibi ita persuadeas: In sermonibus de Deo et rebus diuinis tutius esse iis loquendi formulis vti, quibus vsi sunt, quasque nobis in suis litterarum monimentis ipsi doctores, a quibus nos ita vult pendere S. scriptura, vt anathema et apud nos sit vel angelus e coelo, si nobis aliud quidpiam extra ea, quae isti docuerunt, proponat; quam iis, quas ex ethnicorum philosophorum deliciis in Christianas scholas longe post talium doctorum fata inuexerunt minus cauti ad vitandos illorum errores discipuli. Imminutae enim mentis omnino est, in salutis negotio et sermonibus de Deo et rebus diuinis, ab auctoritate nescio quorum discipulorum, variis obnoxiorum erroribus, quam ab ipsis Magistris et Doctoribus extra omne periculum et minutissimi erroris positis, pendere malle. Christus Iesus oculos mentis

Tuae illuſtret, Teque Spiritu ſuo regat et ad gloriam ſui nominis, animae Tuae ſalutem, et eccleſiae ſuae emolumentum dirigat.

## IV. *Ad* HIERONYMVM MOSCOROVIVM.

d. 17. Sept. 1611.

Valde doleo, vir generoſe, quod diſceſſus meus Rakouiam in id tempus inciderit, quo te quoque prius hinc excurrere oportuerat, quodque die Sabbati mane ex memoria exciderit, te Czarkouiam iter parare. Quandoquidem etiam tunc ad quantulum tecum colloqui potuiſſem. Sed quia facta infecta fieri nequeunt, et praeterita reprehendi poſſunt, reuocari non poſſunt, quod eram coram facturus, per litteras facio. Pro tuo in me amore, quo me praeter vllum meum meritum proſequutus es, quantas maximas animus meus capere poteſt, tibi ago gratias. Deus tibi omnia impendat cumulatiſſime, et te quoque viciſſim cum omnibus tuis ſuo complectatur amore. Hic vitam longam et felicem, olim aeternam tibi largiatur. Ad ſcripta mea quod attinet, optaſſem, *quod iam iuſſu ſynodi fieri debet*, in praeſentia mea factum fuiſſet. Sed quia votis nihil proficitur et *tibi cum domino Valentino* (*) id negotii datum, vt collatis conſiliis, quae emendanda ſunt, emendetis, a te peto, ne veritati fiat iniuria. Falſa nam et petulantius dicta expungantur, eiiciantur. Vera maneant quocumque modo ſcripta, vna eademque eſt veritas. Non quia ſenſerit aliter *Socinus*, quia aliquid diſplicet Domino *Valentino* eiiciatur; ſed quia ratio aliqua id ex libro exturbandum iubeat, eiiciatur, quia falſum, aut a chriſtiana modeſtia alienum ſit. Magnus ille vir fuit; Magnus et iſte et a me plurimi fit. Sed non debemus vllius eſſe mancipia. Maius pondus rationum, quam omnium auctoritatis. Ad *Lutheranos*, aut ſi qui ſunt alii ſimiles, id relegandum, qui, etiamſi quod veriſſimum videant, etiamſi nihil habeant, quo id infringere poſſint, ſi LVTHERVS aliter ſenſerit, admittendum non putant. Vincat ratio, non vaga auctoritas. Potiſſimum autem te rogo, *ne diſcurſus ille* SONERI *de Ente* (**), *a quo maxime Dominus* VALENTINVS *abhorret, eiiciatur.* Malo, ne quidquam prodeat, quam

(*) *Valentinus Smalcius*, cui reuiſio libri aduerſus Lucium N. 3. a. 1611. vna cum MOSCOROVIO a Synodo erat commendata.

(**) Nullam eius, quantum recordamur, ZELNERVS fecit mentionem, qui alias et minutiſſima de SONERO in lucem protraxit.

quam si sine hoc aliquid in lucem emitti debeat, ne vir ille despondeat animum, quem ad scribendum habet excitatissimum; si nulla ratione id facere iubente, hoc a nobis expuncto viderit, et potissimum ne se a me contemni et insigni iniuria affici iudicet, qui tamen ab eo crimine sum alienissimus. Praefationem ad lectorem additis et detractis nonnullis mutare debebam, si cognouissem prius, quod etiam iudicium Domini VALENTINI de illa fuisset; sed quia id iam non possum, tibi id negotii committo, vt vel istam additione et detractione emendes, vel etiam, si videbitur, scribas.

## V. *Ad eundem.* (*)

Saluus atque incolumis *Nouogrodkum* perueni: saluus atque incolumis adhuc sum per Dei gratiam, quo in meo munere fruor propitio. In itinere nostro descenderamus ad G. D. P. (**) qui satis humanum se nobis praebuit et totum diem apud se nos detinuit, honorifice tractauit et perinde ac frater noster nobiscum libere de multis sermones contulit, quin et reprehensus a nobis, gratias egit. Nam cum *de vnione nostri coetus cum coetu Euangelicorum* loqueremur et nullam vnionem christianam, nisi retineatur disciplina Ecclesiastica, qualis in coetibus nostris viget, diceremus, et ipse multa in eam sententiam protulisset ostendens, quod inter suos, non inter auditores solum, sed pastores etiam tam dissoluta sint omnia, quod nullus ordo, caussam aliam esse nullam, quam quod nulla sit ecclesiastica disciplina, subiecit D. L. (***) hoc quoque ad disciplinam pertinere, quod ad ipsius mensam ante cibum non inuocetur nomen Domini. Agnouit culpam, et multa ea de re nobiscum locutus est. Quantum videre licuit et ex eius nonnullis verbis aucupari, rebus suis primum consultum cupit homo iste, quam suum nomen in ecclesiam referat. Sunt enim, qui eius bonis inhiant, quos ille sibi multo grauiores futuros existimat, si, quod sentit, et palam profiteatur.



(*) Scripta, vt coniicimus cum Nouogrodecium a. 1611. ad munus suum suscipiendum abiisset GITTICHIVS.

(**) Quis fuerit, nondum rescirі licuit; priores litterae *Generosum Dominum*, vt putamus, significant. Idem *M. D.* (Magnificus Dominus) ad quem *Gittichius* dedit litteras N. VIII. Nouogrodeci d. 26. Iul. 1612.

(***) Fortassis LICINIVS, GITTICHII collega.

## VI. *Ad eundem.*

Mittimus ad vos (*) duos iuuenes, de quorum altero vobis retulit Dominus *And. Lub.* Alter et nonnullis inter vos bene notus optimi parentis, fratris nostri, filius, cuius pectus plenum est diuinae gloriae propagandae studio. Quinquennium erat in captiuitate Moschouitica, cum multis aliis personis Magnatum filiis. Liberatus ex illa seruitute trahebatur magnis pollicitationibus in aulas, sed ipsius animus pietati addictus reiiciebat hactenus omnia, et quia Theologiae operam nauare cupit, auctor fui ei, vt se ad vos reciperet, de tua inprimis in eiusmodi animos promta beneuolentia illum confirmans. Suis sumtibus sex et amplius mensibus se sustentare potest. Rogo te, Frater in Christo plurimum honorande, vt videat ea, quae illi de tua humanitate praedixi. Accipe hominem humaniter, quam primum in tuum conspectum venerit, et ei ostende, Rectori pietate exornato, vbi adest animus diuina perdiscendi studiosus, non esse quoque denegatum. Nam licet valens ingenio et iudicio, ac animo totus sit theologiae studiosus, vt sordeant illi reliqua omnia prae his studia, mirum tamen est, quam meticulosus sit et diffidens suo ingenio, desperans profectum in iis studiis maiorem, eo quod aliquot annos absque libris perdere coactus sit.

Non potuimus ad Synodum excurrere propter milites, quibus eundum erat tum, cum nos quoque egredi oportebat, si ad diem esse *Racouiae* voluissemus. Vrgere apud te praesens petitionem meam debebam, Vir generose, vt *analyses in praegnantiores locos sacrarum litterarum conficeres* (**), quod et facturum te receperas, sed quia id praesenti facere non licuit, absens peto, certo persuasus, et litteras meas tantumdem praestituras, quantum ipsa vox viua praestitisset. Id enim mihi tuus erga me singularis amor pollicetur. *Sonerus* si quid ad me scripsit, aperi litteras, et meo nomine rescribe, si quid opus est, ea vero quae scripserit, ad me transmitte. Ego Vilna ad illum iam dudum dedi litteras, nondum tamen mihi constat; an

(*) Litteras hasce post Gittichii in Poloniam reditum *Vilnae esse* scriptas, argumentum probat; ad Hieronymum Moscorouium sine dubio, ad quem in eadem materia de discursu Soneri typis imprimendo in praecedenti epistola scripserat. Scriptam esse illam a. 1612. post statutum synodi de delendis et corrigendis quibusdam in libro Gittichii adversus Lvcivm, epistolae huius argumentum satis declarat.

(**) Liber talis Smalcio tribuitur, inde tamen ad Smalcivm scriptam esse epistolam, dissuadent reliqua, in eadem obuia, quem praeter alia Gittichivs vix *Virum* compellasset *Generosum*.

an ad illum peruenerint. *Domino Iesmanno* fratri noſtro eiusmodi morbo conſtricto, qui et ſedere eum erectum non ſinat, auctores fuimus, vt a te conſilium aliquod peteret. Rogamus, Vir generoſe! vt ſi quo modo adflicto huic homini ſuccurrere poſſis, eum iuuare velis. Morbum ſuum in ſuis ad te litteris tibi expoſuit. Valde vereor, G. D. ne D. V. (*) non bene perceptis iis, quae illi a te dicta ſunt, me nolle quidquam meorum prodire in lucem, ſi tractatus *Soneri* abeſſe debeat, non tam meum librum, quod nihili facio, quam me ipſum apud Fratres traducant. Vult enim mihi perſuadere in ſuis ad me litteris, ad quas illi reſpondi, me, qui nolim cuiuſquam ab auctoritate pendere, ſed ſolis niti rationibus, mei oblitum, auctoritati *Soneri* incumbere. Te rogo, Vir Generoſe, vt meae mentis interpres ſis, ne putent Fratres, me aut obſtinate pertinacem eſſe, aut gloriam in muſtaceo quaerere. *Soneri tractatum eiectum ego nolui*, ſed ea ratione, ſi nulla afferantur argumenta, quibus falſitatis conuinci poſſit, ne ille me a ſe contemni dicat, qui ſub eius cenſuram librum dederim, eum, vt emendaret omnia, rogauerim, et iam ſine vlla ratione additamenta eius reiiciam. Eiiciantur omnia, quae rationibus conuinci poſſunt, ſiue illa mea, ſiue *Soneri* fuerint. Quae rationibus ſubuerti non poſſunt, loco ne moueantur. Haec mea ſemper fuit, et eſt ſententia. Poenitet me, quod vnquam mentionem huius libri mei fecerim. Video enim me et alieniorem a me animum eorum, quorum amorem habere debebam inde reportaturum, idque eo magis, quod iam mihi adeſſe inter vos non licuerit, vt meorum verborum, quae in varias formas transfundebantur, vt ex litteris Domini *Val. Smalcii* coniectura cepi, interpres eſſe potuiſſem.

## VII.

Ita ſe gerit *Lucius* (**) dum iactat peſtiferum eſſe meae ſententiae ſuum laborem reſolutionis meorum enthymematum in ſyllogiſmos per ſyllogiſmos et per epilogiſmos, niſi mea enthymemata et re et verbis eſſent obſcuriſſima, acutiſſimum ac doctiſſimum aliquem requirerent, qui ea planius proponeret, et quid loquatur, omnibus indicaret, ac ſola eiuſmodi analyſi omnia profligaret. Vnusquiſque autem facile poteſt ſic laureolam in muſtaceo

(*) VALENTINVS SMALCIVS Conf. epiſtola ad hunc ſcripta, infra N. IX. inſerenda.

(**) Ad quem ſcripta ſit epiſtola, certo dici nequit, vid. N. 2, et 3. ſcriptorum GITTICHII.

mustaceo quaerere et suae auctoritati plurimum detrahere. Enthymemata enim mea, quod vnicuique patet, et rebus et verbis facillima, planissima, et ad puerorum etiam captum accommodata sunt, ideoque quidquid in illis in syllogismos et prosyllogismos fecit *Lucius*, sunt vsque adeo tenuia. Quis enim aberret a ianua, et ex plano enthymemate syllogismum non conficiat, vt quilibet tyro logicus, qui primis tantum labris hanc disciplinam gustauit, tam dextre hoc ipsum praestare possit, vt neque *Lucii*, neque vllorum aliorum magistrorum operam adhibere quisquam necesse habeat, et indignum etiam fuerit, si quis velit magistrum ad eum laborem accersere. Cauete tamen hic, ne a metaphoricis ad simplicia aberretis, ne non *Dauidem*, sed *Pharisaeos* et legis interpretes sequi videamini, qui, cum illis argumenta ad resistendum Domino Iesu deficerent, ad lapidum rationes Dominum trucidaturi sese corripuerunt. Maledicta enim vestra, quae sunt maleuolentiae et odii (quod mater homicidii est) signa infallibilia, vos valde procliues ad hunc errorem esse docent, vt, si vobis aliqua nostri copia fieret, idem omnino nobiscum futurum, ostendant.

## VIII. M. D. (*)

Quoties nobis in mentem veniunt sermones tui, quos nobiscum conferebas, et in euoluendis libris Theologicis diligentia, et quod inde sequitur, in cognitione veritatis diuinae magni progressus, toties videmus, nihil tibi aliud deesse in vera religione, quam vt nomen tuum profitearis in ea ecclesia, quam prae caeteris verbi diuini puritati propiorem iudicas, et eum honorem ac gloriam, qui modo Deo et Domino Iesu debetur, publice reddas. Humanitate autem tua singulari, quam nobis in tuis aedibus exhibuisti, qua etiam abeuntes nos prosecutus es, effecisti, vt nec memoriam tui deponere, nec in precibus nostris coram Deo tui obliuisci potuerimus. Humanitate tua effecisti, vt et monere te in iis, quae sunt ad Deum, officiis audeamus. Ante quinque menses referebat nobis Dominus KORSAK de tua benignitate, qua in nos a te abeuntes vti voluisti. Erat enim in eo hospitio *Swislociae*, in quo nos etiam noctem agebamus. Ibi didicerat ex hospita, statim post abitum nostrum allata fuisse a te plurima, quibus nos ad iter facilius conficiendum liberaliter iuuare volebas. Huic tuo tam prompto in nos stu-

(*) *Magnificus* sine dubio *Dominus* G. D. P. qui GITTICHIVM in itinere *Nouogrodecium*, liberaliter excepit, de quo in epistola ad HIER. MOSCOR. N. V.

ſtudio gratiarum actione reſpondere animus erat. Scripſi litteras, quibus id effectum dare cupiebam, in quibus et nonnulla tibi de mutatione in *Belgio* religionis, deque fratre noſtro *Conrado Vorſtio*, per quem ibi ſemina purioris euangelii ſparguntur, ex Polonia ad me transmiſſa referebam, et quod reliquum erat, te hortabat, vt, cum alii longiſſime a noſtris oris remoti, ab igne diuinae veritatis, qui hic accenſus eſt, calefacti, ea quae didicerunt ad gloriam Dei publice profiteantur, tu quoque eos, quos anteuertere debebas, ſequaris. Cales enim et ipſe ab eo igne, et eadem quoque tibi facienda, quae fecerunt illi, tenes. Corde nimirum credendum eſſe ad iuſtitiam, ore faciendam confeſſionem ad ſalutem, vt Apoſtolus inquit *Rom.* 10. 10. Scripſi, inquam, ad te litteras eo argumento; Sed cum eas iam dudum a te lectas putarem, ecce illae ad me reuertuntur. Is, cui transmittendas tradideram, occaſionem transmittendi ſibi defuiſſe dicebat. Dolebam praecluſum ad te iter hoc pacto meis litteris, nihilominus tamen quaerendam aliam occaſionem ſcribendi cogitabam. Scribo, et actum ago. Tibi G. et M. D. pro tua in nos humanitate, quam et in aedibus tuis nobis exhibuiſti, et abeuntes nos proſecutus es, ago gratias, et quia humanitate tua effeceras, vt cum in aedibus tuis eſſemus, confidentiſſime tecum de religionis negotio colloqueremur, eiusdem tuae humanitatis memoria in pectore noſtro defixa facit, vt ne per litteras quoque iisdem de rebus tecum agere dubitemus. Gratus autem noſter animus tuae in nos benignitatis, ſuadet, vt vel maxime de iis tecum agamus. Memineris igitur G. et M. D. ad gloriam Dei omnes nos factos. Id quod adeſt, eſſe propter id, quod abeſt. Quidquid nobis in diuinis accedit eruditionis; quidquid diuinae lucis in religionis negotio, a Patre luminum proficiſci, in eum finem, vt ea felicitate, quam nobis luteis homunculis offert, excitati et in ſpem praeclaram erecti, eadem veritatis cognitione, ad quam maxime propugnandam, celebrandam incredibilem benignitatem, inflammemur, et quae nobiſcum ille communicauit, ea quoque nobis communicanda eſſe cum omnibus cupiamus, potiſſimum autem cum iis, quos nobis regendos ad ſuam gloriam commiſit. Fieri autem non poteſt, ſi talis in nobis ſit animus, quin Pater ille clementiſſimus, vbi animaduerterit noſtros mores ſuis reſpondere moribus, nobis adſit propitius, et iter noſtrum vbique ita dirigat, vt tandem clariſſime videamus, non poſſe quemquam melius ſibi ſuisque conſulere, melius ſuis rebus ſeruire, quin ſuis etiam rebus relictis, ſui etiam oblitus, diuinae ſeruiat gloriae. Si enim *vos magnates huius mundi* ſummam rationem habetis eorum famulorum, quos ad veſtra

officia

officia promtos et expeditos animaduertitis, quos honoris et gloriae cupidos ac ftudiofos videtis, nec patimini vnquam, quantum in vobis eft, vt tales et tam fideles famuli in anguftias aliquas poftea deueniant: quanto magis magnus ille Deus, Pater coeleftis, habiturus eft fingularem eorum rationem, quos ita in fua gloria propoganda laborare viderit. Prodi igitur et tu tandem aliquando in lucem M. D et quod Deo acceptiffimum eft (fi Deo acceptiffimus effe velis) facito, in ecclefia debitam gloriam illi redde, qui in ecclefia potiffimum celebrari cupit. Illi gloria fit in ecclefia per Iefum Chriftum, inquit Apoftolus *Eph.* 3. 21. cum quam maxime et decentiffime pro collatis in humanum genus beneficiis gratias agere vellet, et ipfe Dominus Iefus perfectiffimus ille Magifter, qui nobis praeftantiffimam Deum colendi rationem et expofuit, et in fe ipfo exhibuit: *Hebr.* 2. 12. Annunciabo, inquit, nomen tuum fratribus meis, in medio ecclefiae laudabo te. Haec funt, quae ad te fcribenda duxi, vt aliquomodo tuae erga nos beneuolentiae gratitudine animi refpondere poffem. Quae tamen, vt voles, et vilia et CROESI opibus praeftantiora effe poterunt. Dominus autem Iefus tuam mentem dirigat ad ea, quae maxime ad diuinam fpectant gloriam, et ad tuam tuorumque omnium falutem, tibique oftendat, eum, qui Deo curae effe velit, diuina quam maxime curare oportere. *Nouogrodek* 26. *Iulii* 1612.

## IX. *Ad* VALENTINVM SMALCIVM.

Saluus et incolumis ipfe, faluum te et incolumem effe cupio, *Vir Clariffime* ad noftros conatus. Quomodo mihi res fuccedant, ex aliis cognofces; neque enim eadem aliquoties fcribendo, tempus perdere libet. Ad te, *Vir cl.* ea folum mihi fcribenda videntur, quae ex te eiufmodi litteras ad me eliciant, quae fupellectilem meam theologicam maioribus augeant incrementis, quod te pro eo amore, quem erga omnes rerum diuinarum cupidos geris, non inuito facturum, mihi omnino perfuadeo. Primum igitur doceri cupio: *an fit toleranda in ecclefia, et, fi toleranda, an ad coenam Domini fit admittenda foemina quae viro fuo cohabitare nolit, neque, vt illi cohabitet vllis rationibus adduci poffit, faluis interim illis, quae, fi non adfint in alterutro coniugatorum, matrimonium dirimere folent.* Perfecta enim obedientia, quam vxores fuis maritis, vt capiti fuo debent, vt talis omnino e coetu fidelium eiiciatur, iubere videtur; at cum in locum 1. *Cor.* VII. 11. infpicio, quidnam hac in parte ftatuendum, non inuenio. Eram primum in ea fententia, in his verbis Apoftolum eiectae e coetu fidelium iniungere, vt caelebs viuat, neque de fecundis nuptiis viuente illo marito cogitet; fed cum altius ifta perpenderem et cogitarem, Apoftolos neque potuiffe, neque voluiffe etiam illis, qui extra ecclefiam effent, regulas viuendi praefcribere, eo me redire oportuit, vnde eram egreffus, et aliam tentare viam, qua egredi ex hac labyrintho liceret, quam cum hactenus inuenerim nullam, *Thefeo* mihi opus eft animaduerto, cuius filum fecutus, compendiofiffimum iter infiftam. Peto igi-

igitur a te, vt, qui *Theseus* mihi, filum porrigas, et quid hac in parte ſtatuendum ſit, mentem tuam mihi aperias. Legens librum tuum *de diuinitate* (*), incidi in locum, de quo, quid ſtatuendum, aut quomodo is mihi contra aduerſarios noſtros defendendus ſit, non video. In fine capitis quarti, cum oſtendis, non eſſe quidquam abſurdi, quod ſtatuamus, mortalem licet, cum Deo commoratum fuiſſe, adfers quidpiam ex comparatis paribus, dum ais: non poſſe quidem corpus mortale cum Deo perpetuo viuere, interim tamen ad tempus illius faciem aliquo modo aſpicere; quemadmodum immortale corpus non poteſt in hoc ſeculo, quod locus mortalitatis eſt, perpetuo degere; poteſt tamen ad tempus hic eſſe. Quam vellem, mi Frater, vt iſta tua ratiocinatio firma eſſet! Verum eſt, non poſſe naturaliter, non ſolum ſupra iſtos coelos, ſed etiam ſub ipſis coelis ad aliquot horas hominem viuere; at quod eadem ſit ratio in corpore immortali, ſi in locum mortalitatis (quas voces tibi impoſuiſſe video) transferatur, oſtendere non aeque facile eſt. Omne etenim, vt et eiiciat calidum aërem, et frigidum, quo calorem cordis temperet, in pulmones recipiat, opus habet. Vbi vero (vt praetereantur alia, quae fortaſſe vitam animali eripere poſſint) vbi eiuſmodi aer? In corporibus vero immortalibus quid eiuſmodi dabis, quo opus habeant ad vitam continuandam. Quaſi vero non propterea immortalia ſint et dicantur, quod nullis egeant ſubſidiis, quod extra petere oporteat ad vitam ſuſtentandam, quemadmodum nos egemus! Locus mortalitatis, haec coeli concaui-

(*) Agit SMALCIVS in fine Cap. IV. libri *de diuinitate* I. C. qui *Racouiae* 1608. 4. prodiit, de initiatione et praecellentia muneris Chriſti prophetici, quam demonſtrat, quod non ſicut alii Prophetae vel *Moſes* per Angelos, et viſiones inſtitutus fuerit; ſed coram, poſtquam homo e MARIA natus eſſet, Deum Patrem viderit, ab eoque immediate diſciplinam, quam deinceps homines docuit, acceperit, poſt ſuſceptum a IOANNE Baptiſmum, in coelum ad tempus aliquod ſublatus, ac inde deſcendens in hanc terram munere ſuo prophetico functus. Sibi vero ipſi format obiectionem: Qua ratione Chriſtus, qui illo tempore mortalis homo fuerit, cum Deo verſari Patremque coram intueri potuerit, teſtante contrarium S. ſcriptura 1 *Tim.* VI. 16. *Exod.* XXXIII. 20. Hanc ita ſoluit, vt Chriſtum hominem aliis longe excellentiorem putet excipiendum. additque l. c. p. 15. Non poteſt quidem corpus mortale perpetuo cum Deo viuere, — — ſed tamen ad tempus, ſi Deus ita velit, et ita requirat eius gloria, poteſt illius faciem aliquo modo aſpicere. Quemadmodum etiam non poteſt immortale corpus in hoc ſeculo praeſenti, quod eſt locus mortalitatis, perpetuo degere; poteſt tamen ad tempus hic eſſe, ſi Deus ita velit, et gloria eius id requirat, vt oſtendit exemplum eorum, qui in Chriſti aduentu ex mortuis reſuſcitabuntur. Illi enim erunt incorruptibiles, et tales, quales in aeternum futuri ſunt, et tamen in hoc ſeculo adparebunt. — — Itaque certum eſt, D. Ieſum, mortalem licet, Deum Patrem ſuum vidiſſe, et ab eo immediate doctum fuiſſe.

cauitas, non ideo dicitur, quod in eo aliquid ſit peſtiferum, quod iis, qualiacunque ſint, quae huc translata fuerint, mortem afferre debeat; ſed quod, quidquid eſt mortalium, quidquid corruptibilium, hic ſit et nuſquam alibi. Videris itaque in tua ratiocinatione, in fallaciam conſequentis impegiſſe Verum ſiquidem eſt, quidquid mortale et caducum eſt, ſuo hoc coeli circumflexu eſſe: ſed non ſequitur, quidquid hic eſt, eſſe caducum et mortale. Haec me ita diſputare non grauate feres. Is et es et eſſe debes, vt, quod ius tibi in ſcripta omnium, idem omnibus in tua vltro et libenter concedas; vt enim iuſtitiae leges exigunt, et tu ipſe omnibus auctor es, vt quicquid legunt, legant cum iudicio, et rationes vnius cuiuſque rei in promtu habeant. *De analyſibus in locos ſacrarum litterarum* (*), quarum aliquot decades mihi pollicitus es, non rogo, ne videar, tuae fidei, et in me amori aliquid detrahere; hoc vnum abs te peto, vt inter alias, quas ex tua liberalitate habiturus ſum analyſes, etiam reſolutiones in locos ſequentes habere poſſim. *Rom.* III. 24. *Rom.* IV. 25. *Coloſſ.* I. 12—21. et ſi libeat 1 *Cor.* VIII. 5. 6. *Amanuenſi tuo* pretium laboris, vbi me Deus ad vos ſaluum atque incolumem adduxerit, libenter numerabo. *De libro meo*, (**) ſi lucem viſurus eſt, rogo te, vt ita agas, quemadmodum *cum tuo agi velles debere*; eiice, quae falſa ſunt, quae parum modeſte dicta, expunge; rationibus, ſi quae paulo imbecilliores fuerint, robur adde. Quae rationibus conuellere non potes, loco ne moueas. Non quid ſenſerit aliquis, ſed quibus rationibus nixus ſenſerit, attende. Suus quidem honos auctoritati, ſed ita, vt intra fines ſuos ſe ſe contineat, neque in veritatem quandam aliquid iuris ſibi arroget. Locum haec habeat in poſterum in coetibus noſtris, ſi qua futura ſint heteroclita capita, quod omen Deus auertat, ne iſta ſequantur peſſima exempla. Infida enim famula auctoritas, iam hoc, iam illo loco ſedem ponere videtur, et tunc facile ad alios tranſuolat, neque enim fixa, et tantum conſtans in leuitate ſua eſt. Non quia hactenus fratres ſenſerint et ſcripſerint, etiamſi modo ſcripſerunt, quidpiam capitis damnetur; ſed quia nullis rationibus probari poſſit, et ex aduerſo in promtu ſint argumenta, quibus et id falſitatis conuincere, et contrarium ſtabilire liceat. Quid enim, ſi plura eiuſmodi et quidem magni ponderis ſucceſſu temporis emergant, quae ab auctoritate diu multumque preſſa fuiſſe dolemus. Ad Pontificios, Lutheranos et ſi qui ſunt eiuſdem farinae gregales, haec et his ſimilia iudicia, vbi horrent ad omnia, quae in LVTHERO non inueniuntur, ac ſi *Locris* legem rogare debeant. 27. Decembris.

EVSTA-

(*) V. ſub. SMALCIO N. 13.

(**) Aduerſus LVCIVM. Ex quo colligimus, eodem circiter anno ſcriptam eſſe hanc epiſtolam, quo ſuperior N. IV. ad MOSCOROVIVM; vtrique enim reuiſio iſtius libri a Synodo erat iniuncta.

# EVSTACHIVS GIZELIVS.

A SANDIO l. c. p. 143. et in *actis MSSCC.* aliquando ſcribitur GISELIVS, et GIZELVS. Illo teſte, patria *Roxolanus.* A. 1634. ſcholae Kiſielinae Rector praeficiebatur, anno vero ſequente inter alumnos Racouienſes locum obtinuit, et nobili iuueni NIEMERICIO ſtudiorum et morum Ephorus conceſſus eſt, hac tamen cum conditione, vt cum eodem Racouiam ſe conferret. Eodem anno 1635. corrigendae verſionis polon. librorum N. T. negotium ipſi, vna cum STOINIO et SCHLICHTINGIO commendatum. Non tamen Racouiam veniſſe et Synodi decreto feciſſe, quod ſatis eſt, videtur, cum a. 1636. iterato concluſo Racouiam reuocatus, et hunc in finem ad Dn. NIEMERICIVM litterae datae fuerint. Cum a. 1638. de amplificanda et meliori forma exornanda ſchola Kiſielina ad exemplar lycei Racouienſis iam diſturbati, conſilia caperentur, GIZELIO vsque ad aduentum noui Rectoris, per RVARVM procurandi, committebatur, vt diſcipulos in ſtudiis prouectiores in claſſe ſuprema binis quotidie horis, a Scholarchis determinandis, inſtrueret. In Synodo 1640. Kiſielini habita ſeuere reprehendebatur, de opinionibus, quas fouit, ſcandaloſis, librisque peſſimae notae concinnatis et diuulgatis, quibus vt abſtineret, excommunicationis alioquin in eum ſtatuendae comminatione territus eſt, miniſtrisque coetus ſerio iniunctum, vt eum obſeruarent, ne coetus aliquod detrimenti ab eodem patiatur. In nota ad marginem in *Act. Synod. MSSCC.* ſcripta, ſignificatur, quod Kiſielini quoque re ipſa excommunicatus fuerit. Quas vero in ſpecie defenderit et diſſeminauerit ſententias, ac quos concinnauerit libros a Sociniano coetu improbatos, tacentibus *actis*, ignoramus. A. 1646. miniſtris Volihynien-

nienſibus committebatur, vt GIZELIVM redeundi in gratiam cum coetu ſuo admonerent, quibus ipſum monitis obtemperaſſe coniicimus, quia in *actis* conſeſſus Raſzcovienſis a. 1655. notatum legimus, quod MARC. LVBIENIECIVS eum in domum ſuam ſuſcipere conſtituerit, vt confeſſionem (ſine dubio ION. SCHLICHTINGII) coetus, vna cum praefatione in linguam *Ruſſicam* transferret.

SCRIPTA:

1. *Liber* THOMAE A KEMPIS *de imitatione Chriſti, in graecum idioma translatus. Francof. ad Viadr.* 1626.
2. *Antapologia ſ. refutatio Apologiae, quam ad nationem Ruthenicam fecit* MELETIVS SMOTRISKI *dictus Archiepiſcopus Polocenſis: ſub nomine* GELASII DIPLICI edita 1631. polon. V. PLACCII *pſeudon.* N. 840. p. 238.

## MATTHIAS GLIRIVS. *(Vehe.)*

Idem auctor eſt, qui ſub nomine THEODORICI vel DIETERICI DORSCHII, ſ. DORSII, nec non NATHANAEL. AELIANI latere voluit, quod ex RVARI ep. ad CALOVIVM Cent. I. N. 46. conſtat. Notari his nominibus MATTH. VEHE, *Diaconum Lutrenſem* (non vero *Medicum*, quod SANDIVS l. c. p. 60. perhibet) in Palatinatu inferiore a SYLVANO ſeductum, ex ZELTNERI notis in epp. RVARI p. 176. et *hiſt. Crypto-Socin. Altorff.* p. 353. docemur. Celebratur quoque in hiſt. litter. MICH. VEHE, Ordinis S. Domin. S. Th. D. et Hallenſis in Miſnia Eccleſiae circa a. 1531. Praepoſitus, de cuius libro, qui prodiit ſub tit. MICH. VEHE Errettung der beſchuldigten Kelchdiebe vom Bugenhagenſchen Galgen, 1535. 4. Alph. 1. pl. 1. quique *Bugenhagii* libello, wider die Kelchdiebe, oppoſitus eſt, V. *relat. Innoc.* 1716. p. 385. ſeqq. Plura MICH. VEHE ſcripta

pta allegauit Io. HALLERVORDIVS in *Biblioth. curiosa*, p. 276.

SCRIPTA:

1. *De regno Christi*, liber germanicus 1578. Colon. editus, cui titulus: NATHANAELIS AELIANI, Matthanla. V. SANDIVS in *nucl. hist. eccl.* L. III. p. 430. et *Biblioth. Antitr.* p. 60. De eodem RVARVS ad CALOVIVM l. c. scribit: DIETRICHVS DORSCHIVS, qui idem et NATHANAEL AELIANVS MATTHANIA, atque etiam MATTHIAS GLIRIVS, de regno Christi plane iudaizat.
2. Suam quoque Symbolam contulit libro, cui titulus: *Tractatus aliquot Christianae religionis. Ingolstad.* 1583. 8. cui THEODOS. SCHIMBERGIVS praemisit praefationem. V. SANDIVS l. c. p. 86. Auctores libri sunt praeter GLIRIVM, ADAM. NEVSERVS et IO. SOMMERVS, teste WOLFG. FRANZIO *dispp. in Aug. conf.* P. I. *disp.* IX. *thes.* 62. 149. aliisque locis. Videtur vel in Transyluania, vel in Polonia paucis saltim exemplaribus impressus; quare SMALCIVS in refut. thes FRANZII p. 290. fatetur, quod nunquam opusculum hoc viderit. Argumentum eius *vid.* sub SOMMERO. Eidem, vt coniicimus, oppositi sunt: GREGOR. DE VALENTIA *Libri V. de Trinitate, in quorum postremo nominatim refutantur horribiles blasphemiae cuiusdam pestilentis libri, non ita pridem de eo argumento in Polonia editi. Ingolstad.* 1586. 4.

## IOANNES GLIRIVS.

SANDIVS nihil praeter nomen et tractat. *de Veteri et Nouo Foedere*, ab eodem scriptum allegauit l. c. p. 60. nec nobis praeterea quid innotuit.

## PETRVS GONESIVS, *vid.* CONYZA.

# ADAMVS GOSLAVIVS A BEBELNO.

Eques polonus, NICOL. TAVRELLI discipulus, inter primos, qui e Socinianorum coetu eruditionis laude inclaruerunt, referendus, quem ZELTNERVS l. c. p. 229. *nominatissimum acerrimumque Socinismi defensorem* adpellat; nec facile acutissimi prae caeteris, quorum non pauci fuerunt, Philosophi laude defraudandus. Duo a LVBIENIECIO l. c. p. 273. celebrantur fratres germani e nobilitate polonica eminentiores, erroribusque *Socini* adscripti, ADAMVS et *Andreas*, e quibus ANDREAS, quantum scimus, nihil scriptorum luci commisit, hinc a SANDIO quoque non commemoratur. ADAMVS vero doctrinae suae monumentis, scriptisque pro errore suscepto apologiis, nominis sui famam consequutus est, quem hanc ob caussam Crypto-Sociniani *Altorffini*, DIOCLEM adpellare consueuerunt. Recte suspicari videtur ZELTN. l. c. originem cognominationis huius non deriuandam esse ex Medicis et Philosophis graeciae, qui hoc nomine inclaruerunt, sed ex nomine GOSLAVII gentilitio, ad germanicam formam translato, vt denotet **Gottslow**, quod graece Διος κλεος DEI GLORIA audit. De vitae ipsius fatis SANDIVS l. c. p. 108. nihil notauit, nec LAVTERBACHIVS l. c. vllam eius fecit mentionem, quia fortassis nulla ipsius scripta, admodum rara et non facile obuia, ad eius manus peruenerunt.

Ortum suum traxit e *Scepanouia* familia. Matrem agnouit DOROTHEAM, ex *Philippouia* gente vetusta natalibus claram. CYRILLI TASSITII viduam in matrimonio habuit et Luclauicianum ad tempus praedium, matrimonii iure cum coniuge sua tenuit. Magna in aestimatione existens litteras ad Senatum Gedanensem pro RVARO intercе-

tercedentes ſubſcripſit. V. RVARI epp. ex edit. ZELTN. p. 633. Publico quodam officio perfunctus non videtur; niſi forte ad tempus *Secretarii Regii*, quippe in *actis MSSCC.* a. 1608. ADAMI cuiusdam Secretarii fit mentio. In praefatione opuſculo aduerſus KECKERMANNVM praefixa inquit: *Theologus non ſum, vt nec Philoſophus, neutrum mihi aſſumo.* Plurimum vitae ſuae temporis vixit in praedio paterno, GOSLAVIIS fratribus communi *Kraſſow* dicto, haud procul Luclauiciano pago gemino, ſede illa Socinianorum famoſa, in quo F. SOCINVS extremum vitae ſuae tempus vixit diemque obiit. In praefatione libri allegati, amicorum coetusque ſui ſociorum ſuaſu editi prodit, ſe ſtudia litterarum totum octennium intermiſiſſe, eumque eſſe morem gentis ſuae plerorumque nobilium, tam diu ſtudiis vt incumbant, quam diu in ſcholis perſeuerent. Quem quidem non laudat, ita autem rem eſſe de ſe aliisque adfirmat, vt ad viceſimum annum rariſſime litteris nauent operam, vltra vix vnus aut alter; bonaque pars aetatis otio abſumatur, reque militari, ciuili, aulica omnes ad vnum occupentur." Hac ratione reddita, et ad ſe quoque adplicata, haud obſcure innuit, quod iſto tempore, quo libellum euulgauit, nondum trigeſimum aetatis annum attigerit. Cum a. 1638. in Synodo Kiſielina ſeptem conſtituerentur ciuitatis Socinianae CVRATORES ac DIRECTORES, ADAMVS quoque et ANDREAS GOSLAVII, teſtantibus *actis Synod. MSSCC.* in horum numerum ſuſcepti ſunt, quod ſatis documenti eſt, quanta in exiſtimatione, GOSLAVII fuerint. De mortis definito tempore certi quid reſcire non licuit. In viuis vero ADAMVM poſt a. 1640. adhuc fuiſſe ſuperſtitem, ex epiſtolis RVARI patet. Quod Io. CRELLIVS absque GOSLAVII conſilio nihil negotii adgredi auſus fuerit, ex illius epiſtola,

quam CREENIVS *animadu. hist. philol.* P. V. p. 259. seqq. inseruit, colligitur. In *actis MSSCC.* ad a. 1648. STANISLAI GOSLAVII fit mentio, cui eodem tempore *Diaconi* munus in coetu collatum.

SCRIPTA:

1. ADAMI GOSLAVI A BEBELNO, *Refutatio eorum, quae* BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS *in libro primo systematis sui theologici disputat, aduersus eos, qui solum Patrem Domini nostri* IESV CHRISTI *esse illum Deum Israelis, Filium vero Dei, neminem alium praeter et ante eum, qui ex* MARIA *virgine est natus, confitentur, tribus partibus distincta. Racouiae*, typis SEBASTIANI STERNACII, *anno* 1607. 8. pagg. 166. et 8. praefationis. A paucis liber iste visus est, quamvis altera eiusdem editio, eodem loco, et ex eadem officina a. 1613. 8. prodierit. Habet tamen posterior editio paginas tantum 138. cuius differentiae ratio a me indicari nequit, cum priorem editionem non viderim, quam BAVMGARTENIVS recensuit in recens. Biblioth. Hal. T. VI. p. 321. *Vid.* SANDIVS l. c. p. 108. Dicatus est liber AMPLISSIMO SENATVI GEDANENSI, occasione inde quaesita, quod KECKERMANNVS *Gedani* vixerit, hocque loco aduersus Antitrinitarios calamum strinxerit. Post praefationem *laconico* dicendi genere concinnatam, tribus liber ipse absoluitur partibus. *I.* p. 1. In qua respondetur ad argumenta pro Trinitate allata, quae quinque complectitur capita. *II.* p. 73. In qua defenduntur nonnullae obiectiones, contra eandem Trinitatem allatae, sed ab hoc ipso KECKERMANNO impetitae, habetque decem capita. *III.* In qua tractatur DE PERSONA, capitibus 10. quam partem inprimis refutandam suscepit IACOBVS MARTINI in libro *de tribus*

*bus Elohim:* Ita vero ZELTNERVS l. c. p. 230. de hoc GOSLAVII opere, optime iudicat: "Disputat in eodem plus iusto, quod ipse GOSLAVIVS lubenter fatetur, philosophice et subtiliter, de summis et sola Dei reuelatione nobis cognitis mysteriis; sed extra oleas vagatus, ita nimirum, vt perpetuo res *finitas*, cum *infinito* ente, qua chorda et reliqui oberrant, comparet et confundat. De reliquo, stylus, quo vtitur, mediocris est, attamen pro studiorum atque vitae ratione non spernendus; caetera sunt cum *Socino* communia."

Epistolam dedicatoriam ita inchoat: "Vt afferam vobis, quae scripsi aduersus KECK: duabus caussis moveor. *Altera* est; quod KECK: in vrbe vestra viuit. *Altera;* quod apud vos accusemur a vestris Theologis, nescio cuius in Filium Dei blasphemiae: adeo, vt ciuibus vestris eadem religione nobiscum coniunctis, libero religionis exercitio, intra et extra vrbis moenia interdicatis: parum abest, quin non igni et aqua. Sed duplici iniuria. *Primum* accusamur eius rei, a qua sumus quam alienissimi. Tantum enim abest, vt impia aliqua de Filio Dei dicamus: vt confitentes, eum esse nostrum Dominum et Deum, summa Dei potentia exaltatum, ab eo speremus et expectemus aeternam vitam. — — — *Deinde*, iniquum est, aliquem priuare ea re, quae vobis, et aliis hominibus nullam iacturam afferat: maximam vero ei, cui eripiatur. Quid, dicite, vos, vel vestra vrbs incommodi hinc refertis, si ad nutum ciues vestri vtantur ea religione, quae illis omnium verissima videtur? iniquius vero, ciues vestros, viros bonos, premere eiusmodi edictis et decretis, quae ipsi aegerrime fertis in pari caussa: nimirum, si quis vos, vel loco, religionis caussa, mo-

veat, vel vſu praedicationis Euangelii prohibeat. At iniquiſſimum, nullo fine iſta facere. — — Doletis, vel veſtri Theologi dolent iacturam hominum aeternum pereuntium? Cur itaque ſcriptura ſacra nobiscum non certant? aut ad diſputandum nos non prouocant? Cur in pietate populum ſibi commiſſum ita non erudiunt, vt nos ſuo, ſuorumque exemplo ad ſe attrahant? Haec ſunt arma, quae ſola animis noſtris vim afferunt, quae, vt credam, me compellunt, non prohibitiones et interdictiones vſus religionis: non ſexcenta mortis genera. Quae, vt aliquando ſimulem, faciunt, at non, vt firmiter hoc vel illud eſſe verum mihi perſuadeam. Iſto genere armorum veſtri Theologi adeone ſunt exuti et ſpoliati, vt habeant neceſſe confugere ad tam violenta conſilia?"

Subſcripta eſt haec epiſtola: in *Kraſſow*, *praedio meo paterno. Calend. Decemb.* Anno 1607.

2. ADAMI GOSLAVII A BEBELNO *diſputatio de perſona: in qua* IACOBO MARTINI *Profeſſori Wittembergenſi, ea in libro ſecundo de tribus* ELOHIM *refellere enitenti, quae ab auctore contra* BARTHOLOMAEVM KECKERMANNVM *parte tertia diſputata ſunt, tum de ratione perſonae in genere ſumtae, tum de definitione diuinae perſonae, a* IVSTINO, *vt vulgo creditur, tradita, reſpondetur. Racouiae, typis* SEBASTIANI STERNACII, 1620. 8. *pagg.* 116. et *praef.* 6. Inter rariſſimos hunc numerandum eſſe librum, vel exinde quidam collegerunt, quod LVBIENIECIVS eum perditum, typisque nunquam excuſum putauerit. Ita enim l. c. p. 274. de GOSLAVIO inquit: "Ille quidem eximiae eruditionis documenta ſcriptis publicae luci commiſſis orbi haud vulgaria dedit, plura daturus, niſi opus aduerſus IACOBVM MAR-

MARTINI Philoſophum celeberrimum, elaboratum incuria amici periiſſet." His LVBIENIECII verbis ZELTNERVS l. c. p. 230. calculum ſuum adiiciens, ipſe quoque librum nunquam vidiſſe lucem, arbitratus eſſe videtur. Sed loqui LVBIENIECIVM de prolixiori eiusdem argumenti opere, quod periit, infra notabimus. Raro tamen occurrere hanc GOSLAVII diſputationem, expertum eſt eruditis. SANDIO incognitus non fuit liber, qui titulum l. c. p. 108. exſcripſit. Per decretum Synodi 1620. menſe Maio Racouiae habitae, hic liber inter omnes iam concinnatos, primum typis exſcribendus iudicatus eſt. Duas vero complectitur partes, in quarum PRIMA *de ratione perſonae in genere ſumptae diſputatur, capitibus XV.* p. 1-60. Hi ſunt capitum tituli: I. *De occaſione ſtatu et partibus diſputationis.* p. 1. II. *Vulgo recepta perſonae definitio proponitur.* p. 2. III. *Ratio aduerſarii refellitur, qua euincere voluit, vulgo receptam perſonae definitionem non eſſe accuratam.* p. 6. IV. *Naturam ſeu ſubſtantiam eſſe de intrinſeca et formali ſuppoſiti ratione.* p. 13 V. *Ad rationem ſuppoſiti hoc tantum requiri, vt ſit ſubſtantia prima.* p. 19. VI. *Reſpondetur ad obiectionem, quae contra datam definitionem ab aduerſario adfertur.* p. 21. VII. *Quid de ratione ſuppoſiti, tum veteres Theologi ſenſerint, tum recentiores quidam ſcholaſtici ſentiant.* p. 25. VIII. *Naturam et ſubſtantiam non eſſe ſuppoſiti ſubiectum: ac proinde in eius ratione non aſſumi vt ſubiectum.* p. 29. IX. *Incommunicabilitatis ratio explanatur: et ſimul indicatur, iure tum a* BOETIO, *tum a me vocem incommunicabilitatis in definitione perſonae praetermiſſam eſſe.* p. 31. X. *De perſonae vi et ratione.* p. 36. XI. *Quid de aduerſarii definitione in ge-*

*nere sentiendum sit.* p. 40. XII. *Subsistentiam locum generis in definitione personae sustinere non posse.* p. 43. XIII. *Reliqua pars definitionis aduersarii examinatur; inprimis autem incommunicabilitas.* p. 44. XIV. *Naturam intelligentem ad materialem personae differentiam non esse referendam.* p. 57. XV. *Multiplicatis personis, multiplicari essentias indiuiduas intelligentes.* p. 59. In ALTERA ad quaestionem IX. *capitibus* p. 61-116. respondetur: vtrum definitio PERSONAE in genere sumptae, diuinae personae conueniat, nec ne? Capitum inscriptiones sunt: I. *De materia et subiecto huius alterius partis.* p. 61. II. *In quo ad examen capitis mei primi et secundi respondetur.* p. 62. III. *Deo et nomen et rationem personae vere et proprie conuenire.* p. 66. IV. *Ad examen capitis mei tertii respondetur.* p. 69. V. *De definitione personae diuinae, a* IVSTINO, *vt vulgo arbitrantur, tradita.* p. 78. VI. *Defenduntur ea ab impetitione aduersarii, quae capite* 7. *partis tertiae, ad ostendendum, personam non esse modum, nec relationem, allata a me fuerunt.* p. 83. VII. *Respondetur ad caput decimum sextum, in quo conatus est aduersarius refellere rationes meas, ostendentes, in Deo nullam esse relationem eius generis, cuius generis est in rebus ex essentia sua procreantibus.* p. 87. VIII. *Vtrum personae Trinitatis principio careant, nec ne.* p. 107. IX. *Conclusio cum praefatione ad aduersarium.* p. 113.

Totum opus scholasticis farctum disquisitionibus, id saltem euincit, nonnullas personae descriptiones ac definitiones esse illegitimas ac erroneas; neutiquam vero, male adhiberi et contradictionem inuoluere vocabulum in doctrina de mysterio SS. Trinitatis, quando istud debite explicatur ac limitatur. Id autem praecipue

pue agit *Goslauius*, vt per definitionem eius, quod eſt *Perſona*, dogma de myſterio S. S. Tr. infringat. In praefatione ad aduerſarium circa finem libri p. 115. ita ſcribit: "Iam cur quinquennio poſt editionem ſcripti tui, diſputatio mea in lucem aduerſus te prodeat, in cauſſa ſunt partim occupationes meae, partim quod demum anno milleſimo ſexconteſimo decimo ſeptimo exemplar ſcripti tui nactus fuerim. Nam etſi theſes eadem de materia vnico ante anno miſſae ad me *Witteberga* fuerint, tamen cum neſciuerim, emiſiſſe te certum quoddam ſcriptum, in quo aduerſus me diſputes, calamum de tabula ſubducendum et a reſpondendo tantiſper ſuperſedendum duxi, donec ſcriptum tuum haberem. Sed factum poſtea eſt, vt aduerſa valetudine biennio, cum periculo vitae meae conflictarer. Qua tandem recuperata, calamum reſumpſi, nec a ſcribendo prius deſtiti, quam vltimam huic lucubrationi meae imponerem manum. Quod licet anno ſuperiore factum ſit, tamen cum certis aliis de cauſſis, tum vt haec opella mea aliquantulo tempore matureſceret, differendam eius editionem putaui." V. REIMANNI *Catal. Biblioth.* theol. p. 659. quo iudice non nudus prorſus et inermis in hanc arenam deſcendit; ſed SOCINI tamen placitis non ita imbutus, vt prorſus eiusdem cum eo ſit ſententiae. Ille enim in ep. ad ANDR. DVDITHIVM p. 75. adiaphorum eſſe putat, illam de Deo notionem, ſit ne trinus ille magis, quam non trinus. Hic autem ſententiam de Trinitate perſonarum errorem eſſe exiſtimat, eumque longe perniciosiſſimum.

An idem liber, eiusque editio reiteranda, an peculiare ſcriptum innuatur, quando a. 1643. in conventu

ventu Siedlifcenfi RVARO commendatur, vt AD. GOSLAVII tractatum de perfona typis exfcribendum curaret, certo dici nequit. Pofterius veri fimilius videtur, ex addita in conuentus huius conclufo conditione: fi fcriptum iftud GOSLAVII inter libros RVARO transmiffos inueniri poffit. Ad hunc tractatum imprimendum, *Dominam* GOSLAVIAM fumptus fuppeditaturam effe, idem conuentus RVARO fignificat. Edita vero GOSLAVII *de perfona difputatio* fragmentum faltim eft ex eiusdem confutatione IACOBI MARTINI librorum de III. Elohim, quae tefte LVBIENIECIO l. c. L. III. C. XV. p. 274. periit. V. ZELTNERVS l. c. p. 230. Conclufo igitur conuentus Siedlifcenfis, totum GOSLAVII opus fuo ambitu notatur, quod publicam lucem nunquam adfpexit.

Ex tribus IACOBI MARTINI libris *de tribus Elohim*, *primus* prodiit. *Witteb.* 1614. 8. inprimis aduerfus ENIEDINVM et OSTORODVM; *fecundus* 1615. adverfus GOSLAVIVM; *tertius* aduerfus *Iudaeos* et Semiiudaizantes vel MART. SEIDELIVM 1619. quo anno etiam primus et fecundus iterum typis excufi funt. In publicum quoque emifit MARTINI *Synopfin Religionis totius nou. Photin. Witteb.* 1633. 8. nec non *Syntagma difpp. Antiphotinian. Witteb.* 1647. 4.

3. *Refponfio ad defenfionem concionis* PETRI SKARGAE *S. I. de Trinitate*, *factam a* IACOBO OSTROVIO, *Canonico Cracou. Racou.* 1608. polon. De SKARGAE concione vid. fub SMALCIO *Num.* 8.
4. *Scriptum contra* ANDR. KESLERI, *examen Metaphyficae Photinianae. MSC.*
5. *Philologica.*
6. Anno 1627. per decretum Synodi AD. GOSLAVIO committe-

mittebatur, vt librum *de forma regiminis ecclesiastici* conscriberet; an vero istum laborem in se susceperit, vel perfecerit, certo a nobis statui nequit.

## GEORGIVS GREK.

Publicis coetus stipendiis in Polonia per aliquod tempus sustentatus, a. 1648. in consessu Dazuiensi, liberis Gabrielis cuiusdam, natione Galli, paedagogus datus est.

## GRESSERVS.

Hunc consessus Dazuiensis a. 1646. Marco Lvbieniecio liberorum praeceptorem concessit. Meminit Sandivs l. c. p. 86. inter Antitrinitarios, Conradi Graseri, cuius commentarium in Danielem allegat, haecque addit: Nescio, an hic sit idem ille, de quo ita scribit Koenigivs in Bibliotheca V. et N. Graservs (Corn.) *Francus*, natus est a. 1557. obiit a. 1613. Thorunii Ecclesiae simul atque Gymnasio praefuit. Condidit *Comment. in Danielem etc.* An iure meritoque is a *Sandio* Antitrinitariis accenseatur, dubitamus. In vita Conr. Grasseri *Franci*, quam Melch. dedit Adami nihil reperitur, quod vel minimam Neo-Photinianismi suspicionem eidem contrahat.

## MATTHAEVS GRIBALDVS.

Italus, iure consultus celeberrimus, cuius fatorum et scriptorum expositionem sibi vindicabit *historiae nostrae* peculiare caput, *de primis Antitrinitariorum recentiorum in Germania, Italia et Heluetia initiis.*

## IOANNES GROTKOVIVS.

Idem, qui *Grokouius* et *Krotouius* et *Krotkouius* saepius in Actis MSSCC. nominatur, et in *Smalcii* diario

ad

ad a. 1609. Nobilis Polonus vel Litthuanus, cui iuueni SMALCIVS auctor ſuaſorque fuit ſtudia theologica amplectendi, eidemque filiam *Chriſtinam*, primogenitam 1595. natam a. 1610. in matrimonium elocauit. *Smalcio* teſte apud *Zeltn.* l. c. p. 1197. a. 1612. coetui Zarſinenſi praepoſitus eſt. A. 1620. in Synodo Racouiana ſignificauit, quod adminiſtrando muneri eccleſ. iam impar ſit. A *Sandio* non notatur.

## MATTHAEVS HAMANDVS.

De hoc, aeque ac de GE. PARRIO, quem alii PARISIVM adpellant, in *Hiſt. Antitrin. Anglic.*

## IOANNES HARTIGFELDIVS.

Batauus, Patricius Roterodam. Natus Roterod. 1616. Denatus ibidem 1678. d. 22. Octob.

SCRIPTA:

1. Byvoegſel by de Anmerckingen over het verhaal van het eerſte begin en opkoomen der Rynsburgers. Roterod. 1672. 4.
2. Schriftverlycke waardeeringe van het heedendaaghſe predicken en kerkgaan, tegens 't Tafel-praatjen. Roterod. 1672. 4. In hoc libello libertatem loquendi in Eccleſia propugnatam eſſe, *Sandius* l. c. p. 161. teſtis eſt.
3. De recht weerlooſe Chriſten. Roterod. 1678. 4. Opus poſthumum, in quo demonſtrare nititur, non licere Chriſti ciuibus magiſtratum politicum aut bellum gerere, vel capitalia ſupplicia exercere. Defendit in hoc tractatu, BRENII opuſculum, ſub hoc N. 3. a nobis notatum, aduerſus SAM. PRZYPCOVII libellum N. 12. Praefixam eſſe huic tractatui I. D.V. orationem funebrem

bu-g.

belg. qua HARTIGFELDIO parentauit, SANDIVS l. c. notauit.

## HERNWIRTH.

Cantilenas eccleſ. ex lingua polonica in Germanicam transtulit, quod nos docent *act. Synod. MSSCC.* a. 1615. quo tempore de illis in lucem emittendis conſilia ſunt agitata.

## VLRICVS HERWARTHVS.

A SANDIO non notatus. An ex gente Heerwartina Auguſtae Vindelicorum olim florentiſſima (de qua vid. CHRIST. FRANC. PAVLLINI *Annales Iſenacenſes*, p. 250.) deſcenderit, nobis non conſtat. MICH. GITTICHIVS, *Venet.* eum VLRICVM PIVM *Dantiſcanum* adpellat, illiusque epiſtolam ad hunc ſcriptam, Nouogrod. d. 12. Dec. 1616. in hiſtoria Socinianismi alio loco ex *MSC.* exhibituri ſumus. VALENTINI SMALCII in coetu Buſcouiano prope Gedanum cooperarius, certoque reſpectu et *Smalcii* et OSTORODI ſucceſſor, ſub charactere tamen *Candidati* Theologiae vel *Catechetae* fuit, quem 1608. Synodus Racou. interrogauit, quibus conditionibus coetui huic inſeruire apud ſe conſtituerit. Anno autem ſequente ex decreto Synodi Lublinenſis propter infirmam valetudinem officii onere ad tempus liberatus, ita tamen, vt, quantum poſſit OSTORODO adeſſet ſuo auxilio. Hoc defuncto a. 1612. miniſterio eccl. initiatus Buſcouiani coetus curam in ſe ſuſcepit, ex ſtatuto Synodi Racouienſis, quamuis coetus minime eum probauerit, quem tamen SMALCIVS ipſi conciliauit. A. 1618. ab officio hoc ſuſpenſus Racouiam euocatus eſt, quo loco tamen eidem hoſpitium gratis conceſſum, nec non ſtipendium ſatis amplum fuiſſe deſignatum, in *Act. MSSCC.* legimus.

HESI-

## HESICHIVS.

HESICHII exulis, a SANDIO non notati primum in conuentu Siedliſcenſi 1643. fit mentio, in quo vna cum ZWICKERO praeſens adfuit. In conſeſſibus Czarcouienſibus a. 1651. et 52. ipſi ſtipendia ſunt conceſſa. Pro eodem 1652. PACEVICIVS, Miniſter *Samogitiae Keidani* et *Tauerogiae* apud conſeſſum interceſſit; tandem Mareſchallus Wilkomirzenſis a. 1653. eundem, teſtantibus actis MSSCC. conſeſſus Siedliſcenſis, ſuſtentare conſtituit.

## LVDOVICVS HETZERVS.

Vitae eius fata et ſcripta expoſuimus alio loco.

## IOACHIMVS *ab* HIRTENBERG, *vid.* PASTORIVS.

Nomine HIRTENII, quod in actis ſaepius occurrit, notari *Ioachimum Paſtorium ab Hirtenberg* nobis perſuademus.

## ERNESTVS CHRISTOPHORVS HOCHMANNVS.

*Sabellianismi* defenſor, fanaticis accenſendus, de quo alibi.

## MELCHIOR HOFFMANNVS.

A SANDIO in Antitrinitariorum catalogo omiſſus, cui omnino inſerendus eſt, quamuis de coetero Anabaptiſtis tumultuantibus vindicandus. De eiusdem ſomniis, librisque editis, nec non ſectatoribus, dictis *Hofmanniſtis*, et colloquio Flensburgi a. 1529. in cauſſa Sacramenti cum eodem inſtituto, in *hiſtoria noſtra* alio loco.

## TIMOTHEVS HOFFMANN.

Alumnus coetus 1620. Ad inſtantiam D. SIENIVTAE, 1623. coetui Lachouecenſi conceſſus eſt collaborator.

LVDO-

## LVDOVICVS HOHLEISEN.

Per decretum Synodi Piafcenfis a. 1641. Rectoratui fcholae Kifielinae, ad formam Racouienfis adornatae, praeficiebatur; ex quo munere collato, eiusdem non vulgaris eruditio fatis certo colligi poteft.

## IOANNES HRADECKI.

Natione Bohemum fuiffe, *acta MSSCC.* teftantur, quae eundem 1635. a Synodo Racouienfi ephorum datum effe nobilibus iuuenibus CZAPLICIO et GOSLAVIO fignificant. A. 1636. Luclauicianae fcholae Rectoratui admotus eft.

## DEMETRIVS HVNIADES, *f.* HVNYADI.

A loco natiuitatis Hungariae, *Huniadinum*, HVGNADINVS dictus. Quae de eodem refcire potuimus, in *Hift. Socin. Tranfylu.* expofituri fumus, fiquidem *Superintendens*, f. *Epifcopus Vnitariorum* in Tranfyluania et FRANC. DAVIDIS fucceffor fuit.

SCRIPTA:

*Libellus in quo Paedobaptifmum etc. ab Ecclefia intermiffum recipi et obferuari hortatur.* Tefte SANDIO l. c. p. 86. ex BLANDRATAE confilio concinnatus, et Claudiopoli in Confiftorio a. 1579. d. 14. Septembr. coram Senatu praelectus, prout refertur in fcripto Fratrum Tranfylvanorum ad N. N. *Defenfioni* FRANCISCI DAVIDIS inferto p. 277. CZWITTINGERO l. c. *Huniadis* opufculum typis impreffum non videtur, notante IOECHERO in *Lex. erudit.*

## HENNINGVS HVTHMANNVS.

Socinianis maxime in articulo de IVSTIFICATIONE

 homo-

homodoxus. De eodem eiusque difcipulo DAN. CNORRIO in *Hift. Socin. German. Vid.* WALCHII *Biblioth. theol. fel.* T. I. p. 921. MICH. LILIENTHALII *Biblioth. theol.* T. I. Sect. X. p. 909.

## SAMVEL IARAI.

Hungarus. SANDIVS l. c. p. 132. *Plebanum Claudiopolitanum* poft VALENT. RADECIVM eum vocat. BETHLENIO in epp. RVARI ex edit. ZELTN. p. 697. *Superintendens* audit. Huius fortaffis filius erat IOANNES IARAI, cuius F. BETHLEN, *Archimarefchallus Principatus Tranfyluaniae* in epiftola ad RVARVM 1648. fcripta, in huius epp. l. c. p. 688. meminit, his verbis: *Quo in ftatu fint res Domini* IOANNIS IARAI, *quam maturrime fignifices.*

SCRIPTA:

*Samuelem Iarai* fcripfiffe *de diuortiis*, 4. et alia, *Sandius* l. c. teftis eft.

## DANIEL IASKIEVICIVS.

A SANDIO non notatus. Pater eius in *actis MSSCC.* cognominatur Racouienfis, cui conuentus Siedlifcenfis a. 1643. pollicitus eft filium ipfius, quem opibus deftitutus litteris facrare non potuit, vt volebat, publicis fuftentare beneficiis, fi eundem curae et prouidae voluntati coetus committere voluerit. A. 1645. a confeffu Zulinienfi, conceffus eft RVARO amanuenfis et liberorum paedagogus; fequente autem anno 1646. ftipendio adiutus *Elbingam* miffus ad addifcendam linguam teutonicam. Poft aliquod tempus in *Galliam* fe contulit, et hinc a. 1650. ex ftatuto confeffus Rafzcouienfis in *Belgium.* Paulo poft in patriam redux Kraffouienfi coetui praedicando operam praeftitit, et a. 1653. Iuanicenfi. Anno proximo IOANNI DEMIANOVICIO

VICIO in Volihyniensibus coetibus cooperarius est constitutus, in quem finem 1655. ministerio eccles. initiatus. In confessu, loco anonymo habito a. 1662. Transyluanis designatus est, quod statutum in consessu Cruciburgico 1663. repetitum; videtur tamen potius in *Borussiam* post aliquod tempus concessisse. Animaduertimus enim in albo ciuium Academ. Regiomont. MSC. a. 1665. d. 13. Maii Rectore Acad. WOLDERO, DANIELEM IASKIEVICIVM, Polonum, studiosorum numero insertum, nec dubitamus, quin idem fuerit, qui priuilegio academico decoratus, Socinianorum commodis in Borussia studia sua sacrauit, et, quo malae intentionis suspicionem a se auerteret, iuramentum solito more praestitit, teste eodem albo academico. Tanto probabilior nobis haec videtur coniectura, cum in actis MSSCC. familiae huius animaduertimus, DAN. IASKIEVICIVM, Socinianorum in districtu Metropolis Borussiae peregrinantium curam habuisse.

## ERASMVS IOANNIS.

Soltquellensis vel Soltuedelensis, ex Marchia veteri germanus; quod ZELTNERVS dubitanter prodidit, BAVMGARTENIVS vero in *Recens. Biblioth. Halensis*, T. VI. p. 487. pro certo statuit, cum exemplari operis F. SOCINI aduersus ERASM. IOANNIS, quod possedit ipse, antiqua manus notauerit, eundem *Soltquellensem* patria fuisse. Belgici Crypto-Socinismi exstitit primipilus. A IOACH. VRSINO in prooemio OTTONIS CASMANNI *Antisocino* praemisso, adpellatur IOANNES ERASMI, Solduedelensis, olim Lipsiensis academiae discipulus, atque hinc forte, incertum tamen, quo fato, Antwerpiam demum deductus, postquam *Genevae* aliquantisper cum BEZA conuersatus fuerat, quem ad *Io.* V. 39. commentatum admonuit, ne

in imperatiuo, ſed indicandi modo illud *ἐρευνᾶτε* redderet. Ad quem locum ab eodem, hominis pii et eruditi elogio inſignitus eſt. V. ZELTNERVS l. c. p. 245. In hoc itinere, cuius determinatum tempus a nobis indicari nequit, vel a LAELIO SOCINO ipſo, vel ſociis Italis in Heluetia circumuagantibus, haereſi infectus videtur. Hinc in *Belgium* profectus, propter inſignem in lingua hebraica eruditionem Rector ſcholae Antwerpianae conſtitutus. Hoc loco teſte SANDIO librum quendam opinionis ſuae interpretem clam emiſit. Titulus non indicatur; ſine dubio autem in eodem, Arianorum veterum haereſin, quam poſtea in Polonia defendit, adſtruere conatus eſt, idemque ſcriptum notatur, quod infra *Num.* 5. allegamus. Hiſce auſibus obſtitit GVILIELMVS, Princeps Auriacus, qui iſto tempore Burggrauius Antwerpienſis erat, ita, vt ERASMVS munere ſuo exutus, vrbe excedere cogeretur. Hinc in Poloniam conceſſit, quo loco cum F. SOCINO diſputationem per biduum temporis habuit, de qua in vita F. SOCINI. In ſcripto, quod certaminis huius argumentum exhibet, ERASMVS IOANNIS fatetur, quod cum SOCINO faciat in articulo *de vero vno Deo Patre*, nec Trinitatem agnoſcat, quam ob rem etiam perſequutionem a Germanis paſſus fuerit. In doctrina autem *de perſona et officio Chriſti* expreſſe negat, ſe cum SOCINO ſentire, quamuis paratus ſit, meliora amplecti.

Cracouiae ALEXIO RODECIO typographo in corrigendis libris operam praeſtitit, quamuis eorundem contenta non ſemper probaret, inprimis vbi contra Chriſti adorationem et inuocationem, nec non praeexiſtentiam ante natiuitatem e MARIA diſputabatur. V. SOCINI epiſtola ad MATTH. RADECIVM d. 8. *Ianuar.* 1586. ſcripta in *epp.* eius, p. 141. Poſtea in Tranſyluaniam ſe contulit, ac *Clau-*

*Claudiopoli* lectoris, vt SANDIVS refert, secundum *acta MSSCC.* vero pastoris munere functus est, hac tamen conditione ne pro suggestu doceret, Christum Filium Dei ante matrem suam re ipsa exstitisse. Hoc loco circa finem Saec. XVI. diem suum obiit; a. 1590. vero adhuc in viuis fuisse epistola ab eo ad F. SOCINVM hoc ipso anno data, testatur.

SCRIPTA:

1. *Antithesis doctrinae Christi et Antichristi de vno vero Deo.* 1585. 8. *typis* ALEX. RODECII. Auctoris quidem nomen non praefixum, esse tamen ERASMVM IOANNIS ex F. SOCINI ep. 3. ad M. RADECIVM constat. Prodiit cum refutatione HIERON. ZANCHII sub hoc tit. *Ad cuiusdam Ariani libellum, cui titulus est: Antithesis Christi et Antichristi de vno vero Deo, Responsio. Neostad.* 1586. 4. Inserta quoque est operibus eius T. VIII. fol. 829. Praefatio ad *Io. Sturmium* data est *Neostad.* 1586. 1. Sept. De ERASMI IOANNIS scripto ita F. SOCINVS in epistola ad *Matth. Radecium* d. 17. Martii 1585. scripta: "Scriptum ERASMI IOANNIS, quod ad me misisti, iam pridem ab ipso ERASMO habueram, quin etiam se illud exarare velle, ante mihi significaverat. Qua re audita, non destiti illum ab incepto dehortari, id diuinans futurum, quod euenit, vt scilicet ipse, nec ea, quae dixeram, satis fideliter, quamquam imprudens, referret, nec etiam sua ipsius ita scriberet, (de sententia non de verbis loquor) vt ea coram exposuerat. Noluit tamen ipse mihi hac in re quidquam credere, existimans, satis fore, si, vt fecit, scriptum ea conditione ad me mitteret, vt mihi in iis, quae dixisse ibi narrabar, quicquid vellem, mutare liceret. Quod ego non feci, tum quia id nimis laborio-

ſum mihi eſt viſum, tum vero, quia nimis breue ſpatium ad id faciendum is mihi conceſſerat; quippe qui ad communem quemdam amicum noſtrum ſcriptum ſuum biduo miſſurus eſſet. Itaque aliud facere ſum aggreſſus, et quicquid in eo ſcripto ipſe ſe dixiſſa commemorat, ſatis copioſe ac diligenter refutaui, nulle ratione habita eorum, quae me dicentem facit, licet multa ſatis fideliter retulerit, niſi vbi alioquin ea, quae ipſe dicit, locum habitura non fuiſſent, et opere abſoluto atque deſcripto, curaui, vt ſimiliter, ad communem illum amicum noſtrum mitteretur, a quo poſtea ipſe ERASMVS illud accepturus eſſet."

2. *Tractatus de cauſſis vitae aeternae.* Librum hunc, in quo de triplici iuſtitia filiorum Dei agit, FAVSTO SOCINO 1590. transmiſit auctor, eiusque iudicium de eodem ſibi expetiit, quod cum eodem quoque communicauit per epiſtolam Cracouiae ſcriptam d. 20. April. 1590. in *epp. F. S.* p. 402. ſeqq. Inter alia plura SOCINVS iudicat, quod minime dicendum ſit, Chriſti iuſtitiam a Deo, nobis velut propriam imputari, quod nusquam ſcriptum extare, nec ea re quicquam opus eſſe putat. Sed de hoc SOCINI iudicio, alio loco.

3. *De IV. Monarchiis liber.*

4. *Commentarius in Apocalypſin.*

5. *Diſcurſus, in quo demonſtratur, Regnum Antichriſti ſtatim poſt Apoſtolorum tempora coepiſſe, et Concilia omnia, ipſumque adeo* NICAENVM *hac peſte infectum fuiſſe etc.* Gallicam libri huius translationem allegat SCHELHORNIVS *in Amoen. litter.* T. II. p. 355. et VOGTIVS *Catal. libb. rar.* ſub tit. *Diſcours ou l'on fait voir clairement, que le Regne de l'Antichriſt commença a paroitre dans l'Egliſe immediatement apres la mort des Apo-*

*Apotres, et par consequent, que tous les conciles, qui se sont assemblez, et tous les livres des Peres, qui ont etes ecrits de puis ce tems la, sont infectez de plusieurs erreurs Anti-chretiennes, et meme le fameux Concile de* NICEE, *qui se tint l'an* CCCXVIII. Summam libri huius ex GERARDI BRANT *historia Reformationis Germaniae inferioris* MICH. DE LA ROCHE exposuit in *Memoires litteraires de la Grande Bretagne*, T. III. p. 100. seqq. Liber iste, cum BRANTIO l. c. teste, publice fuerit suppressus, veri simile est, ob eum ipsum Antwerpia auctorem esse expulsum. Minime vero iste liber idem est, cum eo, quem Num. 1. citauimus, quod *Schelhornius* putat. Antithesis enim illa, aduersus quam F. SOCINVS calamum strinxit, quaeque 1585. prodiit, post habitam demum 1584. cum *Socino* disputationem, concinnata est, quippe quae colloquii et disputationis istius contenta exhibet. V. BAYLIVS s. t. *Socin.* Not. k.

6. *Scriptum* ad F. SOCINVM, pro I. C. praeexistentia antesaeculari, editum cum F. SOCINI responsione: absoluta est disputatio haec 1584. 30. Nou. adiuncta est quaestio eiusdem argumenti ab ERASMO IOANNIS F. SOCINO proposita. Opusculum hoc MATTH. RADECIVS refutare constituerat.

7. *Epistola ad* F. SOCINVM, in qua iudicium eius de scripto N. 2. allegato sibi expetiit. Extat inter *F. Socini* epistolas. Responsoria SOCINI data est 1590. 20. *April.*

## DAVID IORIS, *vid.* DAVID GEORGIVS

## ANDREAS IOVEDECIVS.

Nomen fictum videtur, sub quo, vt coniicimus, ANDR. LACHOVIVS scriptor *colloquii Roznouiensis* latet.

## IVRKIEVICIVS.

Inter alumnos Racouienses susceptus a. 1631. testabatur Synodo, quod coetus Sociniani commodis sua talenta dicare velit. A. 1638. in Synodo Kisielina, vt studio Iuridico operam suam nauaret, admonitus est.

## KALBE, *vid.* CALBIVS.

## PETRVS KARNIEVIVS.

Aliquando in *actis MSSCC.* CARNIOVIVS scribitur. A. 1639. Szerszniac apud Dn. Venatorem Kiiouiensem commorabatur, eidem doctrina et precibus habendis inseruiens; a. 1640. vero ad Czarchouiensem coetum PISTORIO successit. In Czarchouiensi consessu 1642. iussus est PETRO STOINIO in Czernichouiensi coetu, suo adesse auxilio, vsque dum KRZYSZKIEVICIVS in patriam rediturus sit. A. 1650. DNN. SKOP concessus est, qui consessui Czarcouiano pro eodem gratias egerunt. A. 1653. Lazinensi coetui et Dnae PODLODOVIAE operam suam praestitit.

## KAZANOVIVS, *vid.* CAZANOVIVS.

## IOANNES KISZKA DE CZECHANOWIEC.

Eques Litthuanus, teste SANDIO l. c. p. 82. discipulus CASTALIONIS, cui etiam mortuo in exteris oris monumentum erexit. Primo *Incisor Regius in Magno Duc. Litthuan.* postea *Praeses Generalis Samogitiae.* Hinc *Castellanus Vilnensis et Satrapa Brestensis etc.* Eidem, tanquam complurium coetuum Socinianorum in Litthuania ac Podlachia Patrono F. SOCINVS librum *de I. C. Filii Dei natura etc.* s. *disput. aduersus* VOLANVM dicauit, in qua ita eum admonet: *Quanto opibus, caeteris nostri coetus in hoc regno*

*prae-*

*praestas, tanto te ardentius coelestem veritatem inquirere decet.* Fertur septuaginta vrbium ac oppidorum, quadringentorum vero circiter pagorum haeres ac Toparcha fuisse, quarum possessionum, ipso sine liberis defuncto, haereditate, Principes RADZIVILII opulentiores facti. Matrem quoque eius *Dominam* KISCIANAM, Palatinam Vitepscensem SANDIVS l. c. p. 54. in scenam produxit, eamque epistolam ad Synodum Bresinensem, 1565. celebratam, super quaestione *de Baptismo*, dedisse ex BVDZINIO narrauit, de qua in *Hist. Socin. Polon.*

SCRIPTA:

1. *Litterae ad Ecclesias Polonicas, quibus eos inuitat ad Synodum, controuersiarum, de Magistratu ac armorum vsu, terminandarum gratia.* 1581. *MSC.*
2. *Confessio fidei suae MSC.* polon. quam 1592. 6. *Iulii* morti vicinus scripto consignauit.

KOCHANOVIVS, *vid.* COCHANOVIVS.

## ALEXANDER KONARSCIVS.

A. 1650. in consessu Raszcouiensi RVARO committebatur, iuuenem hunc ex peregrinatione rediturum, admonere, vt vitae genus, quo Dei gloriam promoueret, sibi eligere velit; a. vero 1655. a consessu, eodem loco instituto inuitatus est, iter in Galliam, Belgium et Angliam in coetus commodum publicisque sumtibus ingredi.

KRAZERVS, *vid.* CRATZERVS.

KROKERVS VEL KROKIERIVS, *vid.* CROQVIERIVS. Aliquando etiam *Grokier* adpellatur.

## IOANNES KROTOVIVS.

Fortassis pater *Ioannis Grotkouii*, qui SMALCII gener

 fuit,

fuit, et ipſe aliquando KROTOVIVS nominatur. Primus coetus Sociniani *Smiglae* collecti miniſter fuiſſe videtur, cui teſtantibus *actis MSSCC.* a. 1580. praefuit, quae de eo referunt, quod Iudaismo proximus ſteterit, et nunquam ex *Noui*, ſed tantum ex *V. T.* libris populum docuerit, filiumque Dei nunquam ipſe inuocauerit, nec, vt alii id facerent, permiſerit. Synodus Racouiae 1580. d. 10. *Maii* habita, eundem ad meliorem mentem reducere ſtuduit, cui vero KROTOVIVS, litteris non vulgariter inſtructus, aures et animum praebere diu detrectauit. Tandem vero argumentis et perſuaſionibus victus, et lachrymis et verbis errorem hactenus a ſe diſſeminatum recantauit, ſeque reliquae Vnitariorum ciuitati aſſociauit. A. 1584. *Keidanenſi* in Magno Litthuaniae Ducatu coetui miniſter praefectus eſt.

KROVICIVS, *vid.* CROVICIVS.

## KRZYSKIEVICIVS.

Videtur is idem eſſe, qui a. 1638. iuſſus eſt SIMONI PISTORIO ad coetum Czarcouienſem adiumento eſſe in ferendis laboribus. In luſtranda et ordinanda familiae Socinianae *Bibliotheca publica* et deſcribenda TRIADOMACHIA (de quo libro in *Hiſt. Soc. Polon.* ex *Act. MSC.*) a. 1639. coetui operam praeſtitit; a. 1640. vero ſcholae Luclauicianae informator et collega conceſſus, quo loco ſimul moderante SCHLICHTINGIO, coetus eiusdem miniſtro, ſtudio theologico operam nauauit ſuam. A. 1641. compoſito antea *Bibliothecae* catalogo, apud RVARVM *Gedani* commorabatur, vt linguam teutonicam addiſceret, maioresque in theologicis faceret progreſſus. *Gedano* longiorem videtur ſuſcepiſſe in exteras regiones profectionem; rediturum enim in patriam conſeſſus Czarcouienſis deſignauit cooperarium

rarium PETRO STOINIO in coetu Czerniechouienſi. A. 1643. ad vnius anni ſpatium miniſter conceſſus eſt coetui Krzelouienſi, quo loco etiam miniſterio eccl. initiatus eſt. Sed ad hunc coetum ſubſtitit vsque ad a. 1647. quo exteras ſalutandi regiones ipſi veniam dedit conſeſſus Dazuienſis.

## GRATIANVS KVROSCIVS.

Habuit patrem *Stanislaum*, qui filium hunc ſuum in Synodo Racouienſi 1635. ſtudio theologico dicauit. Ex ſtatuto conſeſſus Zulinienſis a. 1645. ad *Albert. Arciſſeuium* ſemet conferre debuit, apud eundem pro concione ſermones habiturus. Vsque ad annum 1649. publice praedicando *Keidani* et in eius vicinia ſubſtitit; hoc vero anno miniſterio eccl. initiatus. RVARI ad KVROSCIVM et alios fratres Polonos epiſtola ſcripta 1644. 8. Febr. legitur in illius *epp.* ex *edit.* ZELTN. p. 657. Alium vero fuiſſe KVROSZIVM, quem RVARVS cum MIERZYNIO adpellat viros Magnificos et Generoſos, mihi facile perſuadeo. In *actis Synod. MSSCC.* ſaepius *Gratiani* nomine notatur.

SCRIPTA:

Teſtantibus *actis MSSCC.* opus *de diſciplina eccleſiaſtica* concinnauit. In conſeſſu Dazuienſi 1646. ſtatutum, vt *Gratianus* opus hoc in compendium redigeret, et CHRIST. LVBIENIECIO transmitteret. A. 1648. in conſeſſu, eodem loco habito, admonitus eſt ANDR. WISSOWATIVS, vt ſcriptum hoc de exacuenda diſciplina eccleſ. in formam compendii contraheret. In ſequentibus quidem familiae huius *actis Synodal.* eiusmodi libellus IOANNI STOINIO tribuitur, qui fortaſſis ex maiore GRATIANI opere, compendium iſtud adornauit; WISSOWATIO, quo minus idem praeſtaret, impedito. In conventu Raſzcouienſi 1649. ipſum hoc compendium

GRA-

GRATIANO vindicatur, ſub titulo: *De emendatione coetuum*, et vt illud a Io. ARCISSEVIO, WISSOWATIO et RINIOVICIO recognoſceretur, decretum eſt.

## ANDREAS LACHOVIVS.

A. 1645. inter alumnos coetus ſemet moribus et indefeſſo ſtudio maxime commendauit. A. 1647. Dn. PODKOMORSCIO (*Succamerario*) Kiiouienſi paedagogus conceſſus eſt a conuentu Dazuienſi, cui ſtationi 1649. adhuc praefuit, et a. 1650. inſtituendae iuuentuti Kiiouienſi operam ſuam nauauit. A. 1652. FAVSTO MORSTINIO in exteras regiones profecto ſucceſſit in habendis ſermonibus publicis apud *Gedanenſes*, ſimulque adiuuit RVARVM. A. 1653. exercitii gratia ad coetum Luclauicianum ſubſtitit, eidemque paulo poſt miniſter ordinarius conceſſus. A. 1662. a conſeſſu in Polonia vltimo, DANIELI IASKIEVICIO ad Tranſyluanos delegando, deſtinatus quidem eſt cooperarius; attamen in Polonia perſtitit, et SEVERINO MORSTINIO collaborator conſtitutus, exſulum per totum regnum diſperſorum curam habuit. Cum in Colloquio Roznouienſi ſcribae munere functus fuerit LACHOVIVS, auctor videtur ſcripti, quod ſummam huius Colloquii exponit, quodque nomen fictum ANDR. IOVEDECII prae ſe fert. *Vid.* ſub *Chriſtoph. Crellio Num.* 2.

## LADENBACHIVS.

Primum eius mentio fit in *actis MSSCC.* conſeſſus Zulinienſis a. 1645. ex cuius ſtatuto ad ALB. ARCISSEVIVM, dato ipſi 50 flor. viatico delegatus eſt. In conſeſſu Czarcouienſi 1651. curae fratrum, inprimis CHR. WISSOWATIO, vt ipſi ſtationem quandam procuraret, commendatus eſt.

## LASCINIVS.

Aliquando in actis MSC. vocatur LASCANIVS. A. 1651. Iaſzcouiae paedagogus fuit; a. 1653. vero Slucium in Palatinatu Nouogrodecenſi miſſus eſt, vt ibidem iuuentutem in litteris inſtitueret.

## DANIEL LECHOCKI VEL LEHOCIVS.

A. 1619. in Synodo Racouienſi miniſterio eccleſ. initiatus, Lazninenſi coetui miniſter praefectus eſt. A. 1647. a conſeſſu Dazuienſi coetum Gedanenſem viſitandi negotium in ipſum eſt deuolutum. A. 1662. in vltimo omnium, qui in Polonia habiti ſunt, conſeſſu ad Sileſiae terminos ſubſiſtere iuſſus eſt, fratrumque in vicinia habere curam, quam etiam a. 1663. vna cum GE. CIACHOVIO ſollicite egit. In titulo exemplaris *Comment.* CONR. VORSTII *in omnes Epp. Apoſtol.* quo iam vtor, haec adſcripta lego: *Ex donatione Fratris* IOACHIMI STEGMANNI, DANIELI LEHOCIO *in pignus fraterni amoris memoriaeque* a. 1663. d. 23. *Iunii.* Auctor vitae ANDR. WISSOWATII, SANDII *Bibliothecae* ad textae p. 227. PRAETORII *Lechocki* mentionem fecit.

## FERDINANDVS LEISENTRITIVS.

Agnatus, ex coniectura noſtra *Io. Leiſentritt, a Iulisberg* cognominati, ſcriptoris Pontificii variis operibus aſceticis incluti, cuius inter plura alia *deuotae preces ante et poſt miſſae celebrationem dicendae*, *Colon.* 1564. 12. *libellus precationum, Budiſſ.* 1561. 8. et liber *Cantionum ſacrarum*, eod. 1567. prodierunt. FERDINANDVS ſcholae Czerniechouianae a. 1641. praepoſitus eſt, teſtantibus *actis MSSCC.*

GEOR-

## GEORGIVS LVDOVICVS LEVCHSNERVS.

Male LEVSCHNERVS vocatur a *Sandio* p. 175. qui tamen eius inter Antitrinitarios ſpecialem non fecit mentionem. ZELTNERVS l. c. p. 250. ſeqq. vitae ipſius fata, quae reſcire vmquam potuit, longa ſerie enarrat, eumque inter primos SONERI pullos *numerat*, ſubdolumque Socinianae haereſeos amplificatorem vocat. Patria eum dedit *Biberacum*, Franconiae oppidulum. *(Marck Bibrach)* In Altorffinam Academiam cum fratre IOANNE 1595. ingreſſus, iurisprudentiae ſtudia ad a. 1600. coluit, quo anno peregre abiit. Cum SONERI affinis eſſet, cognatio haec ineundae cum eodem familiaritatis occaſionem ſubminiſtrauit, a quo mature Socinianismo imbutus, quo, peregrinas aditurus terras, iam fuit infectus, ſiquidem in Synodo Racouienſi a. 1602. d. 7. Octob. habita, inter alios praeſentes cum ipſo *Fauſto Socino* connumeratus reperitur apud *Sandium* l. c. Vel ſua ſponte in Poloniam conceſſit, vel ab ipſo *Sonero* eo ablegatus eſt. Ibidem in fraternitatis iura, data ſolemniter dextra ſuſceptus, peragrato deinceps orbe a. 1604. ex Italia Noribergam redux factus. Cum GITTICHIO aliisque Socinianis amicitiam coluit intimam, quod teſtatur epiſtola eius ad *Ruarum* a. 1614. notante *Zeltnero* ſcripta, inter epp. *Ruari* ex edit. *Zeltn. Cent. II.* N. XXIV. p. 507. In procuranda S. coenae inter fratres Socinianos Altorffii adminiſtratione priuata, ſedulum ſe praeſtitit. Poſt aliquot annos Altorffio Noribergam res ſuas transtulit, ibidem Aduocati munere ab anno 1607. vsque ad a. 1616. qui admodum fatalis Crypto-Socinismo huius loci fuit, defunctus. Iſto tempore in cuſtodiam datus, obiectum ſibi Socinismum conſtantiſſime negauit, quamquam euidentiſſima eius praeſto

ſto fuerint documenta. Ad extremum vero redactus, vnicum fidei caput, idemque prae caeteris ſublime, de S. Trinitate, pro re altioris indaginis ſe aliquando habuiſſe, confeſſus eſt, aſſenſum vero ex animo Socinismo vnquam praebuiſſe, iterum iterumque abnuit. Poſt haec nihil de eodem ZELTNERO reſcire licuit, hinc eodem coniiciente vel *Norimberga* vltro diſceſſit, vel diſcedere iuſſus, vel etiam ex animi aegritudine vita maturius exceſſit.

## IOANNES LICINIVS.

Namislauienſis Sileſius, SANDIO teſte l. c. p. 94. *Wolfg. Franzius* diſp. I. in A. C. theſ. 65. eum vocat ſcholae Photinianae IXIVIENSIS in Litthuania Rectorem, quod etiam ZELTN. l. c. p. 348. repetiit. Sed nullus in Litthuania, quantum ſcimus, locus eſt, qui hoc nomine inſignitur. Fuit potius Rector ſcholae IVIENNIS in Litthuania, et in Synodo *Iuiana* 1593. habita, LICINIVS Bacalaureus, miniſterio eccleſ. initiatus, et Nouogrodecenſi in Litthuania coetui praefectus in *actis MSSCC.* narratur. Cui SANDIVS l. c. non aduerſatur, qui eum Rectorem ſcholarum Dn. *Kiſzkae*, Caſtellani Vilnenſis adpellat. Officium hoc ſcholaſticum ipſi ſine dubio occaſionem fecit, *Inſtrumentum doctrinarum Ariſtotelicum etc.* de quo N. 5. concinnandi. A. 1594. diſputationem Nouogrodienſem cum MART. SMIGLECIO Ieſuita habuit, de qua alio loco. Cum Tranſyluani a. 1601. ſibi miniſtrum expeterent teutonicae linguae gnarum, qui ERASMO IOANNIS ſuccederet, Synodus Lublinenſis illis deſtinauit LICINIVM. Sed vel omnino hanc ſtationem declinauit, vel ex eadem poſt aliquod tempus ad Nouogrodecenſe miniſterium, in quo poſtea GITTICHIVM habuit collegam, rediit. Synodi Novogrodecenſis decreto 1615. indignus munere hoc ſuo iudi-

iudicatus, quam equidem ſententiam Racouienſis Synodus anno ſequente confirmauit; ſed exſequutio eius certas ob rationes in aliud tempus dilata, imo ipſe ſine dubio morum emendationem pollicitus, in officio eccleſ. et in communione coetus ſeruatus adhuc eſt, quare quoque eumdem 1621. in Synodo Racouienſi comparuiſſe, eiusdemque in proximis Synodis tanquam fratris mentionem eſſe factam legimus. Reperiuntur inter GITTICHII epiſtolas MSSCC. quaedam ad LICINIVM ſcriptae, quod ex argumento colligimus, quas alio loco luci expoſituri ſumus. A. 1624. Synodo Racouienſi calamitatem, a quibusdam petulantibus *Slonimiae* perpeſſam expoſuit, et vt *poſtilla* ſua (de qua N. 6.) ſibi reſtituatur, rogauit. A. 1630. tandem, ſententia iam pridem a viſitatoribus coetuum Lublinenſium enunciata, complementum nacta, et LICINIVS propter ebrietatem vitamque peſſime actam ab officio eccleſ. remotus eſt, teſtantibus *actis Synod. MSSCC.* A. 1633. coetui ſuo reconciliatus quidem, et in eundem iterum receptus eſt; ſtatuit tamen Synodus, vt quoque futuro tempore actibus officii peragendis abſtineret, ne reiterato ab eodem crimine, reditaque ad vitam intemperatam et temulentam, maius enaſceretur ſcandalum.

SCRIPTA:

1. *Anatomia et Oeconomia hominis Chriſtiani, Polon. Vilnae.* 1592. p. 46. ita ſcribit: "Chriſtus a mortuis ſuſcitatus, quem THOMAS manu ſua contrectauit, noſter Dominus et Deus, Dominus Dominorum et Rex Regum, abſolutam habet potentiam in coelo atque in terra, a Deo ipſi conceſſam, clauesque inferni ac mortis accepit." Locum hunc DAN. CLEMENTINVS l. c. fol. K. 2. aliis Socinianorum effatis oppoſuit. De diuino adorationis cultu ita p. 48. inquit: "Quia in fide Chriſtiana

ſtiana omnia ad Deum verum eiusque Filium I. C. quaſi ad vnum punctum collineant, hinc quoque hos ſolos inuocare decet."

2. *Breuis tractatus de diſputatione Vilnenſi habita cum Ieſuitis.* 4. Suſpicamur hoc ſcripto expoſitam eſſe diſputationem Vilnae 1599. inſtitutam, de qua WENGERSCIVS l. c. p. 147. et nos ex *actis MSSCC.* in *Hiſt. Socin.* Polon.

3. *Catalyſis*, albo Zkaza: przeciwko *Tarczney* duchowney X. Grzegorza Zarnowca etc. 1598. i. e. *Catalyſis*, *ſiue deſtructio*, *aduerſus* GREGORII ZARNOVECII *clypeum ſpiritualem etc.* 1598. Idem liber eſt, quem SANDIVS l. c. p. 94. ſub hoc titulo allegat: *obiectiones contra* GEORGII ZARNOVECII *clypeum veritatis de aeternitate Filii Dei.* In lucem enim emiſit ZARNOVECIVS opus, cui titulum fecit: *Clypeus*, albo Tarcz duchowna, za ktorom dzieie ſię obrana nauki o Boſtwie Iezuſa Chriſtuſa etc. w Wilnie 1598. 4. i. e. *Clypeus veritatis, ad ſe defendendum eodem in vindicanda doctrina de I. C. diuinitate. Wilnae* 1598. 4. pl. 8. V. HOFMANN *de typogr. polon.* p. 43. Opus hoc ZARNOVECII in latinam linguam translatum prodiit hoc titulo: *Clypeus ſpiritualis ex D.* PAVLI *verbis* 1 *Cor. VIII.* 6. *elaboratus, pro defenſione doctrinae catholicae et orthodoxae de vera et aeterna deitate Dn. Nri. I. C. ac de vna et indiuiſibili eiusdem eſſentia et natura vna cum P. et Sp. S. a* GREG. ZARNOVECIO *olim lingua polonica conſcriptus, nunc in latinam translatus a* CONR. NVBERO, *Eccl. Dantiſc. ad D. Petri et Pauli miniſtro. Roſtoch. ap.* IOH. HALLERVORD 1621. 4. it. 1624. 4. apud eundem, ſub tit. *Clypeus myſticus*, *aries validiſſimus Antitrini-*

*tariorum cum veterum, tum recentiorum blasphemiis et haeresibus pestiferis obiectus.*

Aduersus hunc ZARNOVECII libellum, LICINIVS *Catalysin* in lucem emisit, cui ZARNOVECIVS iterum opposuit: Apomaxis albo Zniesienie niesłuszney skazy *Iana Liciniusa* Ministra Nowokrzczienskiego, Catalisin nazwany, ktorom zatrzec usilowal prawde. Tarczey Duckowney X Gregorza Zarnowca 2 Petr. II. 1. W tey Ksionscze broniom się trzy rzeczy: Pierwsza Przedwiecznosc syna Bożego S. C. Druga: Rownosc y spolistnosc iego narodzenia z Oyciem. Trzecia: Istotnie ziwionca osoba y Bostwo Ducha swiętego y spolisnosc iego z oycem y synem. Przydana iest na koncu apologia krotka na obrone. X Statoryusza etc. Ministra Nowokrzczonskiego. Drukowano wlasnym nakladem I. Milosci P. Iana Chrystoporskiego z Krzystoporzic Stolnika ziémie sieradzkey R. P. 1600. 4. i. e. *Apomaxis, vel declinatio indecentis destructionis* IO. LICINII *Neobaptistici Magistri, Catalysis dictae, qua veritatem clypei spiritualis* GREG. ZARNOVECII *destruere conatus est. 2 Pet. II.* 1. *In hoc libello tria defenduntur: Primum,* AETERNITAS FILII DEI I. C. *ante omne tempus; secundo, eiusdem aequalitas et indiuisa coessentialitas cum Patre; tertio hypostatica personalitas et deitas Sp. sancti, eiusque essentialis communio cum Patre et Filio. In fine addita est breuis apologia aduersus defensionem* STATORII, *Ministri Anabaptistarum. Impressum propriis sumtibus viri generos.* IOH. CHRISTOPHORSCII DE KRZYSTOPORZYC, *Regii structoris* (Tafeldeckers) *in districtu Siradiensi. Anno Domini* 1609. 4. pl. 20. et $\frac{1}{2}$. *Primum* momentum tractatur §. 1-110. *Secundum* fol. O. 2. agit 1) De naturae identitate; (P. et F.) 2) De

De ſumma aequalitate; 3) De inſeparabilitate F. D. a Patre §. 111-143. *Tertium* fol. S. 2. inſtar adpendicis adtextum eſt.

In *Catalyſi* ita inter alia ſcribit LICINIVS: "Nos Chriſtiani credimus, quod Chriſtus Dominus noſter non ſit titularis, adoptatus et figmento excogitatus, ſed proprius et verus Deus; quod vero in omnibus ita proprie Deus ſit, quemadmodum ipſius Pater, non credimus, nec credere poſſumus, quia huic et reuelatio et ratio aduerſatur. *Et alio loco:* Quamuis Chriſtus ſit vnicus Dominus, non tamen idem vnicus Dominus eſt, de quo MOSES *Deut.* 6. ſcripſit: *Iſrael Dominus Deus tuus, eſt vnicus Dominus.* Ratio eſt 1) Quia Moſes de tali loquitur Domino, qui non factus; Chriſtus vero Dominus eſt factus; 2) Apud MOSEN Dominus eſt Deus creator; Chriſtus vero, tanquam homo eſt creatura; 3) In textu hebraeo ille vocari ſolet Iehoua; Chriſtus vero in graeco Κυριος; quia igitur vocabula haec non vnum eumdemque deſignant, hinc is, qui in N. T. Κυριος vocatur, non idem eſt, qui Iehoua in V. T. *Et alio loco:* Chriſtus eiuſmodi vnicus Dominus eſt, quem nos ſecundo poſt Patrem loco, in cultu noſtro, fide, bona ſpe et deteſtatione omnis mali, venerari decet, pari modo, ſicut Patrem, qui omnia per illum operatur.

4. *Diſputationem Nouogrodienſem* inter LICINIVM et MART. SMIGLECIVM a. 1594. habitam IOSEPH. DOMANIEVIVS deſcripſit, cui illam ſupra p. 251. N. 2. vindicauimus.

5. *Inſtrumentum doctrinarum Ariſtotelicum, in vſum chriſtianarum ſcholarum exemplis theologicis illuſtratum* per GRATIANVM PROSPERVM. Loſci 1586. 8. Haec eſt dialectica LICINII a *F. Socino* occultato nomine, fortasſis etiam pluribus exemplis ingenioſe in abuſum et no-

xam Theologiae excogitatis aucta, ab hoc in lucem emissa. SANDIVS ipse l. c. p. 72. dubius est, an SOCINO sit tribuendus liber. Male vero ad FRANZIVM prouocat, quasi hic SOCINVM auctorem eius esse testatus fuerit. *Franzius* enim *Disput. I* in *A. C. thes.* 65. et in *Indice ad Part. I. Dispp. in A. C.* fol. T. 2. b. alphabeti quinti, edit. tertiae Witteb. 1620. 4. expresse testatur, LICINIVM dialecticae huius esse auctorem. Inserta illa est FRANC. IVNII *operibus Tom. II.* vna cum refutatione sub tit. *Examen enunciationum et argumentationum*, quas GRATIANVS PROSPER *aduersus doctrinam salutarem de Deo, Baptismo et aliis quibusdam capitibus pro exemplis logicis adduxit, in suo libello, Losci a.* 86. *impresso. Lugd. Bat. ex off.* FRANC. RAPHELING. 1596. 8.

6. *Postilla polonica. MSC.*

7. *Paraenesis* t. i. Upomnienie Ministrow Ewangelickich do zgody z Ministrami ponuszonymi etc. Paraenesis i. e. *admonitio directa ad Euangelicos ministros ad paciscendum cum ministris Anabaptisticis etc.* Scripta videtur circa annum 1596. vel seqq. Meminit eiusdem ZARNOVECIVS, in praefatione APOMAXI suae praeposita fol. A. 4. b.

8. LICINIVM in adornanda *versione N. T. polonica*, quae *Racouiae* 1606. 8. et 1620. 12. prodiit, quaeque SMALCIO alias tribuitur, familiae Socinianae operam praestitisse, alio loco ex Actis MSSCC. obseruabimus.

## FRANCISCVS LISMANINVS.

Corcyrensis, Theologiae Doctor, et Monachus Franciscanus, SIGISMVNDI I. coniugi, BONAE a confessionibus sacris et concionibus Italicis, postea semet confessioni Helueticae, ac tandem Socinianae adiunxit. Vitam eius

eius in *hist. Socin. Polon. et Pruss.* fuse exposituri sumus. Scriptorum indicem Bibliotheca Antitrinitariorum sibi vindicat.

SCRIPTA:

1. *Epistola ad conuentum Pinczouiensem* data 1555. 11. Nou. *MSC.*
2. *Literae ad Generos. Dn.* STANISL. IVAN KARNINSCIVM, datae Pinczou. 10. Sept. 1561. in quibus STANCARI sententiam oppugnat etc. Plura habet SANDIVS l. c. p. 35. et WENGERSCIVS l. c. L.I. C. 13. p. 86.
3. Alia epistola ad eundem KARNINSCIVM eiusdem fere argumenti, scripta 10. Dec. 1561. Inserta est LVBIENIECII historiae l. c. L.II. C.VI. p. 119-126.
4. *Breuis explicatio doctrinae de sanctissima Trinitate, quam* STANCARO *et aliis quibusdam opposuit: praemissa ad Regem* SIGISMVNDVM AVGVSTVM *epistola apologetica, Kal. Iun.* 1563. *Cracouiae* scripta. Prodiit in lucem 1565. *Vid.* SANDIVS l. c. et BAYLII Diction. Ad hanc fortasse explicationem respicit ANDREAS PATRICIVS, Polonus, Regiusque in Polonia Secretarius in epistola *Grodnae* XVII. *Augusti*, sine anni notatione ad Card. HOSIVM scripta, inquiens: "Misit ad me FRANC. LISMANINVS libellum confessionis suae de Trinitate, quam mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae: vt videat, an inter haereticos in hoc quidem articulo sit habendus. Ipse enim Trideistae appellationem modis omnibus repudiat. Conatus sum, hominem in hoc genere ad confessionem Concilii Tridentini reuocare. *Vid.* ERN. SAL. CYPRIANI *Tabularium Eccl. Rom. Sec. XVI.* p. 367.
5. *Cento testimoniorum* AMBROSII, HIERONYMI, AVGVSTINI, CHRYSOSTOMI, *conciliandarum partium dis-*

*crepantium caussa in lucem editus.* Allegatur a LVBIENIECIO l. c. L. III. C. II. p. 168.

## ANDREAS LVBIENIECIVS DE LVBIENIEC.

Eques Polonus, STANISLAI *Senioris*, Quaestoris Satrapiae Lublinensis, et ad iudicia in Satrapia Sendomiriensi et Lublinensi deputati, filius. Primum aulicus Regius teste SANDIO p. 89. post, aula relicta, Antitrinitariorum placita suscepit, inter eos *Diaconi* generalis seu Synodici munere ornatus, deinde vero Minister variis in locis fuit, proprioque sumtu vixit, quam ob rem ab huius ciuitatis scriptoribus maxime celebratur. Smiglensis inter primos exstitit minister, non vero omnium primus, quod ADELTVS in Historia Arianismi Smiglae olim infesti putauit. A. 1592. Smigla euocatus in districtu Lublinensi et Hosciae ministerio praefuit. Obiit 1623. Siedlisciis prope Lublinum, in aedibus generi sui IOACH. RVPNOVII annos natus 71. vel 72. LVBIENIECIOS cum regia LESCINSCIORVM familia propinquitate coniunctos esse, scriptores poloni produnt.

SCRIPTA:

1. *De regno Christi millenario. MSC.* Hoc postea repudiauit, sententiam F. SOCINI amplexus.
2. *Commentarii in Apocalypsin S.* IOHANNIS. *MSC.* polon.
3. *Polono-Eutychia. MSC. Pol.* Tenuit hoc olim Bibliotheca D. E. IABLONSKI, habuitque folia 240. formae 4. teste Catalogo eius, p. 381, N. 27. Allegatur quoque in IANOCKII specim. Catal. MSSCC. Biblioth. ZALVSK. *(Dresd.* 1752. 4.) Cod. 377. p. 114.
4. *Chronicon, seu descriptio Regni Dei, initium sumens a natiuitate Regis Domini nostri I. C. MSC. polon.*
5. *Catalogus Disputationum, quas Fratres Poloni Vnitarii cum aduersariis suis habuerunt. MSC.*

6.

6. *Liber, continens Acta et Conclusiones Synodorum, a primordiis reformationis in Polonia celebratarum:* a cuius obitu continuata haec sunt ab eius genero IOACH. RVPNOVIO, caeterisque Synodorum scribis. MSC. polon. STAN. LVBIENIECIVS *Iunior* eodem hoc opere vsus est in conscribenda *Hist. reform. Polon.* Vid. L. II. C. VI. p. 118. idque insigne nobis adiumentum in conscribenda historia hac praestitisse, supra p. 4. monuimus.
7. *Obseruationes historicae de rebus notatu dignis in negotio religionis.*

## CHRISTOPHORVS LVBIENIECIVS, *Senior.*

Eques Polonus, ANDREAE et STANISLAI iunioris frater, ERASMI OTVINOVII gener. ANDREA fratre auctore, suoque exemplo praeeunte aulae Regis valedixit, munerique ecclef. inter Vnitarios Polonos se praefici passus est, quod primum *Leuartouiae* (non *Lublini*, quod SANDIVS l. c. p. 90. perhibet) deinde *Lublini* post CZECHOVICIVM a. 1598. obiuit. Gratulatur eidem de munere hoc F. SOCINVS in *ep.* ad eum data ex agro Luclauiciano d. 14. Aug. 1598. in *Epp.* p. 561. sicque scribit: "Cum te, quod non raro accidit, concionantem et auditores ad curam aeternae suae salutis capessendam, adhortantem atque incitantem audiui, mihi omnino is es visus, quem Deus in hoc regno inter praecipua sua instrumenta elegisset, quibus velit homines a pietate non abhorrentes, ad se Christumque suum conuertere, et ab interitu vindicare." Praeterea ipsum admonet, quid ipsi isto loco, vbi plures eruditi et sophistarum artibus instructissimi sint aduersarii, agendum incumbat. In hoc munere VAL. SMALCIVS post aliquot annos collaborator ipsi concessus. Tandem *Racoviae* minister exstitit, quo loco teste SANDIO 1624. mense Febr. vita functus.

SCRIPTA:

1. *Conciones S. MSC.*
2. *Sermo, quem morti vicinus ad filios suos, caeterosque qui praesentes aderant, habuit. Racou.* 1624. M. Febr. a *Iona Schlichtingio*, litteris consignatus.

## CHRISTOPHORVS LVBIENIECIVS, *Iunior.*

CHRISTOPHORI, *Andreae* germani fratris filius. Circa annum 1618. studiorum caussa in exteris versans Academiis, epistolam ad RVARVM dedit, huius *epistolis* ex edit. ZELTN. p. 497. insertam, quae iuuenile facundiae donum exhibet, quo postea etiam, publicis admotum muneribus polluisse constat. In patriam redux coetui Racouiano minister praefectus; erepta vero paulo post Socinianis RACOVIA, Lublinensis factus est Ecclesiastes, in qua functione diem obiit 1648. paulo maior quinquagenario, testantibus *actis MSSCC.* consessus Dazuiensis, filiumque reliquit STANISLAVM, pluribus scriptis inclytum.

SCRIPTA:

1. *Epistola ad* MART. RVARVM, scripta 1618. 30. Iul. e Museo Vltraiect. inserta Cent. II. ep. 21. RVARI. In eadem varia infortunia apud exteros perpessa recenset, iacturam inprimis pecuniae suae, incertum quo fato perditae, quam deprecatione RVARI apud parentes parciores et paulo duriores, fortassis etiam non admodum opulentos, sarciri rogat.
2. *Epistola ad* D. PASCHALEM, *de Christo non statim post mortem in corpore glorioso resuscitato.* Opposuit eidem PETRVS PASCHALIS, *Med. Doct.* responsionem *de statu Christi post resurrectionem*, cui simul LVBIENIECII epistolam inseruit, sub titulo: CHRISTOPHORI LVBIENIECII *epistola de statu Christi, postquam resurrexit ex mor-*

*mortuis, vsque ad tempus, quo in coelum adſcendit, cum* PETRI PASCHALIS *reſponſione. Lugd. Batau.* 1638. 8.

3. *Diſputatio Lublini cum* CASP. DRVZBICIO, *Ieſuita habita* 1627. Commemoratur illa a LVBIENIECIO l. c. L. III. C. XIII. p. 256.
4. *Oratio, quam habuit in Comit. Lublin.* 1634. 3. *Iun. MSC. polon.*
5. *Proteſtatio de innocentia ſententiae noſtrae* (Vnitariorum) *de I. C. Domino noſtro. MSC.*
6. *Antidotum in aduerſis modernis.* 1647. *MSC.*
7. *Epiſtolae ad varios. MSC.*
8. *Epiſtola conſolatoria ad viduam* PETRI LVBIENIECII fratris ſui, polonice ſcripta 1640. d. 1. Martii. Inſerta eſt *actis Synod. MSSCC.*

## STANISLAVS LVBIENIECIVS, *Senior.*

Filius STANISLAI, frater ANDREAE, cuius exemplo ac ductu, aulae STEPHANI *Regis*, cuius gratia plurimum pollebat, valedixit. Iunior ſeptennio *Andrea*, et maior *Chriſtophoro* fratribus. Teſtantibus *act. Synod. MSSCC.* a. 1577. ad aulam Regis STEPH. ephebus nobilis, (vulgo *Page)* fuit, qua in ſtatione per GEORG. SCHOMANNVM eiusque ſermonem pro concione de Filio Dei et Sp. S. habitum ad Vnitariorum partes abductus. Miniſter coetus exſtitit primum *Tropiae*, hinc Racouiae ac tandem *Luclaviciis.* In Synodo Lubelſcenſi a. 1612. habita, cum aliis coetus ſui miniſtris ac ſociis *vnionem cum Euangelicis* ambiit, et traditis Synodo poſtulatis, hoc modo ſubſcripſit: STANISL. LVBIENIECKI, *coetus Luclauicenſis* SVPERINTENDENS. V. ZABOROVII tract. polon. *Ignis et aqua.* Exceſſit e viuis a. 1633. teſte SANDIO annorum 74. aut 75.

 Quem

Quem morti vicinus a. 1631. in Synodo Racouiensi habuit sermonem, *Acta Synod. MSSCC.* notarunt.

SCRIPTA:

1. *Variae cantilenae polonicae*, interque eas carmen expergificum, (polonice *Hegnal*) insertae *libro Psalmorum et Canticorum, quo Fratres Poloni Vnitarii vtuntur*, impresso *Racouiae* 1610. et 1625. 12. V. EPHR. OLOFFII *Historia cantilen. polon.* p. 109. seqq.
2. *Praeseruatiuae spirituales*, *polon.*
3. *Prodromus vltimi iudicii Domini.*
4. *Contra* IOH. PETRICIVM, opus polon. cuius meminit DAN. CLEMENTINVS *in tract. pol. Antilogg. et absurda ex opinione Socinit.* fol. H. 4. b. Oppositum illud est vel scripto PETRICII, cui titulus: Przestroga etc. quo PETRVM STATORIVM *Iun.* refutauit; vid sub STATORIO, *Num.* 10. *vel*, quod verisimilius videtur, eiusdem tractatui, sub tit. *Speculum vnitatis Dei*, *P. F. et Sp. S. Cracouiae* 1609. V. *Wengerscius* l. c. L. III. C. 15. p. 430. LVBIENIECIVS in hoc opusculo fol. 22. ita scribit: "Christus ex passione et morte sua hoc lucratus est commodum, vt a Deo beata immortalitate fuerit donatus: quo respectu nobis fuit similis, qui idem plane commodum ex eius passione et morte obtinemus, quamvis Christus prae omnibus nobis id fuerit consequutus.
5. Fortassis Catechismi istius auctor est, cuius sub *Stan. Lubieniecio Iun.* N. 2. mentionem facturi sumus.

## STANISLAVS LVBIENIECIVS, *Iunior.*

Eques Polonus, CHRISTOPHORI iunioris filius, inter doctissimos exsules aduersa oppressos fortuna omnino referendus. In *Theatri Cometici* titulo, nomen suum scribit:

bit: *Stan. de Lubienietz Lubieniecius* ROLITSIVS (*). Ex quo edocti ſumus, *Stanislaum Rolitium*, (quod nomen aliquando in actis MSSCC. occurrit,) eſſe hunc ipſum *Lubieniecium*. Natus 1623. d. 23. Aug. (non autem, quod SANDIVS p. 165. prodit 1625.) Racouiae, ibidemque, quamdiu vrbem hanc tenuerunt Sociniani, in lyceo litteris imbutus, de qua re ipſe in *Hiſt. reform. polon.* p. 239. Racouiae fata exponens, inquit: "In hoc oppido et auia mea ANNA, patre ERASMO illo OTVINOVIO nata, et pater nuptias cum matre mea CATHARINA *Philippouia*, HIERONYMI illius nepte, contraxit, et ego vitae initium accepi, et qualescunque in ſtudiis humanoribus profectus in illa celebri ſchola, conſilio patrui mei *magni* STANISLAI LVBIENIECII fundata, cepi." Poſt ereptam familiae Socinianae Racouiam, in ſchola Kiſielinienſi litteris operam nauauit, ad annum vsque aetatis 18. Poſtea iuris patrii cognitione, quae Nobilem regni Poloniae indigenam, IOANNIS SOBIESCII *Regis* cognatum decebat, inſtructus, ad Comitia, aliosque ordinis equeſtris conuentus a parente deducebatur, ac notitiae virorum patriae tradebatur inſignium. Eodem tempore, quo Thorunii colloquium Charitatiuum habebatur a. 1645. ad quod *Schlichtingius* et *Ruarus* delegati erant, per biennium fere in hoc oppido commoratus eſt. In hunc locum miſſus, cum, vt vlteriores in litteris humanioribus progreſſus faceret, tum vt linguam addiſceret germanicam. Hinc a parente reuocatus, iuueni *Comiti* STEPHANO DE NIEMYRICZ (Palatino poſtea Kiiouienſi et Senatori regni) ſtudiorum ephorus et itineris ſocius datus,

(*) Additamento hoc innititur *Lubienieciorum* ſtemma *Rolanum*, quod ipſe, et poſt eum auctor vitae ipſius, quae *Hiſtoriae Reform. Polon.* praefixa eſt, nec non MOELLERVS in *Cimbria litter.* T. II. p. 487. ſignificarunt, quo loco etiam vitae eius fata prolixe narrata reperiuntur.

datus, Belgii et Galliae prouincias inuifit a. 1646. in quo itinere a coetu Sociniano, ftipendio 100 Thalerorum, et fi opus fuerint, 200 adiutus eft, ex tenore ftatuti confeffus Dazuienfis. Iter hoc faciens, non ftudiis folum, linguisque exoticis addifcendis fedulam nauauit operam, fed et homines fibi conciliauit eruditiffimos, ac commercio de argumentis theologicis literario cum iftis inftituto, religionem fuam non tantis excipiendam effe odiis, fed potius tolerandam, perfuadere illis fummo ftudio laborauit. Quod tamen fieri nullo modo poffe, praeter alios, LVDOV. CAPELLVS, *Prof. Theol. Salmurienfis*, in prolixa ad illum epiftola contendebat refponforia. Redux in patriam, accepto in Gallia de morte parentis fui nuntio a. 1648. poft periculofiffimam in Oceano, cum in Hollandiam traiiceret, nauigationem, in propofito inferuiendi coetui fuo ad patris fui exemplum confirmatus eft, et ad a. 1650. Czerniechouiae apud Dn. STEPH. NIEMERICIVM hofpitium fuum habuit. A. 1652. coetibus in Lublinenfi diftrictu, praecipue *Siedlifcii* fermonibus pro concione habitis operam exhibuit, et IOANNI CIACHOVIO, miniftro Siedlifcienfi cooperarius conceffus eft. Anno eodem d. 12. Ian. vxorem duxit SOPHIAM, filiam PAVLI BRESCII, Pellani coetus Patroni. V. *Hift. reform. Pol.* p. 273. A. 1654. praeuia ad munus eccl. folemni ordinatione, Czarcouienfi coetui in Palatinatu Czerfcenfi minifter praefectus eft, quo munere per breue tempus, exorto a. 1655. bello Suecico, quo multi fedibus fuis expulfi, functus eft. Paulo enim poft Cracouiam a Suecis iam occupatam femet contulit, tutela CAROLI GVSTAVI, *Regis Sueciae* fruiturus, cuius Legati, Comites DE LA GARDIE et SCHLIPPENBACHIVS eum fauore fuo complectebantur. Ibidem vna cum IONA SCHLICHTINGIO, ANDR. WISSOWATIO, aliisque fectae hu-

ius

ius doctoribus, impetrato a Suecis ſacrorum ſuorum exercitio, a die 6. Aprilis 1656. per annum integrum et quinque menſes ſubſtitit. Tempus hoc cum reliquis coetus miniſtris, ſacris impendit concionibus, precibus item et ieiuniis. Hoc quoque loco colloquia cum ION. SCHLICHTINGIO inchoata ſunt, ex quibus varii huius commentarii inprimis in IOANNIS Euangelium et epiſtolas *Paulinas*, *Petrinas* atque *Ioanneas* ortum ſuum ceperunt, quod ex epiſtola *Lubieniecii opp. Ion. Schlichtingii* praemiſſa conſtat. Ibidem etiam in gratiam Vnitariorum Hungarorum, qui cum Tranſyluaniae Principe RAGOZIO Cracouiam venerant, latine concionabatur, Sacramque Coenam adminiſtrabat. Dedita Polonis Cracouia a. 1657. *Lubieniecius*, *Schlichtingius* et *Chriſtian. Stegmannus* eadem cum praeſidio Suecio d. 30. Auguſt. exceſſerunt, certa ſpe freti, ſe apud CAROLVM GVSTAVVM, *Regem Sueciae* obtenturos, vt Vnitarii in tractatibus cum Rege Regnoque Poloniae ſanciendis, amneſtiae includerentur. Peruenit igitur *Stetinum*, inde *Wolgaſtum* d. 7. Octobr. vbi a Rege Magnatibusque Sueciae benigne exceptum eum eſſe, male vero habitum ab iis, qui diſſeminari ab illo familiae ſuae placita, nouerant, inprimis *Stetini* a MICRAELIO, auctor vitae ipſius exponit, qui etiam diuinationem LVBIENIECII, *Comiti* SCHLIPPENBACHIO a. 1659. de liberatione ab obſidione vrbis *Stetini*, quam hic iam deſperauerat, ſignificatam fuſius enarrauit. Tempore obſidionis *Stettinenſis*, in qua vrbe LVBIENIECIVS vxorem cum liberis reliquerat, *Elbingae* aliquod tempus commorabatur; inde vero in Oliuenſe Coenobium, congreſſui de pace reſtituenda vt intereſſet, ſemet contulit; ſed, licet *Articulo inſtrumenti pacis ſecundo* quibuslibet in religione ab Eccleſia Romana diſſidentibus, partesque ſecutis Suecicas, de

amne-

amnestiae cautum esset beneficio, a Polonis tamen, nec hunc, nec protestationem Legatorum Suecicorum contrariam, d. 21. Maii a. 1660. *Sobothi* exaratam attendi, sectae suae asseclas, anno iam 1658. proscriptos, indignos isto iudicari, et perpetuo iterum a. 1660. multatos esse exsilio, summo cum dolore comperit LVBIENIECIVS. Spe igitur omni reditus in patriam ablata, *Stetino* mari cum familia Hafniam 1660. profectus est, vt, nisi vniuerso coetui suo Polonia pulso, sibi saltem et familiae suae in ditione Daniae Regis FRIDERICI III. locum habitandi impetraret. Quam insigni gratia a Rege, totaque aula exceptus ibi fuerit, idem auctor vitae fusius perstringit; inprimis quod REX seorsim LVBIENIECIO dixerit, conniuente se Vnitarios posse *Altenauiae* habitare, eumque rogauerit, vt, quae in Europa geruntur, aulae Regiae referret, certus de annuo Regis salario. A. 1661. iterum *Stetinum* rediit, inde vero eodem anno *Hamburgum* migrauit. Hoc loco cum *Regina Succiae* CHRISTINA, eodem teste, colloquia in religionis caussa habuit, praesentibus *Oratore Caesareo*, aliorumque Principum legatis, nec non Duce Meklenburgico, a quo postea inuitatus, respectu exsulum Polonorum benignam declarationem retulit. Anno 1662. iterum *Hafniam* iter suscepit. Quid ibidem disputando cum concionatoribus aulicis praesente Rege praestiterit, auctor vitae nimio coetus sui studio abreptus praedicat. Aliquando colloquio cum Io. SVANINGIO, *Daniae Archiepiscopo* his verbis finem imposuisse traditur: *Si non datur nobis terra, vbi viuamus, dabitur, vbi moriamur;* et SVANINGIVS his regessisse: *Sunt etiam, qui in aere putrescunt.* Vid. G. G. LEIBNITII epistola, inserta IOACH. FRID. FELLERI *Monument. inedit. Trimestre X.* p. 559. *Hafnia* eodem anno in *Ducatum Slesuicensem* se contulit, a

*Fride-*

*Fridericopoleos* magiſtratu, exſulibus ſectae Socinianae Polonis, et iſtam incolendi poteſtatem et priuati ſacrorum ſuorum exercitii libertatem, nullis parcens ſumtibus, ſed incaſſum obtinuit. Cum enim haud leue iam, in exſulibus eo deducendis, deductisque pro virili ſubleuandis, rei familiaris damnum ſubiiſſet, a CHRISTIANO ALBERTO, *Duce Holſato-Gottorpienſi*, quo ignaro haec erant geſta, D. IO. REINBOHTII, *Superintendentis Theologique aulici*, hortatu, omnes, non e ciuitate ſolum iſta, ſed et e ditionibus ſuis vniuerſis, iuſſi ſunt recedere. Vid. ANT. HEIMREICHII *hiſt. Eccl. Sleſuicenſ.* L. IV. C. III. p. 227. 228. Cum *Fridericopoli* verſaretur, a. 1662. a conſeſſu, omnium qui in Polonia habiti ſunt, vltimo excitatus eſt, vt omnibus contenderet viribus fixam ibidem familiae Socinianae adornare ſedem, ipſique et IOANNI PREVSSIO praeterea iniungebatur, vt ineundae cum *Arminianis* vnioni maxime ſtuderent, narrantibus id *Actis MSSCC. Fridericopoli Stettinum*, et paulo poſt d. 29. Maii a. 1662. cum vxore ſecum *Stettino* ducta, *Hamburgum* rediit, ibidemque quinquennio ſequenti commoratus, varia de religione colloquia cum REGINA *Sueciae*, FRIDERICO *Duce Brunſuicenſi*, GEORGIO CHRISTIANO *Haſſiae Landgravio*, *Comite Palatino Solisbacenſi*, aliisque Principibus habuit. CYPRIANVS in diſſ. *de mortibus Socinianorum*, quae recuſa eſt in eiusdem *diſſertationibus varii argumenti* N. V. p. 96. narrat, eum *Hamburgi* Socinianismum diſſimulaſſe, donec illius ex epiſtola de vita SCHLICHTINGII, *commentariis* huius poſthumis a. 1665. praepoſita conuinceretur. Hoc in loco honorem ſedis et priorem accubitum, prae Doctoribus ſibi tanquam legato Regis Dan. et Polon. deberi contendebat, qui vero eidem non conceſſus, cum certo conſtaret, eum tantum charactere nouel-

larum

larum ſcribae a Rege Daniae eſſe inſignitum, qua occaſione eidem Character, quem a Rege Poloniae obtinuerat, ad preces Senatus Hamburg. ablatus. A. 1667. d. 8. Sept. *Glükſtadii*, Regi Daniae coram tota aula Commentarios SCHLICHTINGII et CRELLII tradidiſſe LVBIENIECIVM, et in arce Gottorpienſi tractatum ſuum: *Glükſtadia vera Tychopolis*, auctor vitae eius teſtis eſt. Eodem anno Regi quoque Daniae *theatrum cometicum* Hafniae, in quam Daniae Metropolin iterum ſuſceperat iter, obtulit. Hoc tempore Hafniae commoratus, illius amicitiam et colloquia ambiuit CHRIST. FRANC. PAVLLINI, qui hoc ipſo commercio heterodoxiae ſibi ſuſpicionem apud Theologos Hafnienſes et praecipue SVANINGIVM contraxit, qua tamen macula, ſua de rebus fidei declaratione ſemet liberauit. *Vid.* MOELLERI *Cimbr. liter.* T. II. p. 623. Cum vero *Hamburgi* ſectae ſuae placita aliis commendare omne adhiberet ſtudium, nec monitus idem intermitteret, ex Magiſtratus ſententia, ad conſilia Antiſtitum Eccleſiae Hamburgenſis, vrbe excedere eum oportuit; fruſtra hoc Regis Daniae protectionem et fauorem opponente. Ex hoc tempore *Altenauiae* cum familia ſua commorabatur. Poſt aliquot annos vero iterum *Hamburgum* ſemet contulit. Sed ab ESRA EDZARDO et miniſterio Hamburgenſi accuſatus, ex ſtatuto Senatus a. 1675. oppido huic valedicere iterum iuſſus eſt, LVBIENIECIO fruſtra obtendente, quod Regis Poloniae Secretariatum ſuſtineat, quo tamen vt paulo ante dictum, ob Socinianismum a Rege exutus erat. Non autem ex ſolo odio miniſterii ipſi exſilium fuiſſe decretum, exinde colligitur, quod *Lubieniecius* paedagogum liberorum ſuorum, Theologiae ſtudioſum lutheran. ſuo errore corruperit. Antequam vero huic ſententiae pareret, die 18. Maii a. 1675. (cum annum ageret 52. ipſo enim filio

filio ſuo teſte d. 23. Aug. 1623. lucem adſpexit) ex veneno, cibis caſu quodam et incuria domeſticorum, vt creditur, admixto periit, et ante eum pari caſu ambae eius filiae, vix morti erepta coniuge. Veneno eum ab ancilla, ſubornata a nefariis hominibus, ſublatum eſſe, auctor vitae ipſius perhibet. Moellero l. c. Dethl. Clvvervs olim aſſeuerauit, piſa, per domeſticorum incuriam, in olla, quae Mercurii antehac fuerat receptaculum, cocta, et Lvbieniecio, et filiabus attuliſſe exitium. Accepto veneno, Medicorum adhibitis remediis, melius quidem ſe habere coepit, vt quoque e lecto ſurgere potuerit; ſed poſt breue tempus iterum eum morbus inuaſit, Medicis edicentibus, iterato ipſum hauſiſſe venenum. Funus eius *Hamburgo Altenauiam* deductum, quo loco ſibi ſepulchrum in templo iam antea comparauerat. Vid. praeter ſcripta iam allegata, *Dialogi menſtrui germ.* a. 1694. p. 239. *Lauterbachius* l. c. p. 313. ſeqq. *Mölleri Iſagoge in Hiſt. Cimbr.* p. 105. *Sandius* l. c. p. 65. *Fabricii Hiſt. Biblioth.* P. II. p. 79. *Io. Hallervordii Biblioth. curioſa* p. 376. Multa in exſilio ſuo, vir meliori alioquin fortuna propter inſignem eruditionem morumque elegantiam, dignus, omnibusque hoc intuitu commendabilis, qui ſolius conſcientiae ſtimulo in errore, tanta patienter ferre mala, quam patriae inter Euangelicos ſuam ſacrare doctrinam et officia maluit. Ipſius ſymbolum fuiſſe: *Stando lubentius moriar*, Thom. Creenivs notauit in *anim. phil.* P. XI. p. 144. Effigiem eius in forma maiori L. Vischer aeri inſculptam exhibuit, cui Clemens Gavld *S. Theol. D.* haec adpoſuit:

*Stanislaus de Lubienietz. Zelus Dei ſit tibi laus Tua.*
*Tu cenſes proauos ſanguine nobiles*

 *Gentis*

*Gentis quique suae lucida sydera.*
*Immortale decus quod tibi construunt!*
*Virtuti poteris tu superaddere*
*Horum: si pietas te teneat suum,*
*Zelus sique Dei sit tibi laus tua.*

Ad *Stanislaum* hunc, non autem *Christophorum* respicere videtur scriptum, quod in Biblioth. D. E. Iablonski p. 384. allegatur: C. Lvbieniecii *pietas in summis cruciatibus ad mortem toleratis.* Ex filiis, quos reliquit, alter Christophorvs, a. 1659. Stetini natus; alter fuit *Theodorus.* Idem is est Theodorvs Lvbieniecivs, cuius Vir generos. Hvmbertvs in libro, *Ouvrages diverses sur les belles lettres, l'architecture civile et militaire etc.* et ex hoc das Hamb. Magaz. T. III. p. 405. meminerunt, quod Eques Polonus, in exercitu Russico Tribuni locum tenens a Suecis in proelio ad Naruam captus, Stettinum abductus fuerit, quo loco arti pictoriae tanto cum successu operam nauauerit suam, vt paulo post ad aulam *Seren. Regis Bor.* in eadem arte praeclara exhibuerit specimina, quibus semet adeo commendauit, vt etiam titulo *cubicularii intimi* (geheimer Cämmerer) insignitus fuerit. Sed artis huius exercitio non acquiescens, librum composuerat latinum, in quo Socinianismi defensionem suscepit; hoc per manum carnificis publice flammis tradito, *aulae Berolinensi* valedixit, seque *Dresdam,* et inde in *Poloniam* contulit; vbi quoque viuere desiit. Sed de hoc plura in *Hist. Socin. March.*

Scripta:

1. *Historia reformationis Polonicae, in qua tum Reformatorum, tum Antitrinitariorum origo et progressus in Polonia et finitimis prouinciis narrantur. Freistadii* (i. e. *Amstel.) apud* Ioh. Aconivm, 1685. 8. pl. 20. s. pagg.

pagg. 304. Operi huic posthumo, ac proinde manco pluribusque erroribus omnis generis scatenti, inprimis typographicis, qui haud raro sensum adeo reddunt obscurum, aliena manus duo capita vltima addidit. Praefationis locum vita auctoris occupat, quam, testante illa, vnus ex filiis eiusdem concinnauit. Auctor circa annum 1668. opus hoc adgressus est, quo anno consessus Cruciburgicus coeptum eidem gratulabatur laborem. In cognoscendis familiae huius, inprimis in Polonia fatis, nemo hoc opere, quod VOGTIVS merito libris rarioribus accenset, l. c. p. 418. carere potest. V. BAYLII nouvelles de la Republ. des lettres, 1685. mense Maio, p. 567. et *Zeltnerus* l. c. p. 274. Not. c. Difficile esset probatu iudicium auctoris *des dissertations historiques sur diverses sujets*, *T. I. Roterod.* 1707. p. 129. et *Tenzelii*, in *Bibliotheca curiosa*, P. I. p. 95. quod vix vna pagina sit eximenda, quae non pluribus referta sit mendaciis; quamuis haud pauca animaduerterimus.

2. *Compendiolum doctrinae Ecclesiae Christianae nunc in Polonia potissimum florentis.* 1630. V. PLACCII *anon.* Num. 843. (α) p. 154. N. 811. γ. p. 141. SANDIVS illud tribuit OSTERODO l. c. p. 91. Exinde petita est CONR. VORSTII *summa doctrinae Sarmatarum etc.* belgic. Kort begryp van de Leere der Sociniaanen etc. cui opusculo CLOPPENBVRGIVS opposuit *compendiolum Socinianismi confutatum, Franequ.* 1652. 4. *Acta Synod. MSSCC.* testantur STANISL. LVBIENIECIVM concinnasse Catechismum, qui ex statuto conuentus Siedliscensis a. 1643. in linguam graecam translatus (fortassis a COSMIO, qui CRELLII librum *de vno Deo Patre* in hanc linguam verterat) RVARO commendabatur, vt

eundem typis exſcribi curaret. Sed videtur *Stan. Lubien. Sen.* foetus huius parens; *iuniore* adhuc puero.

3. *Vindiciae pro Vnitariorum in Polonia religionis libertate*, ab Eqvite Polono *conſcriptae.* Adtextae ſunt Sandii Bibliothecae, p. 265. habentque pl. 2. Ab hoc opuſculo diuerſum eſt Io. Crellii, ſub nomine *Iunii Bruti Poloni* libellus, eodem fere titulo inſignitus. Sam. vero Przypcovivm vindiciarum illarum eſſe auctorem, quas *Sandius Lubieniecio* tribuit, ſub *Przypcouio* N. 43. notauimus; niſi forte ſtatuamus, vtrumque ſcriptorem de eodem argumento ſuum exercuiſſe calamum.

4. *Theatrum Cometicum in III. Tomos diſtinctum*, *Amſtel.* 1667. fol. *Pars prior* continet Communicationes de cometis 1664. et 1665. cum viris per Europam clariſſimis habitas, eorumque obſeruationes accuratiſſimis tabulis aeneis expreſſas. Ad Sereniſſ. Principem Fridericvm III. *Regem Daniae et Noruegiae.* Habet haec XL. et plures eruditorum ad *Lubieniecium* epiſtolas. Lacunas epiſtolae, quae Nic. Heinsivm habet auctorem, et p. 255. legitur, ex autographo ſuppleuit Crenivs *animadu.* P. XI. p. 183-186.

*Pars poſterior*, ſ. hiſtoria Cometarum a diluuio ad A. C. 1665. hiſtoriae vniuerſalis ſynopſin quandam continens. Ad Sereniſſ. et Celſiſſ. Georgivm Wilhelmvm et Ioh. Fridericvm, *Duces Brunſuicenſes et Luneburgenſes.*

*Theatri Cometici exitus.* De ſignificationibus Cometarum, ſcitis quorundam amicorum obiectionibus, reſponſionibus auctoris, et iudiciis Virorum Clariſſ. expeditus: et *Iuſta Raitenſteiniana.* Ad *Sereniſſ. et Celſiſſ. Principes* Philippvm Wilhelmvm, *Neoburgicum*, et Philippvm, *Sulzbacenſem*, *Comites Palat. Rheni, Duces*

*ces Bauariae etc.* Adnexae ſunt T. I. fol. 597. ſeqq. duae Wissowatii et totidem Ioach. Stegmanni *iunioris* litterae. Commercium epiſtolicum, hoc in opere exhibitum, hiſtoriae iſtius temporis cognoſcendae perutile eſt. V. Bavmgartenii *recenſ. Biblioth. Halenſ.* T. VI. p. 334. Longam operis recenſionem inſtituit Moellervs in *Cimbria liter.* T. II. p. 491. Exemplar, quod Bibliotheca Regia Regiomontana tenet, nitide compactum, Principi Radzivilio ab auctore praemiſſis his verbis calamo pulcherrime ſcriptis oblatum eſt: *Celſiſſimo Illuſtriſſ. Principi* Bogvslao Radzivilio. *Birzar. Dubincor. Sluciae. Copyli Duci. S. R. I. Principi. Heroi. Pace. Belloq. Incluto. Ob. praeſtantiſſimas. Virtutes. Vt. Domi. Foriſq.* Laudatiſſ. *Ita. Et. In. Hoc. Opere. Saepe. Laudato. Tum. Ob. Magna. In. Se. Suosq. Beneficia. Debitae. Venerationis. Et. Grati. Animi. Perpetuum. Monumentum.* L. M. Q. *Mari. Amſtelodamo Regiomontum mittit. Supplex Auctor. Poſtrid. Kal. Nouembres Gregorianas Anni Chriſtianorum* cIↄ Iↄ C LXVIII. Non alienum eſt ab argumento operis, quod in titulo adpellatur *Opus Mathematicum, Phyſicum, Hiſtoricum, Politicum, Theologicum, Ethicum, Oeconomicum, Chronologicum.* Inprimis inter hiſtorica occurrunt nonnulla, ad hiſtoriam Poloniae et fata coetus Sociniani vltima in hoc regno ſpectantia.

5. *Glückſtadia-vera Tychopolis. Glückſtadii* 1667. *fol.* Panegyricus eſt in laudem vrbis huius Holſaticae ſcriptus.

6. *Morientis Poloniae conſeruandae ratio certiſſima:* ſub nomine Brvti. 4. Placcivs in Pſeudon. p. 483. p. 141. Lvtomirscivm cum Lvbieniecio confundit, et *Sandio* falſo imputat, quaſi opus hoc loco conueniente omiſerit.

7. *Moriens Polonia ſuos et exteros alloquitur.* 1665. 4. *M. Octobr.* V. GRODDECK ſchediasma *de Scriptoribus Hiſt. Polon.* p. 66. Idem *Groddecii* opuſculum, quod auctarium eſt ad IOACH. HOPFII libellum, DLVGOSSI recentiſſimae editioni *Hiſt. Polon.* adtextum eſt.

8 *Exemplum epiſtolae, quo Viro cuidam magno hiſtoriolam commentariorum et vitae ac mortis* IONAE SCHLICHTINGII pertexit. Scriptum Hamburgi d. 14. (24) *Iunii* 1665. et praefixum Commentariis *Ion. Schlicht.* in *Biblioth.* FF. PP.

9. *Hymnus in Symbolum SS. Apoſtolorum, adiunctus libro Pſalmorum et Hymnorum,* quo fratres Poloni vtuntur. Teſte SANDIO p. 125. eiusmodi hymnum *Sam. Przypcovius*, et teſte eodem p. 122. *Io. Stoinius* quoque compoſuerunt.

10. *Strena lugubris, at ſalubris orbi Chriſtiano ineunte A. C.* 1670. *exhibita, ſiue perenne monumentum commendandis magnis virtutibus Magnanimi Herois,* BOGVSLAI RADZIVILII *S. R. I. Principis, ſupremi per Litthuaniam ſtabulo Regio Praefecti, Pruſſiae Electoralis Gubernatoris etc. Hamburgi* 1670. fol. Panegyricum hunc funebrem ab omnibus erroribus typographicis eſſe immunem, praefatio adfirmat.

11. *Fidelis relatio rerum Thorunii d.* 10. *Octobr.* 1644. *peractarum in Colloquio Charitatiuo, inſtituto inter Romano-Catholicos et Diſſidentes in religione ab Eccleſia* eorum. MSC. Terminum huius Colloquii a. 1644. primum praefixum, fuiſſe dilatum ad a. 1645. conſtat. Interim tamen a. 1644. ſpeciale colloquium habitum eſt, de quo etiam relatio hiſtorica in dimidia plagula formae 4. lucem adſpexit, quae pagina 1. hunc indicem prae ſe fert: *Digna fide relatio de Dominorum*

*Cleri-*

*Clericorum conuentu Thorunii d.* 10. *Octobr.* 1644. *instituto.* Impressionis locus non notatur. Auctor eius Sociniano coetui addictus videtur. Circa finem meminit aduentus *Dominorum* (vt vocat) *Socinistarum* cum ministro suo *Iona Schlichtingio*, qui Episcopo suum Thorunii aduentum tanquam Dissidentes nuntiarint. Huic interroganti: *Quam religionem profiterentur?* respondissent: *Se esse Christianos.* Illo iterum vrgente, vt declararent: *An sint Lutherani, an Caluinistae?* et ex horum sermone colligente, ipsos esse *Arianos*, nihil responsi iis datum, sed in aliud tempus procrastinati sic dimissi sunt.

Scriptum vero hoc SANDIVS, sub isto, quem allegat titulo, quemque exscripsimus, non intendisse videtur, sed potius *Lubieniecii Acta eorum, quae circa tempus Colloquii Thorun. etc. contigerunt*, quae in *MSC.* idque *autographo* ipsi possidemus, quod etiam in *Catal. Biblioth.* P. E. IABLONSKI, *Francof. ad Viadr.* 1758. p. 115. occurrit, de quo in *Hist. Socin. Pruss.* et infra sub ION. SCHLICHTINGIO N. 13. 14. 15.

12. *Exercitatio in disp. theol. de tremendo SS. Trinitatis mysterio*, a D. DAN. LAGO in alma Pomeranorum Academia, Socinianis 1658. oppositam. Scripti huius EPHR. PRAETORIVS in *Athen. Gedan.* p. 88. sub DAN. LAGO non *meminit.*

13. *Libellus de Deo et Sp. S. ex ipsis scripturae s. verbis.* 1657. Ad hunc respondit *Phil. Henr. Friedlieb*, in Tr. cui titulus praefixus: Photinianische Wolffsklauen unter einem Schaafspelz versteckt. Stralsund 1662. 12. Huic praemissus est *Lubieniecii* libellus lingua belgica, teste *Catal. libb. rar. Dan. Salthenii, Num.* 2684. p. 535.

14. *Memoriale in caussa Fratrum Vnitariorum*: adiu-

vante *Iona Schlichtingio*, conſcriptum, *Stetini* 1659. 10. (20.) *April. MSC.* Occaſione belli Suecici in Polonia geſti, Vnitarii accuſabantur colluſionis cum Suecis et coniurationis aduerſus patriam, praecipue in ſcripto publicae expoſito luci ſub titulo: *Proditiones Arianorum Patriae ſuae Poloniae, ſub tempus belli Suecici.* 1657. 4. absque loci, quo impreſſum eſt, ſignificatione. Quod haec accuſatio plurimum momenti habuerit, in publicata a. 1658. aduerſus Socinianos regni conſtitutione, quam vero hi omni modo a ſe declinare ſtuduerint, alio loco expoſuimus.

15. *Orbis Polonici reuolutio Suecica, ſiue conuerſiones in periodo* SIGISMVNDI III. VLADISLAI IV. *et praecipue* IOHANNIS CASIMIRI, *Regum Poloniae, gente Suecorum factae MSC.*

16. *Memoriale in cauſſa omnium ſine diſcrimine, de Chriſtianae religionis profeſſione ab Eccleſia Catholico-Romana in Polonia Diſſidentium. MSC.*

17. *Decuria rationum pro communi pace et libertate Diſſidentium ab Eccleſia Romana, nominatim Euangelicorum Auguſtanae et Reformatae Confeſſionis, et Arianorum vulgo dictorum: ſcripta* 1660. *MSC.*

18. *Breuis et fidelis relatio colloquiorum inter* D. HIERON. MVLMANNVM S. I. et STANISL. LVBIENIECIVM, in Regia *Hafnienſi* 1661. 12. *Febr. habitorum, praeſente Sereniſſ. Rege Danorum* FRIDERICO, *et aliis nonnullis magni nominis viris. MSC.*

19. *Exercitatio* in EXERCITATIONEM M. IOH. LATERMANNI DE SS. TRINITATIS MYSTERIO, CONTRA SOCINIANOS, ſub praeſidio D. GEORG. CALIXTI in *Acad. Iul.* 7. *Cal. Martii* 1645. *habitam: ſcripta* 1662. 7. *Febr. MSC.*

20. *Gal-*

20. *Gallio, Magiſtratibus Principibusque Chriſtianis exhibitus.* 1663. *MSC.*

21. *Hiſtoria religionis Eccleſiaſtica, vetus et noua, praecipue in Regno Poloniae et prouinciis adiacentibus, coepta ſcribi* 1664. Cal. Sept. Opus ab illo, quod N. 1. allegauimus, diuerſum, quod interueniente auctoris obitu ad vmbilicum non deductum.

22. *Hiſtoria religionis ciuilis, vetus et noua, quae potiſſimum complectitur ciuiles Chriſti et Chriſtianorum actiones, leges, iura, perſecutiones, Defenſiones, Colonias. MSC.* Cuius operis, teſte SANDIO p. 167. initium tantum extat.

23. *Panegyricus in laudem* IOHANNIS III. Regis Polon. M. D. Litth. etc. 1674. MSC.

24. *Veritatis primaeuae compendium, ſiue noua, facilis et certa catholicae Chriſtianae Confeſſionis demonſtratio, per breuia amica IV. Colloquia: inter Politicum Chriſtianum, Graecum Chriſtianum, Lutheranum Chriſt. Caluinianum Chriſt. et Catholicum Chriſtianum, quem Arianum vulgo dicunt.* MSC. Videtur auctor ad opuſculum hoc elaborandum reſpexiſſe, cum in *Hiſt. Reform. Polon.* p. 7. ſcribit: "Bonó cum Deo ex Scripturae S. adytis et rationis ſobriae penetralibus non tantum, ſed et ex antiquitatis monumentis *veritatem primaeuam* producemus." Ex *Actis Confeſſus Czarcouienſis* 1654. habiti conſtat, eum DE PRIMAEVA VERITATE librum concinnaſſe. Hoc ipſo vel haec colloquia, vel libellus ſub N. 26. innuitur.

25. *Exercitia S. ex N. T.* MSC.

26. *Tractatus pro illuſtranda et demonſtranda veritate primaeua.* MSC.

27. *Reſponſio ad ſcriptum,* cui titulus: *Vindicatio Patrum Ante-Nicaenorum.* MSC.

28. *Paraenesis ad Nicodemitas: sub nomine* TIMOTHEI CHRISTIANI *MSC. Placcius Pseudon.* N. 637. p. 176. iterum *Lutomirscium* cum *Lubieniecio* confundens, *Sandio* praeter omnem caussam imputat, quod scriptum hoc allegare omiserit.

29. *De Trinitate.* MSC.

30. *Responsiones ad obiectiones de aeterna diuinitate Filii Dei et Sp. S. MSC. polon. Vid.* N. 13.

31. *XXIII. Articuli, quos* S. PAVLVS *Apostolus docuit et tradidit priscae Ecclesiae Romanae; quae hodiernae nouae Ecclesiae Romanae e diametro aduersantur. MSC. polon.*

32. *De aequo omnium Episcoporum, cum Romano, iure antiquo.* MSC.

33. *Conciones sacrae MSC. polon.*

34. *Epistolae ad quosdam Viros illustres ac doctos:* vt et ad ANNAM MARIAM A SCHVRMANN. MSC.

35. *Sylloge* VOIDOVII *continuata.* MSC. A. 1652. in Confessu Czarcouiensi, imo et sequente tempore saepius admonitus est, continuare syllogen hanc, eidemque partem posteriorem addere; ad quod opus perficiendum, ministris iniunctum, vt quicquid de eodem in manibus tenerent, cum illo communicare velint. In confessu Cruciburgi in Silesia a. 1663. celebrato, *Stanisl. Rochlitius*, i. e. *Lubieniecius* admonitus est, vt syllogen dictorum S. scripturae de Trinitate quoad N. T. locupletaret, et prelo pararet. Idem notatur opus, quando confessus *Cruciburgi* a. 1668. coactus, eum hortatus est, vt in elaborando syntagmate dictorum S. scripturae de Trinitate, ab *Andr. Voidouio* inchoato diligenter pergere velit, quae ad huius *Elenchum locorum S. scripturae N. T. etc.* respiciunt, de quo v. sub VOIDOVIO. Fortasse N. 25. idem labor indigitatur.

36. Vt nonnulla ION. SCHLICHTINGII ſcripta reuideret ac emendaret, ipſi in conſeſſu *Cruciburgico* a. 1663. commendatum eſt, ſub *Stan. Rochlitii* nomine.

## GABRIEL LVBIENIECIVS.

Nec a SANDIO l. c. nec a quodam alio ſcriptore, quantum ſcimus, notatus, cuius propinquitatem cum caeteris huius familiae, et vitae fata ignoramus. In *actis MSSCC.* conſeſſus Dazuienſis a. 1648. ſcriptum eidem tribuitur: *De conſtitutione et conſeruatione Eccleſiarum temporibus adflictis in ſtatu pacato*, quod publice quoque recitatum eſt. Legitur praeterea in ACTIS SYNOD. *MSSCC. epiſtola* eiusdem ſcripta polon. *Lutetiis* a. 1640. d. 15. Iunii ad matrem ſuam, quam de mariti patrisque ſui obitu conſolatur; in eadem ſimul ſignificat, conſtitutum apud ſe eſſe, diutius *Pariſiis* ſubſiſtere, cum coelum Gallorum ſibi magis acceptum ac commodum videatur, quam Polonorum.

Praeter hos, quos allegauimus LVBIENIECIOS, plures in iisdem *Actis* allegantur. Ita 1648. et ſeqq. WLADISLAI et NICOLAI et a. 1655. MARCI LVBIENIECIORVM fit mentio, nec non a. 1644. in conſeſſu Czarcouienſi CHRISTOPHORVS LVBIENIECIVS notatur, qui admonitus eſt, vt ad fratrem ſuum STANISLAVM ſe conferret, hocque moderante ampliores in ſtudio theologico faceret progreſſus.

## STANISLAVS LVTOMIRSCIVS.

Eques Polonus, illuſtri familia natus, *Regis Polon.* SIGISMVNDI AVGVSTI *Secretarius*, teſte SANDIO l. c. p. 42. olim ſacerdos Pontificius, Comminenſis ac Tuſſinenſis Plebanus, imo eodem teſte Archiepiſcopus Gnesnenſis deſigna-

designatus, deinde suscepta confessione Heluetica circa a. 1544. Superintendens, post FELICEM CRVCIGERVM, Ecclesiarum minoris Poloniae. Ab Archiepiscopo Gnesnensi de haeresi *Louicium* citatus, sacris Bibliis et magna propinquorum caterua stipatus, ad Archiepiscopum non admissus. V. WENGERSCIVS l. c. p. 412. Ab Italis aduenis, antiquos errores renouantibus in deuia a veritate abductus, in alienam de tribus in vna Dei essentia personis sententiam abiit. Qua ratione id factum sit, *Lubieniecius* l. c. p. 158. his verbis exponit: "Erant inter pios Italos, qui solum verterant *Darius* et *Alciatus*, quorum iste ab illo acceptas theses prope viginti de Deo trino et vno ad amicum et popularem suum *Prosperum Prouanam*, qui praedium *Szafranecii* Rogouianum, in quo conuentum pium a. 1562. celebratum diximus, iure hypothecae obtinuerat. Has cum aliquando lectas in mensa reliquisset, *Stan. Budzinius*, celebris ille Chronographus Ecclesiasticus, *Prouanae* familiaris et praedii administrator, in eas incidit, easque perlectas *Iohanni Pustelnico*, verbi ibidem ministro legendas tradidit. Is mox copiam earum *Stanislao Lutomirscio*, tractus Pinczouiensis Seniori, paulo post Superintendenti fecit. Inter haec BVDZINIVS facti obliuisci: *Prouana* theses quaerere: his non inuentis dolere: cognito *Budzinii* facto, indignari, irasci: *Lutomirscius* et PVSTELNICVS theses cum aliis communicare: hinc magna de Trinitate certamina oriri, *Gregorius Pauli* inter haec Patris praeeminentiam Cracouiae docere etc." Ex his verbis omnino colligitur LVTOMIRSCIVM iam ante *Gregorium Pauli*, Antitrinitariorum errore infici coepisse, ac cum *Gregorius* in publicum prodiret sua opinione, huic LVTOMIRSCIVM omnino fauisse. Eundem 1561. in Synodo Pinczouiana d. 30. Ian. habita, *Superintendentem*

*mino-*

*minoris Poloniae* esse declaratum, cum antea *Pinczouianus* tantum censeretur, *Io. Stoinius* in epitome *Sandii Bibliothecae* adtexta p. 185. enarrat. A. 1562. in Colloquio *Petricouiae* instituto ad Socinianos plene transiit. V. LVBIENIECIVS l. c. p. 152. *Saligius* l. c. T. II. p. 652. WENGERSCIVS l. c. p. 86.

SCRIPTA:

1. Confessio, to iest wyznanie wiary chrześciańskiey. Iego Krolewskiey Miłosci Panom a Radom Koronnym. Xiędzu Arcibiskupowi Gnieznienskiemu y wszim Biskupom Polskim przez Xiędza Stanisława Lutomirskiego podana. Prze ktore wyznanie, iako niesłusznie iest (oprocz wszelakiey nauki słowa Bożego) Kaczerzem osondzon, każdy tu obacz. Psalm II. (10. 11. 12.) Drukowano w Krołewcu Pruskim przez Iana Daubmanna. Roku Pańskiego 1556. 4. i. e. *Confessio fidei Christianae tradita Regiae Maiestati, consiliariis et ministris regni, Domino Archiepiscopo Gnesnensi cunctisque Dnn. Episcopis Poloniae, per* STANISL. LVTOMIRSCIVM, *Sacerdotem. Propter quam confessionem, sine vlla instructione ex Dei verbo inique pro haeretico iudicatus est, quod vnus quisque ex illa contueatur. Ps. II. (v.* 10. 11. 12.*) Impressa Regiom. in Borussia, per* IO. DAVBMANNVM. *Anno Domini* 1556. 4. Alph. 1. pl. 8. Praemissa *duplici epistola*, vna Regi, altera Archiepiscopo Gnesnensi caeterisque regni Praesulibus inscripta d. 25. Aug. 1554. quae 5. fere plagulas capiunt, breuis sequitur *praefatio*, introductionis vicem sustinens, cum indice XXIV. articulorum huius libelli. Primis VI. articulis, qui tanquam praeliminaria ac propaedeutica confessionem propriam antecedunt, agit: *de verbo Dei*, *de scriptis SS. Patrum*, *de conciliis*, *de Ecclesia*, *eiusque docto-*

*doctoribus*, *et ſucceſſoribus SS. Apoſtolorum.* Hos excipit tanquam articulus VII. *confeſſio* fol. K. 2. b. praemiſſa hac inſcriptione: *Confeſſio ſanctae fidei Chriſtianae*, *aliorumque exinde fluentium articulorum*, continetque inter alia confeſſionem de Deo Trinuno, quae ex omni reſpectu orthodoxa et verbo diuino congrua eſt. Qui ſequuntur articuli XVII. agunt de *peccato*, *lege*, *poenitentia*, *S. Euangelio*, *iuſtificatione peccatoris*, *Sacramentis*, *bonis operibus*, *de inuocatione ſanctorum defunctorum*, *de decretis humanis*, *de imaginibus*, *de Miſſa*, *purgatorio*, *Magiſtratu politico etc.* Poſt epilogum, Archiepiſcopale decretum in lingua latina et originali, aduerſus auctorem datum 1555. 5. *April.* adtextum eſt, addita breui Epicriſi. Fuſiorem operis huius recenſionem inſtituit RINGELTAVBE in additamento ad *Hiſt. Confeſſ. Auguſt. in Boruſſia et Polonia.* p. 89-147. Huic LVTOMIRSCII ſcripto, nulla ſuſcepti poſthac erroris macula adſperſa.

2. *Epiſtola* ad IOH. VTENHOVEN data 1560. producitur in *Dan. Gerdeſii Scrinii antiquarii*, ſ. *Miſcell. Groninganorum nouorum*, *Vol. IV.* P. I. p. 543-547. Vid. *Noua litter. Goettingenſ.* 1754. p. 574.

3. *Epiſtolae tres ad Eccleſias Reformatas*, *Cracouienſem et Vilnenſem. Prima*, ad fratres Cracouiae congregatos, 1563. *ſecunda*, ad fratres Vilnenſes eod. anno; *tertia*, ad coetum Vilnenſem 1565. leguntur in GERDESII opere alleg. l. c. p. 547-554. Vid. *M. Formey Biblioth. German.* T. XVI. p. 80. 82.

4. *Epiſtola ad Magnates et Fratres quosdam*, in qua eos deterrere conatur a Schiſmate, quod *Stanisl. Sarnicius* cum ſuis moliebatur; ſimulque *Gregorium Pauli* a criminationibus, quibus impetebatur, purgat. Scripta

Cra-

Cracouiae in Synodo 1563. 17. Maii celebrata, et praeter ipſum *Lutomirſcium* a. XXII. Senioribus et Miniſtris ſubſignata, *polon.* Inſeruit epiſtolam LVBIENIECIVS l. c. L. III. C. I. p. 161.

5. *Altera epiſtola ad Miniſtros et Fratres Litthuaniae et Podlachiae ſcripta*, de eadem materia, itidem nomine Synodi eiusdem. Inſerta *Lubieniecii hiſtoriae* l. c. p. 164.

6. *Epiſtola Synodi Brzeſt. Cuiau. nomine (1565) ad coetum fratrum Vilnenſ.* exarata in cauſſa de *Paedobaptismo*, controuerſa inter *Mart. Czechouicium* et alios. Inſerta a LVBIENIECIO l. c. L. III. C. III. p. 177. De hac controuerſia plura ex *Act. MSSCC. in Hiſt. Socin. Polon.* ſub CZECHOVICIO et FALCONIO exponuntur.

7. *Concluſio Synodi Wengrouienſis in articulo veri baptismi* 1565. 30. *Decemb.* MSC. *polon.* Hanc vt et reliqua ex BVDZINIO inſeruit *Lubieniecius* l. c. p. 180. ſeqq.

8. *Epiſtola data paruae Caſimirſciae* 1566. 23. *Iulii* qua *Mart. Czechouicium* cum aliis inuitat ad Synodum Brzezinienſem. *Vid.* SANDIVS l. c. p. 43. et *Hiſtoria Socin. Polon.*

9. *Scriptum de quaeſtionibus tunc temporis in Eccleſia motis: An homini Chriſtiano liceat Magiſtratum politicum atque arma gerere*, exaratum 1574. Directum videtur aduerſus *Greg. Pauli* vel *Mart. Czechouicium* quibus etiam BVDNAEVS et BVDZINIVS in ſcriptis ſuis obſtiterunt.

10. *Epiſtola* ad *Nicol. Parutam* 1574. ſcripta, ſuper quaeſtione *de baptiſmo.*

## MACIEIOWSCIVS.

Miniſter Socinianus, qui vero poſt aliquod tempus ad Romanorum ſacra rediit. Eiusdem, nec non epiſtolae

ab

ab eo datae 1634. ad HIERON. GOSTOMSCIVM, Capitaneum Sendomiriensem, qua XXXVIII. errores Socinianorum exposuit, mentionem facit P. SKARGA in Tr. *Zawstydzenie Aryanow nowych. Cap. IX.* quo loco totum illud scriptum inseruit, sub tit. ArtikulyConfessyeyRakowskiey etc. Libellus iste MACEIOWSCII P. SKARGAE ansam praebuit, concinnandi, scriptum allegatum Zawstydzenie etc. quod eidem Capitaneo dedicauit.

## SAMVEL MACOVIVS, VEL MACCOVIVS.

Doctor Medicinae, et idem sine dubio anonymus, qui a. 1633. in *actis MSSCC. Doctor Bregensis* vocatur, ad quem ex squalidissima captiuitate redimendum, Synodus Racou. 1634. 1000 flor. contulit. Lucem his adfundunt, quae *Lubieniecius* in expositione fatorum coetus Lublinensis de anno 1627. l. c. p. 264. his verbis enarrat: "Nota est iniuria grauis, SAMVELI MACOVIO, licet Medicinae Doctori et experientissimo et Clarissimo, ac alioquin integro vitae, sed et de vrbe illa, cum primis grassante peste, optime merito illata, qui Regis patrocinio munitus, Regiis commissariis absolutus, ab iudiciis tamen Tribunalis illius in ius, carcerem, ad supplicium toties tractus, post tot mortis metus vix grandi pretio preceque redemtus, Vnitariorum Ecclesia afflictum mille libris dono datis subleuante." An frater vel agnatus IOANNIS MACOVII, s. MAKOWSKI, Nobilis Poloni, et Franekerae Theologiae Professoris, (qui ipse FAVSTI SOCINI Catechismum refutauit, Vid. *Io. Christoph. Koecheri* Catechetische Geschichte rc. p. 143.) in quem Io. COCCEII *oratio Parentalis habita d. 2. Iulii* 1644. typis exscripta prodiit, incerti sumus.

PETRVS

## PETRVS MACZYNSKI.

Eques Polonus, inter Vnitarios *Diaconus* generalis, seu *Synodicus*, qui teste SANDIO p. 83. CALEPINI *Lexicon lat.* in linguam polonicam transtulit.

## GEORGIVS MANLIVS.

Scholae Racou. Rector interfuit Colloquiis s. exercitationibus in aedibus *Smalcii* a. 1606-1609. habitis. Vid. de eodem inter Rectores scholae Racou. in *Hist. Socin. Polon.*

## SEVERINVS MARTINVS.

*Danus* patria. Scholae Racouiensis Conrector, qui Colloquia Racou. a. 1602. et exercitationes Theologicas in aedibus SMALCII a. 1606-1609. habitas, cum pluribus aliis frequentauit. V. SANDIVS p. 174. 175. *Smalcius* eundem pientissimum fratrem adpellat, quem 1609. d. 7. Decemb. obiisse narrat in *Diar. vitae* apud ZELTN. l. c. p. 1186.

## IOANNES MATTHEVS, *s.* MATTHES.

Nomen apud scriptores de Antitrinitariorum patronis et doctoribus prorsus ignotum. Fuit inter eos, qui in *Palatinatu Rheni* communem caussam cum SYLVANO et NEVSERO fecerunt. Decretum RVDOLPHI II. *Imperatoris* aduersus *Io. Mattheum* e prouinciis austriacis, in quas se contulerat proscribendum, Viennae d. 24. Iunii a. 1578. enuntiatum, insertum legitur ex *MSC.* den Fortges. nützlichen Anmerkungen rc. *Coll.* V. p. 500. seqq. Eodem non notari MATTHIAM VEHE, (GLIRIVM) e Palatinatu ob eandem haeresin proscriptum, diuersum nomen MATTHEI,

 quo

quo in decreto Imperatoris ſemper (nunquam vero MATTHIAE) inſignitur, palam loqui videtur.

## PAVLVS MATY.

De quo in *Hiſt. Antitrinit. Belgica.*

## ANDREAS FRICIVS MODREVIVS.

Eques polonus, de gente Modrzewskiana, in Palatinatu Sendomirienſi clariſſima. Cognomen eius MODREVIVS, non FRICIVS, in quo SCHELHORNIVS et alii errarunt; hinc a STAROVOLSCIO *Cent. ſcriptor. polon.* p. 79. 81. 145. nomen eius profertur: ANDREAS MODREVIVS. Vitae ipſius fata et ſcripta concinnata expoſuerunt *Lubieniecius* et *Sandius* ll. cc. *Eraſmus Otuinius in heroum Chriſtianorum vitis, carmine polonico deſcriptis*, BAYLIVS in Diction. tit. MODREVIVS, cui Io. GE. SCHELHORNIVS Supplementa adtulit, in den Ergötzlichkeiten aus der K. H. und Literatur, T. I. p. 671. TENZELIVS *curioſ. Bibl. Repoſit. III.* p. 670. et SALIGIVS in *Hiſt. Aug. Conf.* T. II. p. 668.

Integrum *Wittebergae* triennium, ab anno circiter 1534. in ſcholis MELANTHONIS conſumſit, qui diſcipulum hunc magno fauore complectebatur, quod ex praeceptoris litteris commendatitiis feſto adſcenſionis Chriſti ad VITVM DIETERICHVM 1537. Noribergam datis colligitur. In hunc enim locum a. 1537. conceſſit, ibidemque ad diſcendam linguam teutonicam, contrahendamque cum eruditis amicitiam per tempus aliquod commoratus eſt. Ita autem MELANTHON ad DIETERICHVM, in epiſtolis illius a Io. SAVBERTO Norimb. 1640. editis p. 24. "Etſi ſtatuebam tibi hunc hoſpitem, ANDREAM FRICIVM Polonum, magnae voluptati fore, ſine meis literis, (ſcis enim, ſingu-

ſingulari prudentia, fide et diligentia in omni officio praeditum eſſe) tamen dedi proficiſcenti ad vos has literas, vt ad ea officia, quae in eum tua voluntate collaturus es, mea cauſa aliquid adderes ſtudii. Fuit mihi familiaritas eius, amplius triennio, non eo tantum iucunda, quod delectaretur his literis, quas nos quoque amamus: ſed multo magis, quod me ſaepe in rebus duris et conſilio et oratione ſua iuuit et erexit. Proficiſcitur Noribergam linguae germanicae diſcendae cauſa, eamque ſibi delegit ſedem, propterea, quod vrbs veſtra multis artibus ornata eſt, quodque tecum et cum aliis viris doctis conuerſari mauult, quam alibi, vbi minus frequentes ſunt commeatus, degere, deinde vbi nulla facultas eſt, cum vllis eruditis colloquendi, denique Veſtram vrbem exiſtimat lumen eſſe Germaniae. Ideo ibi commorari potius viſum eſt. Gratum mihi facies, ſi virum doctum et bonum, pro tua humanitate, amanter complecteris."

Videtur quoque MODREVIVS in triennio iſto, quod Wittebergae vixit, excurſionem in Poloniam feciſſe; legitur enim in epiſtolarum collectione, quam *Sim. Abb. Gabbema*, *Harlingae* a. 1664. 8. publicauit, epiſtola a MODREVIO ad Io. a LASCO, *Crotouii* d. 20. Iun. 1536. ſcripta. Vbique ſuum erga Euangelicos Eccleſiae Reformatores adfectum teſtabatur, quare a Romano-Catholicis Apoſtatae titulo inſignitus, quod tamen SIGISM. AVGVSTVM Poloniae Regem Euangelicae veritatis cupidiſſimum non impediuit, MODREVIVM *Secretarii* ſui munere ornare, quod tunc fuit in Republica ornatiſſimum.

Habuit Volboriae diſputationem cum STANISLAO ORICHOVIO (*) in praeſentia IACOBI VCHANII, *Archiepiſcopi*



(*) STANISL. ORICHOVIVS, *Canonicus Przemislau. et Hiſtoriographus Poloniae*, de quo WENGERSCIVS l. c. L. I. C. XIII. p. 80. et

*ſcopi Gnesnenſis*, quam SIMON STAROVOLSCIVS l. c. p. 79. inciuili ac inſulſo ſermone, qui ſuum aduerſus omnes a pontificiis ſacris alienos odium prodit, expoſuit. Ita autem inter alia de *Modreuio* p. 81. ſcribit: "Regius Secretarius, ſeu mauis lutulenti illius ſubulci Lutheri, cuius nefariis dogmatibus imbutus, infeſtabat Eccleſiae portas, dicendo, quae non oportuit, ſcribendo quae non licuit, et agendo, quae non decuit. Caeterum ab ORICHOVIO toties repreſſus, et vt dicitur, digito labra compeſcere coactus, in illa ſolemni diſputatione *Volborienſi*, in praeſentia Archiepiſcopi Gnesnen. VCHANICII, qui Epiſcopus Vladislauienſis adhuc, frui eum bonis Eccleſiae ſuae facile permittebat, quod et vir circa oeconomiam induſtrius eſſet, et ſuper certas Eccleſiae illius ſcultetias data ſibi ab anteceſſoribus priuilegia haberet. Caeterum non tulit hoc ſuccedens VCHANICIO Zeloſus ille de religione KARNKOVIVS, qui, vt primum Epiſcopiam illam ingreſſus eſt, ſtatim numerare illi pecuniam iuſſit, impium inquiens, hoſtem Eccleſiae pane illo veſci, me praeſertim paſtore inſpectante, qui ſolis tantum veris Dei cultoribus eſt comparatus." Ipſe Pontifex PIVS V. in epiſtola ad STANISL. KARNKOVIVM, Epiſcopum Vladislauienſem ſcripta, (quae legitur in epp. illuſtr. virorum L. I. n. 5. f. 1639. Tomo II. operis DLVGOSSI,) hunc commonefacit, ne FRICIVM tanquam haereticum in caſtro ſuo *Volborio* tolerare velit. Videtur tamen per plures annos MODREVIVS Volborio tranquilla ſede vſus, quod IOANNIS DROIEVII, Epiſcopi Vladislauienſis et Pomeraniae epiſtola ad Pontificem PAVLVM IV. ſcripta teſtatur, quam ex MSC. exhibuit SCHEL-

HORNI-

et L. II. C. XIII p. 209. Matrimonio ſuo a. 1551. bannum ſibi contraxerat, quo tamen paulo poſt ſolutus. Vid. LVBIENIECIVS l. c. L. I. C. V. p. 34. ſeqq *Saligius* l. c. p. 577. 579. et quae in *Hiſt. Socin. Polon.* de eodem aliquando data occaſione expoſituri ſumus.

HORNIVS l. c. p. 674. ſeqq. Ita autem DROIEVIVS: "*Fricius* quidem Volboriae moratur, ſed in Aduocatia, et bonis, quae illi in haereditate obuenerunt, et quae iuri Polonico, vt caeterorum equitum, ſubſunt moribus noſtris. Caeterum ipſe *Fricius* penſionem a me nullam habet, nihil ei vnquam numeraui, nec eſt in miniſtris meis, nec vlla negotia, aut itinera mea cauſa ſolet obire. Verum quidem eſt, cum proximo menſe Februario iuſſu S. R. M. Domini mei ad Ducem Brunſuicenſem vxorem Regis ſororem deducerem, FRICIVM mecum fuiſſe, ſed non meo iuſſu mecum profectus erat, ſed Regis, cuius nomine Legatione illa fungebatur. Hoc vero nouum non eſt, vt FRICIVS proficiſcatur in negotiis huiusmodi, quoties Rex iubet, cuius eſt Miniſter et Secretarius. — — Miſſus erat olim cum Palatino Siradienſi, STANISLAO LASKI iam mortuo, tum ad Regem CHRISTIERNVM, tum ad Ducem Boruſſiae, deinde cum — STAN. HOSIO, Epiſcopo Varmienſi, tum ad Caeſarem, tum ad Regem FERDINANDVM etc."

Imo ne VCHANIVM quidem eundem inuitum VOLBORIO expuliſſe, ex epiſtola eius ad Rom. Pontif. ſcripta a. 1568. d. 20. Mart. conſtat, in qua haec nuntiat: "De FRICIO mandato Sanctitatis Veſtrae ſatis faciens, ita conſtitui: Quia patrociniis Illuſtrium virorum, in vnam ſectam ſecum conſpirantium, ita munitus eſſe videbatur, vt a me bonis ſpoliari ſine aliqua ſeditione non potuerit — — malui iacturam aerarii mei facere, contractu ſecum vnito, vt certa pecuniarum ſumma a me accepta, bonis omnibus in Epiſcopatu meo cederet." Vid. SCHELHORNIVS l. c. p. 683. Non dubitandum, quin MODREVIVS, qui plurimum apud Regem valuit, ipſumque frequentiſſime conueniendi occaſionem habuit, cauſam Antitrini-

tariorum de meliori Principi commendauerit, quamuis non immerito MODREVIVS Academicis accenſendus videatur et Scepticis, qui pro et contra de myſterio S. S. Trinitatis diſputauit, ad quem Scepticismum *Bernhardum* quoque *Ochinum* propendiſſe nonnulli, idque non ſine ratione iudicant. Sed nec Scepticismus Antitrinitariis, ingratus fuit. MART. RVARVS in ep. ad ABRAH. CALOVIVM Gedani ſcripta, ex edit. ZELTN. p. 17. FRICIVM mediis, inter diſputantes de S. Trinitatis myſterio, accenſet, deque illo ita ſentit: " *Fricius* inter Euangelicos, quos vocant, atque Pontificios medium ſe geſſerat in libris *de emendanda republica*, idem inter *Trinitatis Athanaſianae* (ita *Ruarus*) profeſſores atque noſtros facit in *ſyluis* ſuis. LVBIENIECIVS l. c. L. I. C. V. eum celebrat virum vndequaque praeſtantiſſimum, qui, cum per eruditionem ad magnos honores peruenire potuerit, mediocri fortuna, cum veritatis cognitione, magnis huius ſeculi viris adeo inuiſae, contentus vixerit."

Iuſſerat Rex SIGISMVNDVS AVGVSTVS MODREVIVM diuerſas de Trinitate ſententias colligere, ſtatum controverſiae exponere, veram Antitrinitariorum, multis in Polonia ſuis placitis ſe commendantium mentem, quibusque argumentis hanc tuerentur, rite et copioſe explicare, vt ſibi genuinum de his omnibus conceptum formare, conſiliaque de vniendis in hoc articulo diſſidentibus capere poſſit, quod in libro cui SYLVARVM titulum praefixit, praeſtare ſtuduit. HIERON. OSSOLINIVS, inſignis Eccleſiae Euangelicae patronus, notante WENGERSCIO l. c. p. 128. conſultius fuiſſe iudicauit, dogmata iſta non moveri, nec ſcripta de Trinitate diuulgari, quod etiam exteri quidam Theologi, CALVINVS, PET. MARTYR, THEOD. BEZA aliique ſuis ad Polonos epiſtolis ſaepius monuerunt.

SCRIPTA:

SCRIPTA:

1. ANDREAE FRICII MODREVII, *libri tres, quorum* PRIMVS; *de peccato originis.* SECVNDVS, *de libero hominis arbitrio.* TERTIVS, *de prouidentia et praedestinatione Dei aeterna. Eiusdem de Mediatore libri III. Si quid hic dictum scriptumue contra veritatem, indictum inscriptumue esto. Accessit, narratio simplex rei nouae, et eiusdem pessimi exempli: simul et querela de iniuriis, et expostulatio cum* STANISLAO ORICHOVIO ROXOLANO. *Cum rerum et verborum in his omnibus memorabilium indice copioso. Basileae apud* OPORINVM. *Anno* 1562. 4. *Alph.* 1. *pl.* 18½. *Duo priores libri*, peculiari praefamine ab auctore fratri suo IOANNI CHRISTOPORINO, *Aulico et Secretario Regio ac municipii Siradiensis Actorum Magistro* adscripti sunt, *Volborio* 1561. d. 4. Februarii: TERTIVS, STANISLAO POTICAMIO, amico veteri dicatus est, *Volborio* 1562. d. 10. Ianuarii. Hi tres tractatus complectuntur 1. Alphab. 2. plag. paginas 200. Sequens pagina, licet plagularum series continuata, numero tamen 107. notata est, exhibetque dedicationem anonymi *C. R.* qua IACOBO VCHANIO, Vladislauiensi Episcopo, tractatus, a pagina 111-152. adscribitur, qui hunc prae se fert titulum: ANDREAE FRICII MODREVII, *narratio simplex rei nouae, et eiusdem pessimi exempli: simul et querela de iniuriis, et expostulatio cum Stanislao Orichouio, Roxolano.* Narratur in hoc scripto, quod etiam sub peculiari titulo prodiit *Pinczouiae*, in officina DAN. LANCICII, 1561. 8. pl. 5½. quod ORICHOVIVS, FRICIVM propter libros ab hoc de ecclesia editos, sermonesque in mensa episcopali ab eodem habitos iniuria affecerit, eumque haereseos reum fecerit, publico ad-

fixo ſcripto aduerſus *Fricium*, et qualem hac de iniuria *Fricius* ab Epiſcopo Vladisl. *Iac. Vchanio*, tum Volborii praeſente, ſatisfactionem poſtulauerit, cuius rei inſtrumentum per notarium iuratum compoſitum, narrationi huic inſeritur, quo *Fricius* proteſtatur, non licuiſſe ORICHOVIO de aliqua haereſi ipſum accuſare, cum ipſe haereticus eſſet a PAVLO Papa IV. declaratus, et omnes de controuerſiis in religione et de haereſi cauſſae, ad futurum conuentum a Maieſtate Regia ſint ſuſpenſae. Tractatui huic MODREVII oppoſitum videtur ſcriptum, cui titulus eſt: ORICHOVII, FRICIVS, ſ. *de Maieſtate Sedis Apoſtolicae*, *ad* IAC. VCHANSCIVM, Cuiauiae Epiſcopum 1561. 8. cum praefat. IAC. GORSCII.

Poſt hanc narrationem ſub nouo titulo exhibetur: AND. FRICII MODREVII, *Secretarii Regii, de Mediatore libri tres. Si quid hic dictum ſcriptumue contra veritatem, indictum inſcriptumue eſto.* Anno 1562. 4. pl. 10. iterumque paginarum et plagularum notae ab initio incipiunt. Tres ſunt epiſtolae, quarum *prima patribus et fratribus* Synodum Chriſtianam Volodislaviae, ſeu vbiuis alibi habituris, *Volborii* a. 1560. *menſe Aprili*, *ſecunda* HIERONYMO OSSOLINIO, amico ſuo, *Volborii* 1560. *menſe Iunio*, ſcripta, quam quoque peculiari epiſtola Synodo in *Xyaſch*, ſeu alibi congregatae *Volborio* 1560. die *Iouis* 12. *Septembris* transmiſit. *Tertia* in quinque capita diuiſa, STANISLAO STADNICIO, *Zmigrodi Domino* adſcripta, *Volborii* 1561. die 9. *Septembris*; in fine vero libri huius tertii ſcriptum legitur *Volborii* 1561. *die Lunae* 15. *Septembris*. Totus in eo eſt FRICIVS, vt controuerſias a STANCARO excitatas componeret, viamque pacis ſuaderet. De terminis et vocibus litem eſſe commotam ſtatuens, ipſe ad

*Stan-*

*Stancarianum* dogma inclinat. STANCARI disputationem *de Trinitate* legisse, eamque praeclare ab eo scriptam esse FRICIVS testatur. Libellus MODREVII *de prouidentia et praedestinatione Dei aeterna*, iterata vice prodiit *Basileae*, ap. LVDOV. KOENIG. 1613. 8. edente LVD. LVCIO, cui editioni accessit: *Iudicium de thesibus D.* ANDR. LIBAVII, quas de haereticis Praedestinatianis inscripsit. It. notae ad *orationem apologeticam D.* C. VORSTII. Libri II. *de peccato originis et libero hominis arbitrio* in lucem iterum editi a M. LVD. LVCIO, Bas. ap. LVD. KOENIG. 1617. 8. et ibid. ap. Io. IAC. GENATH. 1618. 8. Allegantur quoque in *Bibliotheca Frid. Ben. Carpzovii*, p. 114. *Modreuii opuscula theologica*, 1590. 4. quibus, vt credimus, omnes recensiti tractatus continentur.

2. ANDREAE FRICII MODREVII, *Commentariorum de Republica emendanda, libri quinque: Quorum* PRIMVS *de moribus*, SECVNDVS, *de legibus*, TERTIVS, *de bello*, QVARTVS, *de Ecclesia*, QVINTVS, *de schola. Ad Regem, Senatum, Pontifices, Presbyteros, Equites, Populumque Poloniae, ac reliquae Sarmatiae. Cum gratia et priuilegio ad quinquennium. Basileae, per* IOANNEM OPORINVM, fol. 2. Alph. 6. pl. Annus impressionis 1554. in fine libri notatur. Prima vice prodiit Cracoviae 1551. Octernionibus 25. Vid. Epitomen *Biblioth.* GESNERI fol. 10. Exemplar *Bibliothecae Regiae Regiomontanae*, editionis secundae, munus auctoris est, *Illustrissimo Principi Prussiae* D. ALBERTO *Seniori exhibitum*. Eodem anno et loco librum hunc in 8. etiam prodiisse *Sandius* notauit. Recensiti leguntur in *Relat. innoc.* 1708. p. 399. seq. sed ex editione tantum germanica, Basil. 1557. in fol. quae dimidiam tantum latinae editionis partem continet. Auctor recensionis

fatetur: quod latinam editionem nunquam viderit, vnde exemplarium raritas colligi poteſt; prima ſaltem editio, pauciſſimis viſa eſt. Praeter quinque libros in fronte notatos, fol. 365. adtexti ſunt DIALOGI 2. eiusdem auctoris *de vtraque ſpecie ſacramenti eucharistiae a Laicis ſumenda, non affirmandi, ſed diſputandi et diſcendi cauſſa, conſcripti anno* 1549. *menſe Maio et Iunio, Pragae;* nec non *fol.* 383. eiusdem *diſputatio de verbis diui Pauli* 1 CORIN. *VII. Bonum eſt homini, Vxorem non tangere.* Epiſtola dedicatoria ad Regem SIGISMVNDVM AVGVSTVM, ſcripta eſt Cracouiae Calendis Martiis a. 1551. In hac ſcriptionis ſuae ſcopum his verbis ſignificat: "Quia Polonia leges habet, quae pridem multam emendationem expoſcant, et iudicia talia, vt maior in eis ſeueritas deſideretur, et moribus permultis diſſolutio, leuitas et vanitas magna appareat etc." In epiſtola ad Senatum, vocationis ſuae ad ſcribendum ita rationem reddit: "Obuerſatur mihi animo ius iurandum, quod cum in eorum collegium, qui ſunt Regi a ſecretis, cooptarer, dedi: Me Regem et eos, qui ſint cum poteſtate, cum de noxiis, tum de vtilibus et honeſtis rebus Reip. neceſſariis, quae mihi quidem cognitae forent, nequaquam celaturum eſſe. Facio igitur pro virili, quod ſancte facturum me recepi, et morum et legum et iudiciorum vitia oſtendo, ordinum diuerſorum et actionum abuſus demonſtro, ac rationem in viam redeundi patefacio."

Liber *quartus* et *quintus* fol. 189. ſeqq. peculiarem prae ſe ferunt titulum, qui quoque dialogorum 2. et diſputationis ad 1 Cor. VII. mentionem facit, hosque libros patribus Concilium Chriſtianum oecumenicum legitime habituris, breui ſcriptura dicatos vult.

atta-

attamen quoque peculiarem epiſtolam dedicatoriam ad Regem SIGISMVNDVM AVG. illis praepoſuit, quam excipit alia *Praefatio* (vt eam appellat auctor) ad Legatos ad concilium Chriſtianum oecumenicum a natione Polonica deſignatos, IOANNEM DROIOVIVM, Vladislauienſem, et IACOBVM VCHANIVM, Chelmenſem Epiſcopos et STANISLAVM TANCINIVM, Comitem, Caſtellanum Leopolienſem, quibus ipſe MODREVIVS Regis mandato, comes ad concilium profecturis datus erat. In hac praefatione exponit rationem, cur non vna cum prioribus, hi duo libri prodierint, his verbis: "Interceſſerant homines nonnulli, boni quidem et eruditi illi, ſed tamen nimium meticuloſi, dum vererentur, ne operis noſtri editione aliquod religioni Dei immortalis vulnus infligeretur. A quo, quantum aberat voluntas et ſtudium noſtrum, tantum doloris animo meo contractum erat, illo rumore in vulgus ſparſo et peruagato, plagam in FRICII libellum propterea immiſſam eſſe, ne quid ex eo detrimenti religio caperet. Veruntamen in hoc animi mei dolore, quod mihi remedium ad maculam hanc detergendam idoneum videbatur, petebam ab iis, quorum nutu et arbitrio res agebatur, vt locum et tempus conſtituerent, quo vitia in ſcriptis noſtris coram indicarent: viciſſimque vel noſtras defenſiones audirent, vel ſua meliora proferrent. Eo enim me ingenio praeditum eſſe, vt rectius docenti facile eſſem pariturus. Quod cum minime obtinuiſſem, confugi ad aliud remedium. Nam collectis in vnum omnibus, quae a quolibet mihi darentur crimini, ſcripto me purgaui. Quod ſcriptum cum ad alios publice priuatimque, tum ad illos ipſos huius cauſſae actores miſi: ſperans ac etiam petens vt,

cum

cum coram nollent, ſcriptis mecum de hoc toto negotio agerent. Verum ne id quidem impetratum eſt. Quod magno argumento mihi erat, et multis bonis viris, noſtram ſententiam, quae in libro continebatur, veram eſſe, et religioni Chriſtianae minime incommodam: vtpote quam Theologi improbare vel nollent, vel non poſſent etc."

In ſequentibus innuit, propoſuiſſe ſibi in hiſce libris, in ſpecie *libro quarto de eccleſia*, momenta indicare de quibus in concilio tractandum foret, eorumque qui ad concilium profecturi ſunt officia, paucis, idque neruoſe enumerare. De hoc argumento *vid.* infra *Num.* 4. In libro *de ſchola* id potiſſimum agit, vt ſummam earum in Republ. praeſertim Chriſtiana neceſſitatem, et ad emendandum populum, in doctrina et moribus vtilitatem demonſtret. Recentior operis huius editio poſt vocabulum *Sarmatiae*, haec praeterea verba in fronte habet: *Quibus hac editione ſecunda acceſſerunt praeter alia: De Eccleſia liber ſecundus, lectu dignisſimus. Orationes item et epiſtolae. Cum locuplete rerum et verborum memorabilium indice. Baſileae per Ioannem Oporinum* 1559. fol. pagg. 807. quibus adnumerandae pagg. 29. quae indicem, typographi epiſtolam ad Dan. Schilingivm, et Modrevii carmen ad Nicol. Dlvsivm in fine exhibent. Editio haec pluribus deſcripta reperitur a Frid. Gotth. Freytagio in Geſammleten Briefwechſel der Gelehrten auf das Jahr 1751. p. 737. ſeqq. Antiquiſſimae editioni de anno 1551. quam videre nobis non contigit, liber V. *de ſchola* adtextus non erit, quippe qui, vt in fine eiusdem legitur a. 1553. demum confectus eſt. In editione vero 1559. *Baſil.* appoſitus auctoris Tract. Lasicivs,

ad-

adpellatus, IV. absoluitur orationibus, de homicidis, mortis poena adficiendis. Germanica versio operis Modreuiani facta a WOLFG. WYSSENBVRG, prodiit sub tit. von Verbesserung des gemeinen Nuz, V. Bücher, *Andr. Fricii Modreuii* eto. Basil. apud Nicol. Brylinger 1557. fol. 4. Alph. 13. pl. Polonicam versionem adornauit CYPRIAN. BASILICVS, quae prodiit Losci apud *Io. Karcanum*, ex typographia *Io. Kiszkae*, impensis *Palatin. Polocens.* NICOL. OLECHNOVICII MONIWID DOROHOSTAYSKI. 1577. fol. Alph. 3. pl. 6. Praefixa sunt quaedam epigrammata lat. et polon. SIM. BVDNAEI, CLEMENT. GRANVLI etc. In hac versione liber IV. de Ecclesia eliminatus est. De orationibus *Modreuii* contra impiam legem, de homicidiis poena pecuniaria vindicandis V. DAV. BRAVNIVS *de scriptor. Pol. et Pruss.* p. 209. qui p. 24. seqq. de MODREVIO, librisque de republ. emendanda nonnulla exposuit.

Et sermonis venustas, et argumenti dignitas plures huic Operi conciliarunt amicos. Multa enim cum prudentia et modestia consilia suppeditat, qua ratione schisma inter Euangelicos tolli, et Ecclesiae emendatio intuitu doctrinae et disciplinae cultusque diuini promoueri possit. Ven. BAVMGARTENIO in *Recensione Bibliothecae Halens.* T. VI. p. 549. MODREVIVS isto tempore, cum hosce concinnaret libros, nondum Antitrinitariorum erroribus infectus fuisse videtur, quorum *syluae* eius plenae sunt. SIM. STAROVOLSCIVS l. c. iudicat, tres operis huius libros, nimirum *de moribus*, *de legibus et de bello*, ingentem facundiae vim et ingenii vires declarare, eos autem *de Ecclesia* et *de schola* erroribus esse consperso, hinc quoque a piis et probis contemtos. *Pet. Canisius* in *ep.* ad *Mart. Cromerum*,

Vien-

Viennae 6. Nouemb. 1554. apud *E. G. Cyprianum* in *Tabulario Eccl. Rom. N. XVI.* p. 576. ita ſcribit: "De *Andr. Fricio* regio Secretario, cuius opus de emendanda republica nunc excuſum typis dedit *Oporinus*, hoc vnum addam, vereri me admodum, ne et auctori et Regi, regnoque veſtro futurum ſit dedecori, quod ille cum tot apologiis adfert de eccleſia. Elegantiam et libertatem illi concedo: in ſacris doctrinam, quae ſobrietatem ſapiat, non tribuo. Et quid opus erat Pontificem, Epiſcopos, Synodumque Tridentinam ſic traducere, ſectariis fauere, damnatis iam olim erroribus patrocinari, hoc praeſertim tempore tam exulcerato, quam maligno, vbi ſcandalorum abunde ſat eſt, licet iſtiusmodi homines frigidam non ſuffundant, et igni, vt dicimus, addant oleum. Sed haec ego Polonicae Eccleſiae amans dixerim, non quod cenſor eſſe velim: tantoque iuſtiorem hinc moerorem accipio, quo triſtiora huc nuncia perferuntur, de tumultuantibus iſtic in religionis cauſſa vulgaribus animis. Nec probo, quod *Cracouiae* Lutheranos auctores excuſos *Vienna* nunc videat, catholicos autem fere nullos accipiat."

3. ANDREAE FRICII MODREVII, *Secretarii Regii ſyluae quatuor. I. De tribus perſonis et vna eſſentia Dei, ad* SIGISMVNDVM AVGVSTVM, *Regem* POLONIAE etc. *II. De neceſſitate conuentus habendi ad ſedandas Religionis controuerſias, ad eundem Regem. III. De* IESV CHRISTO, *filio Dei et hominis, eodemque Deo et Domino noſtro, ad* PIVM, *Papam V. IV. De* HOMOVSIO, *et de iis, quae huc pertineant, ad* IAC. VCHANIVM, *Archiep.* GNESNENSEM. *Ex ipſius auctoris autographo expreſſae. Adiecta eſt quaeſtio theologica non diſſimilis argumen-*

*gumenti, ab eodem auctore examinata. Omnia nunc primum in lucem edita. Anno* cIↃIↃXC. *Menſe Iulio.* 4. pagg. 274. et 16. praefat. ſ. 1. Alph. 15. pl. Liber hic multis vicibus rarior eſt priore, et in hiſtoria Socinianismi magnum momentum habet. Exemplar, quod mihi poſſidere contigit, olim fuit FAVSTI SOCINI et MICH. GITTICHII, qui loca exſtantiora ipſis viſa lineolis notarunt, notasque aliquando addiderunt. Deſunt vero duae plagulae priores, quas calamo adſcriptas habet. Concinnaſſe auctorem opus, iuſſu Regis, eo fine, vt, qui in Polonia circa fidei articulos, praecipue circa dogma de Trinitate diſſentiebant, in concordiam reducerentur, ipſe in Praefatione ad Regem, ſyluae primae praefixa, notauit. Morem gerendo Regi, aliorum indignationem incidit, inprimis vero PII V. quod ex praefatione ſyluae tertiae praemiſſa patet, in qua auctor ſignificat, librum hunc in Germanicam, Gallicam ac Hiſpanicam linguam translatum eſſe. Nulla fortaſſis harum verſionum lucem publicam vidit, ſed omnes ſaltim calamo exceptae videntur. Longam de hoc libro SANDIVS l. c. p. 36-38. inſeruit tractationem, qui eiusdem editionem Racouiae factam eſſe, ex maiorum relatione accepit. ZELTN. in Not. ad RVARI Epp. *Cent. I. Ep.* 46. p. 177. *Baſileae* in lucem publicam eſſe emiſſam tradit, nulla tamen addita ratione, qua deficiente, probabilior *Sandii* videtur relatio, quamvis Manuſcriptum ab auctore primum *Baſileam* ad Io. OPORINVM transmiſſum fuerit, antequam illud *Chriſtoph. Trecius* typographo abſtulit, hocque modo non tantum editionem eius 1569. impediuit, ſed quoque auctori neceſſitatem impoſuit, librum hunc denuo exarandi ac deſcribendi. *Vid. Lubieniecius* l. c. L. III. C. VIII.

VIII. p. 221. ſeqq. et *Lauterbachius* l. c. p. 105-120. Ipſe libri ſui fata deſcribit, in praefatione ſyluae IV. praemiſſa p. 221. his verbis: "Itaque inter me et IOANNEM OPORINVM conſtitutum fuerat, vt, cum ſyluas noſtras typis excudiſſet ſuis, eas ex emporio Francofordienſi (quo ex omni fere orbe Chriſtiano ſolent conuenire plurimi) transmitteret, cum ad viros quosque doctiſſimos, tum ad Academias, quaecunque Chriſtum agnoſcunt, ſeu Romanis, ſeu Lutheranis, ſeu Sacramentariis (vtor appellationibus vſitatis) addictas. Nec dubito, quin vel meo *(ſuo potius)* impendio facturus fuiſſet, vir ille eruditionis et pietatis commemorandae: qui nihil intermittere ſoleret, quod ad ſalutarem cum litterarum, tum veritatis Chriſtianae propagationem pertineret. Sed quo minus, quae dixi, excuderet, remorae quaedam interceſſerant. Acceſſerat et ſtudium popularis (qui *Chriſtoph. Trecius* erat) cuiusdam mei: pium fortaſſe illud, ſed, quod exiſtimem *(vt exiſtimo)* parum prudens. Is quibusdam technis, ne quid dicam aliud, vſus, librum meum *Baſilea* ablatum aſportauit, quo volebat. Neque vero doleo, in manus Tigurinorum Theologorum, ſumma eruditione praeſtantium eum perueniſſe. Ex quorum Academia opus pulcherrimum, vt ſpero, exiuerit, totam hanc cauſſam egregie explicans. In quo vtinam omnes acquieſcant: ac ſublatis contentionibus, ſalutarem doctrinam amplectantur. — — — Sequens igitur primam animi inductionem, *ſyluas priores duas* nonnullo auctario locupletatas ſub incudem dedi: vt typis euulgatae ad omnes omnium nationum viros eruditos perferantur: occaſionemque dent eis, de re longe omnium maxima cenſendi, et iudicium ferendi, vt

tandem

tandem consensione multorum, sententia recta de rebus diuinis confirmetur etc."

Cum liber rarissimus sit, paucisque visus, capitum titulos, cum quibusdam contentis exscribere, operae pretium iudicamus. Editor libri Socinianae familiae fauens, in sua praefatione haec habet: *Illud non reticebimus, hunc scriptorem illum esse, quem Hieron. Zanchius in suis libris de tribus Elohim etc. Mediatorem nominat, cuius nempe ipse primam syluam Manuscriptam viderat, ex qua non pauca verba et argumenta recitat, quae refellere conatur. Nam scriptorem hunc nihilo minus ab ipso haud parui fieri, cum ex aliis locis, dum ipsum refellit, tum ex epistola dedicatoria ad* EDMVNDVM GRINDALLVM *non obscure apparet; vbi et illum vnum inter plurimos alios acute scripsisse, et se eius libellum (propterea, scilicet, quod acute scriptus esset,) totum refutasse, profitetur. Quodsi contigisset,* FRICIVM, *antequam moneretur, in Zanchii refutationem istam incidere, aut, si tamen incidit, satis ad respondendum otii habere, non dubitamus, quin et ipse responsurus, et nos multo maiorem fructum ex hac disputatione percepturi fuissemus. Sed quando aliter Deo est visum, haec, quae in ardua et praestantissima hac de diuinitate ipsa tractatione ab hoc viro, non minus pietate, quam eruditione, insigni, scribi, et in vsum nostrum publicari idem Deus voluit, laeto ac grato animo accipiamus etc.* Hanc editoris praefationem, excipit FRICII praefamen generale, Volborio, 1565. mense Decembri scriptum. Rationem denominationis libri sui, ita suppeditat: *Congessimus syluam rerum, et sententiarum: vt, si quid inde construi possit, id praestent artifices. Sin minus, conatum*

*tum nostrum, si meretur, bonifaciant: aut refellant, si refelli dignus est.* Sequitur in primam syluam praefatio ad Regem, in qua inter alia *Fricius* ita loquitur: "*Audiui ego* ANDREAM DVDITIVM, SHARDELLATVM, *qui Caesaris Maximiliani nomine apud te oratorem agebat, cum de variis Reipubl. ac Religionis Christianae capitibus, tum de hoc ipso, quod in tuo regno exagitari coepit dissereret. Et audiui, perquam diligenter. Est enim vir ingenii artibus clarus, in dicendo elegans, in existimando admodum prudens. Is negabat, eum, qui alterutri, seu de Trinitate, seu de quauis re alia, sententiae adhaerescat medium se inter partes ipsas inferre, controuersiamque dirimere et sedare posse. Neutri partium addictum esse oportere, qui vel partes ipsas in concordiam reducere vellet, aequalitate decernendi: vel secundum partem alteram decernere, quod iustum et legibus consonum esse iudicaret etc.*" Et paucis interiectis ita inquit: "*Ecce autem annis abhinc circiter triginta, surrexerunt quidam, quorum Princeps* SERVETVS *esse dicebatur, qui sententiam optime constitutam coeperunt perturbare. Erant libri eorum in manibus nonnullorum. Legebantur omnino in angulis. Cum enim libri illi intenti essent, tanquam arcus, in caput ipsum religionis, occultabantur, nec in lucem prodire sinebantur. Sed et auctor eorum* SERVETVS, *cum haeresi spargendae et disseminandae, occasionem nullam praetermisisset, igne extinctus est: haeresi tamen minime extincta, quae se in nostram Poloniam hisce annis effudit incredibiliter. Fertur a nonnullis,* PINSOVIOS, (Antitrinitarios, a primaria isto tempore sede ipsorum denominatos notat) *minime agnoscere, quae a* SERVETO *tradita sunt de Trinitate. Quod quidem*

*dem habeat ſe quomodocunque. Illud certe conſtat,* PINSOVIOS *ſententiae hactenus in Eccleſia receptae audacter obſtitiſſe: Tigurinisque et Geneuenſibus interceſſoribus tantum abſuiſſe, vt paruerint, vt acerrime eis repugnarint. Quoniam autem te* MONITORE, *Rex, hic a nobis labor ſuſceptus eſt, dabis, vt opinor, mihi hanc veniam, accommodatam cauſſae, quam tracto, omnibusque etc.*" Poſt breuem auctoris praefationem in ſyluam primam, ſequitur haec ipſa, p. 111-120. quae tribus abſoluitur tractatibus, quorum ſinguli in capita diuiſi ſunt. *Tractatus primus, de tribus perſonis et vna eſſentia Dei.* C. I. Explicationem vocabulorum continet. p. 1. C. II. De tribus perſonis Dei. p. 9. Quando p. 10. inquit: *Primum ſe* (Deus) *patefecit rebus creandis. — — — Ex quorum contemplatione pervenire vnumquemque intelligentem ad Dei notitiam, Paulus affirmat* (Rom. I.) *his verbis: Inuiſibilia Dei, cuiusmodi eſt, eius aeterna vis et diuinitas, ex mundi creatione dum conſiderantur per ea, quae facta ſunt, perſpiciuntur: vt ſint inexcuſabiles, qui, Deo cognito, non ei dignam gloriam gratiamque tribuunt;* MICHAEL GITTICHIVS ſua manu ad marginem noſtri exemplaris ſcripſit: *Haec verba, nec ita leguntur, nec is eorum ſenſus apud Apoſtolum.* C. III. Fuſior explicatio ſententiae de Trinitate diuina. p. 19. C. IV. De vnitate Dei, et quaeſtionum quarundam explicatio. p. 22. C. V. Argumentorum, pro vnitate eſſentiae Patris et Filii ſolutiones. p. 26. C. VI. Argumentatio inſolubilis, qua vnitas eſſentiae Patris et Filii concluditur. p. 62. C. VII. Continet obiectiones contra vnitatem eſſentiae, et explicationes de naturae et perſonae in diuinis diſtinctione. p. 64.

*Tractatus ſecundus, de tribus perſonis et tribus eſſentiis Dei.* C. I. Tranſitionem continet. p. 72. C. II. Sententia de perſonis diuinis, earumque eſſentiis diuerſis. p. 74. In hoc capite p. 81. locus de *Belga* quodam, SPIRITVS dicto p. 81. occurrit, quem alio loco inſeruimus. (*Vid.* GEISTERANVS). C. III. Obiectionis de pluralitate Deorum, ſolutio. p. 84. C. IV. De coaequalitate Filii cum Patre: de eminentia alterius ſupra alterum: de conſubſtantialitate eorum. p. 86. C. V. Epilogus tractatus ſecundi. p. 87. b. (*Paginae ab* 80-90. *bis per errorem numeratae.*)

*Tractatus tertius.* Continet conflictionem contrariarum ſententiarum, et paradoxa tum de Logo, tum de Spiritu S. C. I. Conflictio contrariarum rationum, et Crinomenon. p. 88. C. II. De Logo, ſeu de Filio Dei. p. 94. C. III. De Spiritu S. p. 109. C. IV. Ad Regem dirigit orationem, deque iis, quae protulit, vt viri pii ac docti iudicent, precatur.

*Sylua ſecunda*, de neceſſitate conuentus habendi ad ſedandas religionis controuerſias, Volborii ſcripta 1565. menſe Septembri. C. I. Obiectionis occupatio. p. 120. C. II. Partes, quomodo ſe gerere debeant inter ſe interea, dum concordia exſpectatur. p. 121. C. III. Officium Regis in diſcordia partium. p. 124. C. IV. Conciliorum auctoritas et decreta eorum, quanti facienda. p. 125. C. V. Vitiorum quorundam Eccleſiae enumeratio. p. 134. C. VI. Regis eſſe, conuentum indicere, concordiae in Eccleſia conſtituendae cauſſa. p. 142. C. VII. Impedimenta, quae conuentum interturbare poſſint, remouentur. Et primum quidem eſt negotiorum Reipubl. multitudo. p. 144. C. VIII. Impedimentum difficultatis extenuatur. p. 147.

C. IX.

C. IX. cui titulum fecit: PERORATIO, argumento finem facit. p. 148.

*Syluarum liber tertius.* De Iesu Christo Filio Dei et hominis, eodemque Deo et Domino nostro. Post dedicationem PIO V. Papae ab auctore scriptam, duobus absoluitur tractatibus, quorum singuli in capita iterum diuisi. Breuis praemittitur *praefatio*, in qua ita p. 158. scribit: "Inprimis exponamus sententiam *Pinzouiorum*, nostro quidem arbitratu: ne quis putet, me vel verbis illorum, vel vestigiis insistere omnino oportere. Fas enim nobis esse putamus, demere quaedam, alia mutare, nonnulla etiam fortasse addere; sed ita tamen, vt recitanda eorum sententia, idem spectem, quod illi, eodemque tendam. His expositis, ostendemus, quid in sententia *Pinzouiorum* desiderari, et quid contra eam differi possit."

*Tractatus primus* continet expositionem *Pinzoviorum* sententiae. C. I. In quo ostenditur, Iesum Christum esse semel natum, idque in terris ex virgine Maria; nihilo minus tamen esse Filium Dei. p. 158. C. II. Ratio explicatur filiationis Christi, Dei respectu. p. 172. C. III. Coniunctionem diuinae et humanae naturae in vna persona Christi impossibilem esse, et auctoritate scripturae minime probari posse, ostenditur. p. 173. C. IV. De communicatione idiomatum. p. 177. C. V. Obiectionum quarundam solutiones. p. 181. C. VI. Iesum Christum non tantum Dei Filium esse, sed Deum quoque. p. 186. C. VII. Obiectionis de pluralitate Deorum, solutio. p. 188. C. VIII. Opinio nouitatis et haeresis sententiae *Pinzouiorum* refellitur. Tandem additur Epilogus. p. 191. Ita vero FRICIVS: "Etsi autem, quae hactenus dicta sunt, nouitatis, ac potius

haeresis nomine reprehendi posse videntur: Tamen, si quis cum animo suo, quae a renouata doctrina in Ecclesia Dei acciderunt, recte reputauerit: non dubito, quin et ab iis, quae huc vsque exposita sunt, novitatis ac haeresis opinionem omnem sit sublaturus. Regnabant olim in Ecclesia missarum nundinationes, purgatorii ignes, indulgentiarum mercatus, patronorum auxilia infinita, et artes variae regni coelorum pretio comparandi. Haec a LVTHERO profligatá, nemo non nouit. — — — Quid igitur mirum, si et axiomata haec tum de Triade, tum de Christi natura duplici, vana tandem conspiciantur, stultitiae et erroris plena?"

*Tractatus secundus.* In quo explicatur sententia docens, Christum, antequam ex virgine MARIA nasceretur, extitisse. C. I. Demonstrationem continet huius sententiae. p. 195. C. II. Praecisio cum cohortatione cuiusque ad suum officium, et ad vitam Christianam; p. 213. in fine legitur: *Anno Christi* 1568. *mense Iunio. Trepnicii.*

*Syluarum liber quartus*, de Homousio et de iis, quae huc pertineant; adscriptus est IACOBO VCHANIO, *Archiepiscopo Guesnensi*, *Legato nato et Primati Regni Poloniae*, data est epistola 1569. *M. Iun. ex acuto prato Poticaniorum.* Post *praefationem*, qua historiam scripti huius recenset, (cuius summam supra iam dedimus) sequitur. C. I. Quid Nicaena Synodus, et nonnullae eam sequutae de Homousio senserint. p. 222. C. II. Notantur quaedam, et explicantur in prima sylva, vel parum explicata, vel omnino praetermissa. p. 232. C. III. Quid piis hominibus, et inprimis Principibus faciendum sit in his discordiis. p. 250. C. IV.

Quod

Quod officium Theologorum. p. 261. In fine p. 265. haec leguntur: *Finis desideratur, curis multiplicibus et aduersa valetudine auctoris, etiam temporibus ipsis ita ferentibus.* Sequitur p. 266. post breuem admonitionem ad lectorem, quaestio Theologica: *Quomodo vnio diuinae et humanae naturae Christi facta sit in persona, non in natura, cum tamen eaedem prorsus res sint natura, et persona in Domino Deo nostro.* Censuram in fine additam his verbis inchoat: *Expendenti mihi formulas istas a Magistris theologiae compositas, permirum videri solet, cur non potius in formulis ab Apostolis, primis, secundum Christum, religionis nostrae fundatoribus, traditis conquiescimus, quam nouas istas et mirabiles* (addidit in exemplari nostro *F. Socinus* manu sua: *vere mirabiles et barbaras*) *consectamur. Est in manibus et oculis Symbolum, quod vocant, Apostolicum, eiusmodi verbis et sententiis conscriptum, vt ab omni, sana mente praedito intelligi possit. In eo Symbolo, cum sit simplex certae et exploratae veritatis professio, euidens et diserta: cur prae hac tortuosas et obscura varietate implicatas excogitamus formulas, quae in re fundamentum habeant nullum: sed vel in sermonis genere inusitato et mire intricato, vel in sola intellectus consideratione consistunt? ——— Redeundum est nobis ad simplicitatem professionis apostolicae; in ea animo pacatissimo est acquiescendum. Non in subtilitate verborum, nec intellectus varia consideratione pietas religiosa consistit. Simplicitatem exigit doctrinae, morum et vitae totius. Ad hanc nisi redeamus, concordiam in ecclesia piam et firmam sperare numquam debemus.* Quamuis omnino improbandus non sit finis, quem sibi obtinendum proposuit auctor,

impar tamen magna ex parte ad tantum negotium ſuſcipiendum, qui in alienam meſſem falcem ſuam immittens, parum inſtructus fuit, ſolidum de rebus theologicis ferendi iudicium, quippe qui tumultuaria ſcriptorum polemicorum lectione, ſemet ipſum implicauit, et ſub dulci pacis ſpecie placita Sociniana commendavit, inque praedominantis indifferentiſmi laqueos illapſus eſt. Vix enim, ac ne vix quidem a pruritu, coetus diſſentientes vniendi liberari poterit, qui tantopere apud eum inualuit, vt ſyſtemata doctrinae ſibi inuicem aduerſa, non tantum aequalis pretii aeſtimaverit, ſed etiam Antitrinitariorum errori praerogativam conceſſerit. *F. Socinus*, in epiſtola ad M. ANTONIVM EVONYMVM *Carinthium* TEÜCHENVM, olim Profeſſorem in Academia Witteberg. *Cracou.* d. 10. *Martii* 1591. ſcripta in *epp.* p. 400. ita de libro hoc ſcribit: "Librum FRICII ſpero te vel iam accepiſſe, vel nunc accepturum a Domino IOELE, qui liber ſane egregius eſt, ſed tamen ſummo cum iudicio legendus; id quod te facturum, mihi plane perſuadeo. Speroque fore, vt tandem, ſiue ex huius libri, ſiue ex aliorum lectione ipſiſſimam veritatem aſſequaris." Licet igitur *Fricius*, Socinianorum coetui praeciſe adnumerari vix poſſit, nulla tamen ipſi ab illis fit iniuria, qui eum heterodoxiae accuſant. Syluas tres priores *Hieron. Zanchius* refutauit, *de tribus Elohim*, *aeterno Patre*, *Filio et Sp. S. vno* eodemque Iehouah. Libb. XIII. *Francof.* 1572. fol. *Heidelb.* 1589. fol. *Neoſtad.* Palat. 1604. fol. *Vid.* CASP. FRISII Epitom. *Bibliotb. Geſner.* p. 355. FRID. GOTTH. FREYTAG, *Apparatus litterarius.* T. I. p. 521.

4. *Ad Regem, Pontifices, Presbyteros et Populos Poloniae*

*ac*

*ac reliquae Sarmatiae*, *Oratio* ANDREAE FRICII MODREVII, *de legatis ad concilium Christianum mittendis. Addita est gratulatio ad* LEONARDVM ALTIPOLITAM, *Theologum et Ecclesiasten Cracouiensem*, *et Episcopum Camenecensem designatum.* 8. pagg. 64. pl. 4. Vltima quidem plagula, signatura E notata; sed B et C dimidiam tantum plagulam notant. In fine legitur: *Cracouiae apud* MATTHIAM SCHARFFENBERGIVM. *Idibus Augusti.* Anno 1546.

Scriptum hoc inter rarissima referendum, quia nec a SANDIO l. c. p. 35. seqq. inter scripta FRICII, nec a quoquam alio eius mentionem factam esse recondor. Exemplum quod in *Bibliotheca Regia Regiomontana* exstat, olim *Pauli Sperati* fuit, qui in titulo, rubro atramento adscripsit: SANDERENSIS, vel SANDENENSIS (quis ille fuerit, coniectura assequi nondum potui) *misit. Accepi XVII. Octob. Anno XLVII.* Editionem huius orationis LEONARDVS ALTIPOLITA curauit, cuius praemissa eidem breuis praefatio his verbis concepta: LEONARDVS ALTIPOLITA *Mazouius, Sacrae Theologiae Doctor et Ecclesiae Cathedralis Cracouiensis Ecclesiastes, ad Lectorem pium.*

"Egregiam optimi in Rempub. animi significationem FRICIVS noster actionibus suis dedit, optime Lector, quas aduersus sanguinarios homicidas ad diuinam constitutionem asserendam, legemque corneliam de sicariis perferendam edidit. Quam illius operam non omnino frustra fore vt sperem, et optimi Regis nostri aequitas: qui eam virtutem, per quam Reges regnant tuebitur: et nationis Polonae pietas facit: quae sibi non patietur mandatum Dei, et communia gentium iura tanquam surdo fabulam cani. Enim vero

idem FRICIVS ſatis quoque nunc declarauit, quem erga Eccleſiam Chriſti, ad eius res conſtituendas, obtineat animum: quemadmodum in illa boni ciuis, ſic in iſta cauſa boni Chriſtiani functus officio. Orationem enim ſcripſit, in qua pro eximia ſua pietate, rerum inſtituti vniuerſalis concilii apud nos promouendarum, conſilium expoſuit. Eam cum perlegiſſem, non indignam putaui, quae publicaretur: vt cum amiciſſimi mihi viri ſingulare in religionem noſtram ſtudium in apertum proferretur: eius exhortatione et exemplo, Eccleſiaſtici alii homines, ad officium ſuum perſequendum excitarentur. Quod nobis omnibus ex gratia ſua diuina per Spiritum ſuum, concedere dignetur Dominus noſter Ieſus Chriſtus: ad cuius laudem, decus, honorem, et gloriam nos omnia noſtra ſtudia conferre eſt aequum. Vale."

Hanc praefationem alia poetica breuior ad lectorem excipit, quae octo Diſtichis abſoluitur, quam ſequitur ipſa MODREVII Oratio.

Teſtatur in eadem ſuam admirationem, quod concilio TRIDENTI inchoato, nemo inter Antiſtites ſacros in Polonia ſit, qui hac occaſione operam ſuam religioni tuendae et ab iniuriis temporum aſſerendae praebere velit; imo de concilio hoc ſilentium mirum eſſe, nullum ſignum datum, nullam ſignificationem eccleſiis factam, tanquam ea res nihil ad Poloniam pertineret, vel talis eſſet, in qua Polonos pedarios eſſe oporteret. Omnes proinde Poloniae Praeſules, imo Regem et populum excitat, vt conſilia ſua in hanc rem grauiſſimam tandem aliquando conuertant. Ita enim inquit: "Non arrogans tantum, ſed et diſſolutus putandus eſt, qui in tanta poteſtate, quanta vos eſtis, exiſti-

existimationem de se hominum contemnat: satisque sibi putet esse rerum omnium copia abundare: in vitae splendore, ac in rebus profanis versari. Enim vero vestri hoc est muneris, longe aliam instituere rationem concilio iam coacto: itaque vos gerere, vt non alia potestas in Ecclesia Dei a nobis, quibus praefecti estis, desideretur. Hoc enim cum erit factum, tum iustissimam habebimus caussam gratulandi et vobis hos honores, et nobis tales patres et pastores. Quam enim multa in se desiderari passi sunt, qui ante vos erant Episcopi, nemo est in hac Repub. qui ignoret. Sed nos intermittamus in praesentia mortuorum mentionem. Quid nos ipsos deceat, quaeque nostra sint officia, videamus: et vt actiones nostras probemus summo iudici Deo, in id vero toto pectore incumbamus."

Omnia eius consilia eo in genere tendunt, vt omnes controuersiae de religione auferantur et ecclesiarum omnium consensio, ouilisque Christiani vnitas promoueatur; in specie vero tractat: An aliqui ad concilium a Polonis mittendi, et a quibus illi deligendi sint, deque ratione et Synodos in Polonia celebrandi, et eos qui ad concilium mittantur, eligendi, et postremo, quales eos, qui deligerentur esse oporteat (*). Ita autem de hac caussa sentit: "Ne quid inconsulto agatur, vestrum est Episcopi ad Ecclesias dioecesium vestrarum, de rebus in concilio agendis et constituendis, quam primum referre: synodos etiam de more indicere:

(*) Nemo facile ex scriptoribus coaeuis fusius argumentum *de concilio* ex mente et intentione Pontificum Rom. habendo tractavit, ac occultas aulae Romanae in hoc negotio techinas detexit, quam harum solidissime gnarus et testis oculatus PETRVS PAVLVS VERGERIVS, *Iunior, de cuius vita scriptisque rarioribus Schediasma historico-litterarium*, b. c. D. aliquando luci publicae mandaturi sumus.

dicere: eoque omnes et presbyteros et populos vocare: ac omnibus, qui velint, poteſtatem dicendi facere. Res enim communis eſt omnium Religio. — — — Incogitantiae eſt, non prudentiae, nullos domi ſermones de iis conferre, nullis ea diſputationibus limare, quae foris et maxima corona tractanda ſint. — — Cum conſtet, eſſe intricatiſſima et maxime implicata, quae in concilio tractanda ſunt, de quibus viri doctiſſimi, in ſacris Bibliis exercitatiſſimi, trium linguarum peritiſſimi, annorum iam amplius viginti interuallo, inter ſe conſentire non poſſint: an non ſummae ignaviae tribuendum videatur, ſi aut non diligenter prius pertractentur omnia domi, quam foras proferantur, aut iis committantur in illam hominum lucem perferendam qui vel omnibus, vel certe bonis et doctis viris parum probarentur? — — — Synodis igitur ſingularum dioeceſium indictis, capita deliberationis ac conſultationis futurae conſcribenda ac Eccleſiis mittenda eſſe putarim, vt ne quis imparatus ad Synodum veniat: Praeficiendos item Synodis viros doctos et graues, et controuerſiarum religionis non ignaros, qui capita deliberationis proponant, ſententias rogent, et tandem ad Synodum prouincialem de omnibus referant: omnibus etiam, non tantum Eccleſiaſtici, ſed cuiusque ordinis hominibus poteſtatem faciendam dicendi: idque vel maxime iis, qui de tantis rebus commode dicere poſſint. — — — Eis autem, qui dicturi ſunt ſententias, libertatem omnem concedendam arbitror, vt ne quid ſimulent diſſimulentue, quod in vtramque partem dici poſſit. Prorſus enim indigni mihi videntur tali coetu, qui aliud ſentiant, aliud loquantur. — — — Qualis enim ea Synodus, vbi ſinguli dicere cogantur ea,

ea, quae Ecclesia recipit? contra ea ne mutire quidem ausint? concionum haec lex est: non deliberationum neque disputationum. Nam qui mittendi sunt in concilium, vt disputent et disceptent, mittentur, non vt concionentur. Neque eorum sententia, qui in ecclesiam aiunt errores irrepere non potuisse, in Synodo nostra approbanda est. — — — Si disputationes permittendae non sint, cur concilium indictum est? Poterat Pontifex Romae indicere, vera omnia esse, quae Ecclesia docet: nec nationes singulas ad concilium hoc vocare, si disputationes in vtramque partem fieri nefas esse duceret. Aut igitur Pontifex accusandus esset, qui concilio indicto occasionem hanc dederit disputandi: aut disputationes de religione licitas esse concedamus necesse est. — — — Quotus quisque est, qui status causarum, quae nunc in disceptatione versantur, recte intelligat? nedum vt sententiam de eis ferat? Neque enim dissimulandum est, vix in singulis dioecesibus singulos esse, qui ad earum causarum cognitionem animum inducere quiuissent. Religio enim obstabat et Pontificum interdictiones. Et id quidem etsi nobis vitio dari non possit, qui a lectione librorum haereticorum religione impediebamur: tamen ad causam, qua de agimus, prorsus est invtile. Qualem enim ab eo exspectes sententiam, qui statum causae non nouit? tantum abest, vt vel fundamenta aduersarii habeat perspecta, vel ea teneat, quibus illa euertat. Multi nostratium sunt in eo errore, Lutheranos soli fidei iustificationem tribuentes, actiones bonas improbare. Qualem isti dicerent sententiam, de hoc iustificationis dogmate rogati? — — — Etsi igitur per angustiam temporis fieri non possit, vt quisque pro eo, ac par

est,

eſt, pararet ſibi de tantis rebus copiam dicendi: tamen ſunt alia praeter dictionem ſententiae prorſus Synodica: quae a bonis et induſtriis viris egregie praeſtari queant. Poſſunt enim multi ea exponere, de quibus ad concilium referri neceſſe ſit: quibus vel plebs, vel ſtatus eccleſiaſticus ſeu more recepto, ſeu lege aliqua pernicioſa grauatus eſſe videatur. Poſſunt et eos eligere, qui ad rerum tantarum tractationem deſignentur. Quodſi olim penes Eccleſiam ius erat eligendi ſuum paſtorem, an non optimo iure vniuerſis eccleſiis tribuemus, vt eos eligant tractandis tantis rebus, qui optimi omnium et doctiſſimi eſſe videantur?"

Poſtea de Synodo prouinciali diſſerit, et de eligendis ab eadem tribus, in concilium ab eccleſiis Sarmaticis omnibus, ſumma cum poteſtate mittendis, quibus praeſto ſint *Notarii*, qui omnia excipiant et in litteras publicas referant: vt ne quis poſtea, non rite aliquid in Synodo actum eſſe, cauſari poſſit. Hi delecti et doctrina excellenti, et prudentia ſingulari et virtutibus multis praediti ſint. Verſari enim cum laude in illa celebritate omnis generis hominum, et in illo orbis theatro viris doctiſſimis refertiſſimo, nemo magis poteſt, quam qui propius ad eos ingenio, doctrina et iudicii acumine accedat. Non valeat ibi generis nobilitas; ſed morum elegantia, non diuitiae; ſed doctrina, non auctoritas ordinis; quam ſententiae pondus. Sint delecti linguae latinae, graecae et ebraeae, nec non dialecticae et rhetoricae cognitione inſtructi, et in Theologia verſatiſſimi, qui non maiorem putant rationem exiſtimationis ſuae, quam veritatis habendam eſſe, et veritati ingenue aſſentiuntur, a quocunque monſtrata fuerit. Hi ſibi Deum huma-

narum

narum actionum inſpectorem ante oculos ponant, a quo in hac ſtatione veritatis tuendae ſe collocatos putent, et ab illo aut mercedem, aut vltionem exſpectandam eſſe officii vel recte, vel male praeſtiti.

Expoſito de rebus in Synodo prouinciali tractandis, conſilio ſuo, ita pergit: "Qui ante vos erant, de litibus et iudiciis, de priuilegiis perſonarum in Eccleſias recipiendarum, de barbis radendis, de rebusque aliis non multum diſſimilibus, leges condebant; de doctrina et de vnitate Eccleſiae nulla eos cura tangebat. Quid mirum? quibus enim ſtudiis dediti fuerunt. — — — Quid igitur o Rex? Quid o Epiſcopi? dormiemus et nos adhuc? non patiemur nos excitari? Multa ſunt, quae religio a vobis poſcit et flagitat, ſed haud ſcio, an hoc omnium longe ſit maximum, quod vos vocet ad ſe curandam, tuendam ac reſtituendam, neque vero vos in eos, qui hos magiſtratus ante vos proxime geſſerunt, intueri iubet; ſed in illos maiorum gentium Epiſcopos et Principes Ambrosivm, Avgvstinvm, Stanislavm Scepanaevm, Stan. Scavinscivm, Ioannem Leopolitam, quibus nihil antiquius erat, quam religione docenda et inſtauranda, hominibus iter ad patriam coeleſtem monſtrare. Illorum vita et mores vobis ſequendi et maxime ſpectandi ſunt, ſi vere Epiſcopos agere velitis, illorum doctrina exprimenda, illorum actiones aſſequendae."

Epiſtola Modrevii, orationi huic adtexta, qua Leonardo Altipolitae epiſcopatum Cameneceneſem gratulatur, ſcripta eſt *die Margarithae ſacro* 1546. *Cracouiae.*

5. *De Bello contra infideles conſilia prudentia, e latino in hiſpanicum translata per* Ioann. Ivstinianvm. MSC.

hoc

hoc in Bibliotheca Caeſarea Viennae latet, referente id Frisio in *epit. Biblioth. Gesner.* p. 43.

In Gerdesii *Scrinio antiquario*, ſeu *Miſcell. Groning. ad hiſtoriam reform. eccl. ſpectantibus Tom. II.* Fricio tribuitur Elegia de S. S. Euangelii in ditione Regis Poloniae poſt reuelatum Antichriſtum, origine, progreſſu et incremento, ſub nomine ficto Virilii Mvsaei, *Hyporeadis;* cuius tamen auctor eſt poëta *Andr. Fricesius*, qui cum *Fricio* a ſcriptoribus haud raro confunditur. V. Ianoscii *enumeratio libb. rar. in Biblioth. Zaluſciana.* P.I. p. 64. P.II. p. 51.

## ANDREAS et SAMVEL MOHR, *l.* MORVS.

Pater et filius *cryptice* pro more Socinianorum Melandri dicti: Andreas, Paſtor Drechtouienſis in Marchia Brandenburgica, *Crypto-Socinianus.* Samvel a. 1631. inter alumnos Racouianos notatur, ſimulque paedagogi officium ad ſcholam Racou. ſuſtinuit, cui etiam ab a. 1634. ſub charactere Praeceptoris ſecundae claſſis operam praeſtitit. Exhibuit quoque Lublinenſi coetui Socinianorum officia, fortaſſis vt Catecheta, miniſterio enim eccleſ. initiatus non videtur. Erepta Racouia a. 1638. in Tranſyluaniam conceſſit, referente id *M. Ruaro* in ep. ad Senatum Claudiopol. a. 1638. d. 4. Iun. ſcripta. Videtur idem notari in act. conuentus Zulinienſis a. 1644. in quibus Melander *Doctor Medicinae* adpellatur, ipſique decretum eſſe ſtipendium quoddam narratur. V. El. Sigism. Reinharti diſput. cit. §. XV. fol. C. 3.

## HERMANNVS MONTANVS.

*Belga.* Alumnus Reformatorum in DD. ordinum Collegio Lugduni Batauorum, poſt apud Remonſtrantes Eccleſiaſtes. Vid. Sandivs l. c. p. 134. Scri-

SCRIPTA:

*Vanitas Paedobaptismi*, Dortm. 1646. 4. et Belgice, ſub titulo: Nietigheyt van de Kinderdoop, Amſtel. 1647. 8. et 1648. 8.

S. (*Sibrandus*) DOMINICI MONTANVS.

Ita nomen hoc allegat *Sandius* p. 135. qui eum Harlingae vixiſſe prodit, titulumque operis ab eodem Belgice ſcripti allegat, qui in linguam latinam translatus, eſt: *Scripturalis diſputatio de eſſentia et diuinitate I. C. inter Mr. S. D.* MONTANVM et PETRVM JOHANNIS TWISCK *iuxta exemplar Dantiſcanum* a. 1650. 8. in qua continentur aliquot epiſtolae Harlinga Hornam ad memoratum TWISCK *Seniorem*, *ſeu Epiſcopum (Mennonitarum*, qui *Friſii* appellantur) ſcriptae a. 1625, 1626 et 1627. cui adiuncta eſt reſponſio ISAACI SIXTI ad argumentum JOHANNIS DE WITTE, pro ſumma diuinitate Chriſti. Plurimum lucis aliquando his adfundent, quae de ſtudiis et tentaminibus *Socinianorum in Polonia* vnionem cum Mennonitis Gedanenſibus ineundi, ex fontibus et *Act.* Msscc. dicturi ſumus.

CORNELIVS MOORMANNVS.

*Belga.* Natus 1600. obiit 1670. 5. Iunii teſte SANDIO l. c. p. 143. Socinianis Belgis accenſendus. Vid. D. Io. GE. WALCHII *Biblioth. theol.* T. I. p. 918. Plura de eodem in noſtra *Hiſt. Socin. Belg.* Opera eius poſthuma de rebus diuinis agentia lingua belgica prodierunt *Amſtel.* 1671. fol.

PETRVS MORSCOVIVS A MORSCOW.

*Scherzerus* male eum MOSCOROVIVM adpellat, quod nomen a ZELTNERO quoque ipſi inditum diverſae plane

familiae in Polonia proprium eſt. Eques Polonus, ſedulusque IOANNIS CRELLII auditor ac diſcipulus. Plures fuere MORSCOVII, qui gentilitio tantum nomine adpellati in *actis Mſſcc.* non ſatis diſtinguuntur. PETRVS primum a. 1619. *Catecheta* ad coetum Lachouecenſem, et a. 1625. miniſterio Eccles. initiatus, huius coetus *Miniſter* conſtitutus eſt. A. 1634. Krzelouienſi admotus, ſucceſſor erat *Ioach. Rupnovii.* Tandem Czarcovienſi praefuit. *Lubieniecius* l. c. p. 240. *Morſcouium* poſt *Ion. Schlichtingium* Racovienſem coetum docuiſſe commemorat. Cum vero SCHLICHTINGIO miniſtro, clades Racouiana acciderit, ſucceſſor eius omnino non extitit, quamuis fortaſſe ad breue tempus *Schlichtingii* collega fuerit. *Sandius* l. c. p. 141. muneris huius nullam fecit mentionem. Nobis ſane alius videtur *Morſcovius*, cui ſecundum acta Mſscc. a. 1627. Synodus praecepit, vt Racouiam ſe conferret, ad maiores in Theologicis faciendum progreſſus, qui eodem loco a. 1629. adhuc ſubſtitit, laborem ſuum finiturus, quem vero *acta* ſpecifice non ſignificant. A. 1639. noſter IACOBO SIENINIO parentauit. *Politia* eius *eccleſiaſtica*, de qua paulo poſt, iudicandi de eodem locum facit, quod orator eccleſiaſticus non inhabilis et ſatis praeparatus fuerit, cum laudandas Miniſtris et Rhetoribus eccles. praeſcripſerit regulas. Occultaſſe eum nomen ſuum ſub hoc anagrammate onomaſt. VERI PROMVS CVSTOS, ex SANDIO l. c. p. 142. et ex *Mſpto Polit. eccleſ.* ab ipſo concinnatae, conſtat. Diligentiſſimus *Io. Crellii* extitit amanuenſis, cuius in ep. S. PAVLI lectiones exegeticas calamo excepit, easque in publicum edi curauit et praefationibus inſtruxit.

SCRIPTA:

1. Odpowiedz na ſkrypt iednego z Dozorcow Ewangelickich,

lickich, nazwany *Asymbolum Socinianorum y Non-Credo abo Niewiara Arianow dzisieyszich.* Do ktorey przydane iest symbolum Ewangelickich Doktorow o sprawie Zbawienia ludzkiego, z ich wlasnych slow zebrane przez Piotra Morzkowskiego z Morzkowa, w Rakowie drukowal Sebastian Sternacki, Roku 1632. i. e. *Responsio ad scriptum cuiusdam Ecclesiae Euangelicae antistitis, quod appellatur,* ASYMBOLVM SOCINIANORVM, et NON CREDO, s. *incredulitas hodiernorum Arianorum. Cui responsioni supplementi loco adpositum est Symbolum ministrorum Euangelicorum de opere salutis hominum: propriis ipsorum verbis concinnatum, per* PETRVM MORSCOVIVM a MORSKOVO. *Racouiae impressit* SEBAST. STERNACIVS. *Anno* 1632. 4. Alph. 2. pl. 20. Oppositus est libellus THOMAE WENGIERSCII (non IBENGIERSCII, quem errorem typographicum ex SANDIO plures et *Ioecherus* in *Lex. erud. nouiss. edit.* imo, quod mirandum, ipse *Lauterbachius* l. c. p. 386. suum fecerunt) scripto, cui titulus *Asymbolum Socinianorum*, t. i. o przedniefzych powszechney Apostolskiey wiary czonstkach Non-Credo abo Niewiara Aryanow dziszeysych: zichze wlasnich scribentow summownie zebrana przez iednego z Dozorcow Ewangelickich. (w Baranowie 1630.) i. e. *Asymbolum Socinianorum, vel de praecipuis vniuersalis fidei Apostolicae articulis* NON CREDO, *siue incredulitas recentiorum Arianorum, ex ipsorummet scriptoribus summariter concinnatum per quendam Euangelicorum Antistitem.* 4. pl. 9. (*Baranouiae* 1630.) Scriptum hoc praepositum est libello *Dan. Clementini* cui titulum fecit: *Antapologia* aduersus *Ion. Schlichtingium*, de quo deinceps. Auctor nomen suum

praefationi litteris initialibus T. W. ſubſcripſit. Morscovivs in praefatione reſponſioni ſuae praefixa Reformatis obiicit, quod iisdem phraſibus, loquendique formulis in articulis pertractatis ipſi vtantur, quas in Socinianis reprehendunt et male interpretantur, et quod per iniuriam omnibus ciuitatis ſuae ſcriptoribus imputent, quod quidam tantum ſtatuerunt, qui disſenſus coetui ſuo tanto crimini reputari nequeat, cum Reformati quoque in ſynodo Dordracena a ſe invicem diſſenſerint. Auctor declarat, voluiſſe ſe iniuriam pari iniuria rependere, atque ex duriſſimis doctorum quorundam Reformatorum loquutionibus de ſalutis opere adornare coetuum Euangelicorum ſymbolum, ſed tantum peculiares quorundum ſententias in lucem protrahere. His addit *conſpectum* XXXII. *propoſitionum*, quibus monſtrare ſtudet, ab aduerſario plurima falſa ac iniqua imputari Socinianis, addita ſolemni horum omnium proteſtatione. Ipſa *tractatio* ordinem ſequitur, quem obſeruauit aduerſarius. Cap. I. *Cuius rei aduerſarius Socinianos accuſet ſub titulo: De Deo vnico in Trinitate* p. 6. Cap. II. *De Deo Patre* p. 17. Cap. III. *De Filio Dei Dno noſtro I. C. eiusque triplici officio, ſtatutis eius et vtroque Sacramento* p. 26. Cap. IV. *De Spirit. S.* p. 266. Cap. V. *De Eccleſia Dei* p. 290. Cap. VI. *De remiſſione peccatorum* p. 315. Cap. VII. *De reſurrectione corporum* p. 375. Cap. VIII. *De vita aeterna* p. 401. Tandem Cap. IX. p. 452 - 488. continet *additamentum ſymboli doctorum Euangelicorum* in titulo libri ſignificatum, in quo ipſiſſima horum verba de ſalutis noſtrae opere in linguam polonicam translata occurrunt, inprimis de cauſſa peccati, de abſoluto decreto etc. et in fine

fine quaedam a LVTHERO duriuſcule dicta allegantur.

2. *Ex praelectionibus Crellii conceptus commentarius in vtramque epiſtolam ad* THESSALONIC. *cum praefatione* ſua, data 1636. Mai. quae teſte SANDIO, belgice quoque proſtat.

3. *Praefatio in* IO. CRELLII *prima Ethices elementa: ſcripta Krzekoviae*, 28. Aug. 1635. quae etiam in linguam belgicam translata.

4. *Commentarios* IO. CRELLII in epiſtolas, priorem ad TIMOTH. ad TITVM et PHILEM. ex ipſius praelectionibus conſcripſit: qui inſerti ſunt *Crellii Opp.* in Biblioth. FF. PP.

5. *Concio qua* IAC. SIENINIO *Palatinidae Podoliae, Racouiae parentauit*, 1639. Mſc. polon.

6. *Adverſus theſes* KESLERI et IACOBVM MARTINI, vt pugnaret ſcriptis a. 1626. excitatus eſt a Synodo. Prior liber, teſtantibus *actis* Mſcc. a. 1630. prelo iam paratus inter revidendos poſitus eſt. Notatur ſine dubio *Andr. Keslerus*, qui *examen Logicae Photinianae* Witteb. 1624. 4. edidit, aduerſus quod ſine dubio MORSCOVIVS pugnam ingrediebatur. Quodnam vero *Iac. Martini* ſcriptum innuatur, certo a nobis ſtatui nequit, cum huius *Synopſis religionis Photin.* Witteb. 1633. et *ſyntagma diſpp. Anti-Photin.* anno demum 1647. *Witteb.* prodierit.

7. *Politia eccleſiaſtica, quam vulgo Agendam vocant, ſiue forma regiminis exterioris eccleſiarum chriſtianarum in Polonia, quae vnum Deum Patrem per Filium eius vnigenitum Ieſum Chriſtum, in Spiritu S. confitetur, tribus libris explicata a* PETRO MORSCOVIO, *e codice Mſpto recenſuit, et notas atque diſſertationem praelimina-*

 *mina-*

*minarem de agendis ecclesiasticis et speciatim de his*, *adiecit* GEORG. LVDOV. OEDERVS, *S. Theol. D. Decanus et antistes Feuchtwangens. Francof. et Lips.* 1745. 4. Alph. 1. pl. 1. V. *Act. erud.* 1749. p. 151. FABRICIVS *hist. Biblioth.* P. II. p. 74. Diu *Sam. Crellius* opus hoc manu descriptum, quod complexum omnium legum ecclesiasticarum, quas Sociniani in cultu sacro, maxime in Polonia obseruarunt, exhibet, possedit, qui rogatus a me vt *Morscovii* libros Msscc. mecum communicaret, per epistolam mihi significauit, quod circa annum 1737 vel 38. Studiosus quidam ex Germania a se librum hunc mutuo acceperit, isque, vt eundem accurate describere possit, per duas hebdomadas Amstelodami substiterit. Autographum MORSCOVII CRELLIVS dono obtulit celeberrimo medico GRASHVYSIO. Peruenit deinde in manus BVRCKMANNI, Diaconi Norimbergensis, qui illud publicae luci committendum et notis illustrandum transmisit OEDERO. Is copiosissimas animaduersiones, pluriumque locorum S. Scr. illustrationes et explicationes adiecit, inprimis vero quauis data occasione MORSCOVIVM refutavit, qui ecclesiam, tanquam independentem a statu politico coetum, considerat. Non proprio ausu, sed conuentus Dazuiensis a. 1646. habiti auctoritate, MORSCOVIVS ad concinnandum corpus hoc legum ecclesiasticarum semet accinxit. In hoc omnia, quae ad regimen ecclesiasticum coetus huius spectant, et quae antiquitus in eodem consuetudine et consilio recepta, partim ad auctoris aetatem obseruata, partim quoque successu temporis neglecta, partim quae eidem praeterea vtilia et necessaria videbantur, in vnum systema collecta conspiciuntur. Dicauit illud Patronis

ac

ac Miniſtris coetus ſui, ab iisque petiit, vt emendarent et corrigerent, quae emendanda crederent. Quin liber hic inter Socinianos vim legis nactus, omniumque conſenſu ſuſceptus fuerit, vix dubitare ſinunt ea, quae paulo poſt ex actis Mſcc. expoſituri ſumus. Extra omne quoque dubium poſitum eſt, plurima momenta in eodem commendata, a Socinianis in cultu ſacro eſſe obſeruata. Agenda haec in tres libros diuiſa eſt. PRIMVS complectitur generalia iuris eccleſiaſtici principia, capitibus VI. et de membris eccleſiae, horumque inter ſe nexu exponit. C. I. *De natura religionis Chriſtianae, indole populi chriſtiani et legibus exterius regimen eius attingentibus;* c. II. *Quid Politia Eccles. et vnde ratio regiminis exterioris eius petenda;* c. III. *Quod, et qui ſint ordines membrorum Eccleſiae.* Sex nimirum ordines conſtituit, PATRONOS ECCLESIAE, PASTORES, SENIORES et DIACONOS, qui gubernacula tenent; IVNIORES atque SENIORES *Eccleſiae ſocios, qui parent.* C. IV. Vnde regentibus auctoritas in Eccleſia, et de Paſtorum electione et conſecratione. c. V. De vocatione Paſtorum; c. VI. De eorum, qui reguntur, Paſtoribus ſuis ſubiectione. SECVNDVS officia illorum recenſet, qui eccleſiae praeſunt, eamque regunt, capitibus XI. c. I. *De officiis Paſtorum in genere;* c. II. *De verbi diuini praedicatione.* Quam plurimae regulae homileticae, ab auctore licet Sociniano propoſitae, quibuscunque verbi praeconibus, vt ſtudioſe eas obſeruent, commendandae ſunt. c. III. *De manuum paruulis impoſitione;* c. IV. *De Baptiſmo aquae;* c. V. *De S. S. Euchariſtiae ritu;* c. VI. *De coniugio;* c. VII. *De viſitatione;* c. VIII. *De Admonitione;* c. IX. *De precibus paſtoris priuatis,*

*pro grege sibi commisso;* c. X. *De exequiis et sepultura;* c. XI. *De officio Seniorum et Diaconorum.* Tertius agit de *disciplina ecclesiastica*, capitibus VII. habetque ea, quae de modo et ratione omnia ecclesiae membra in officio continendi disputari solent; nempe *de inspectione priuata et publica*, *de congregatione*, *de excommunicatione*, *confessione peccati et poenitentia*, *de consultationibus et collectis*, *de ieiunio publico*, *de synodis et disciplina Pastorum.* A quouis poenitente c. IV. requiritur 1) *Obedientia*, vt se iudicio Ecclesiae obnoxium esse credat; 2) *Peccati confessio*, quae debetur Deo tanquam supremo Domino, deinde in publicis delictis Ecclesiae, tamquam officii vniuscuiusque custodi, inspectori, et contra delinquentes his in terris animaduersori supremo. *Tandem si sit peccatum, quod, quomodo eluere debeas, non sis satis instructus; aut etiam, si dubites, rectene an secus feceris, ipsi quoque* Pastori, *tamquam suo, in rebus quoad animam directori;* 3) *Poenitentia*, quam per emendationem vitae sub idoneis testibus definiuit, et post Dei misericordiam, vnicum remedium aduersus peccatum praedicauit. In singulis totius libri momentis ad exemplum Ecclesiae Apostolicae prouocat, et quauis data occasione Romanam vituperat. Indicat *Sandius* l. c. p. 141. *Morscouium* Agenda in vsum ecclesiarum Belgicarum, quas colligere suos posse sperabat, potius scripsisse, quam Polonicarum; sed in indice, nulla ecclesiarum Belgicarum facta est mentio, nec id ex *actis* Msscc. imo potius contrarium, et quod in vsum maxime coetuum polon. adornata fuerit, colligitur. Editor libri *Morscouii* id inprimis intendit, vt detracta sanctitatis

tatis ſpecie, adpareat, Socinianos vero pietatis fundamento ac ſolatio carere. Huc ſpectant illius adnotationes, paſſim *Morſcouianis* ſubtextae. In fine OEDERVS quaedam CRELLIO oppoſuit, ad vindicandum locum 1 *Io.* V. 7. Concinnauit anonymus quidam, qui IOACH. SIGISM. SCHWARTZKOPFFIVS eſt, (de quo alio loco) animaduerſiones nonnullas, in notas, quas G. L. OEDERVS etc. *Politiae Eccleſ. P. Morſcouii* adiecit; quae inter Msscc. Sociniſtica, quae collegi, locum occupant. In conſeſſu Raſzcouienſi, a 1650. habito, ſtatutum eſt, vt *Politia eccleſ. Morſcouii* quater ſumtu publico deſcriberetur, et *Sam. Przypcouio, Io. Arciſſeuio, Gratiano Stoinio et Ruaro* ad recognoſcendum traderetur; *Ruarus* quoque imprimendi eius curam vt haberet, iuſſus eſt. Anno vero 1652. in Czarcouienſi conſeſſu *Ruarus* commonefactus eſt, *Politiam eccleſiaſticam* notis ſuis locupletatam ut remitteret, hocque facto eandem *Ion. Schlichtingius*, *Ioach. Stegmannus et Andr. Wiſſowatius* communicato ſtudio recognoſcerent, et ad prelum paratam perficerent. A. 1654. in Czarcouienſi conſeſſu iterum ſtatutum, vt *Wiſſowatius Politiam* recognitam *Stegmanno*, et hic *Ruaro* ad imprimendum proximo tempore transmitteret; A. 1655. in Raſzcouienſi conſeſſu ION. SCLICHTINGIVS vltimam manum huic operi admouere iuſſus eſt. Nec his curis contenti, imo inter ipſas exſilii ſubeundi calamitates, Politiae huius eccl. memores *Seniores*, qui a. 1659. in conſeſſu Czarcouienſi conuenerant, *Trembecio*, *Andr. Wiſſowatio* ac *Ciachovio* commiſerunt eandem recognoſcendam, hocque facto *Chriſtoph. Crellio* transmittendam, qui cum *Wolzogenio et Preuſſio* de eadem typis exſcribenda conſilia ſua

communicaret. Denuo a 1662. in vltimo, quem habuerunt in Polonia conuentu, ſtatutum eſt, *Politiae* reuiſionem et correctionem eſſe ſuſcipiendam. Ex actis conſeſſus Selchouiae a. 1687. habiti patet, *Politiam eccl.* a miniſtris et *Sam. Crellio* notis illuſtratam eſſe. Coniecturam expoſuit ZELTNERVS l. c. p. 150. Not. (b) ſecundum quam *Grotii* libellus famoſiſſimus *de coenae adminiſtratione, vbi Paſtores non ſunt* etc. *Amſtelod.* 1638. 4. (*) ſine auctoris nomine praeſcripto excuſus, anſam ſuppeditauerit *Morſcouii agendis.* Id ſaltem nobis conſtat, quod circa idem tempus, quo *Grotii* opuſculum lucem adſpexit, *Val. Radecius* in Tranſyluania eiusmodi opus Agendorum eccles. molitus fuerit, et praeter hunc alii quoque in id ſtudia ſua conuerterint, quos alio loco ſignificamus.

8. *Meditationes de morte Chriſti.* Has concinnaſſe *Morſcouium*, teſtantur acta Mſcc. conſeſſus Raſzcouienſis 1649. et Czarcouienſis 1651. ex quibus ſimul conſtat, libellum hunc a *Mart. Ruaro* eſſe recognitum.

9. Commodauit quoque cum aliis pluribus, et vt videtur prae caeteris, *Morſcouius* manus ſuas ad conſcribendum librum, cui titulum *Triadomachiae* praepoſuerunt, quem *Sandius* l. c. p. 92. ſub. *Andr. Voidouio* allegat, quemque deinde nimis ſcandaloſum viſum paulo immutarunt. Nec ſine omni ratione *Voidouio* adſcribitur, qui eius initium fecit, cui 1625. in ſynodo Racou. iniunctum, vt quam primum opus hoc abſolueret. Habuiſſe illud complures Tomos, et ſecundum ordinem librorum V. et N. T. fuiſſe concinnatum

(*) Prodiit quoque HVG. GROTII Diſſ. *de adminiſtratione S. Coenae, vbi Paſtores non ſunt; Item an ſemper communicandum per ſymbola, cum Reſpp. Dion. Petauii, Io. Cloppenburgii et Henr. Dodwelli, Lond.* 1685. 8.

natum, ex actis Msscc. conuentus Siedlifcenfis 1643. difcimus, in quo RVARO demandatum, vt primum tomum in V. T. correctum et reuifum prelo fubmitteret; fecundum vero cum *Belgis*, eum videndi cupientibus vel communicaret: vel transmittendi faltem illis fpem faceret. A. 1644. *Morfcouius* iubebatur librum hunc WOLZOGENIO tradere, qui eundem *Ion. Schlichtingio* transmitteret. Idem videtur effe opus, quod *Sandius* l. c. p. 131. fub *Iona Schlichtingio* allegat, hac infcriptione: *Omnia V. T. loca, quae a Trinitariis etc. Item N. T. loca omnia etc.* In quodam *Act. Synod. Mfscc.* loco, *Ruarus* proditur *Triadomachiae* auctor; hinc palam eft, complures fuas huic operi perficiendo commodaffe manus.

## PAVLVS MORSCOVIVS.

*Petri* filius. A. 1646. in confeffu Dazuienfi in alumnorum numerum fufceptus, adque a. 1650. ftipendiis publicis, vt litteris initiaretur, fuftentatus. A. 1651. in confeffu Czarcouienfi ftatutum eft, vt ex Sendomirienfi in Neoftadienfem cancellariatum fe conferret. Nominatur quoque *Chriftianus Morfcouius* in actis confeffus Czarcouienfis a. 1654. qui Claudiopoli in Poloniam redeundi mandatum accepit.

Praeter hos SMALCIVS in *Diar. vitae* ap. ZELTN. p. 1184. MORSCOVII meminit, quem *Iuniorem* et *miniftrum Hoyftrenfem*, quod oppidum SANDIO l. c. p. 89. *Hofia* vel *Hoyfia* dicitur, adpellat, eumque a. 1608. d. 24. Aprilis mortuum effe et in eius locum fuccefiffe *Andr. Lubienienium* enarrat. Quo vero praenomine infignitus is fuerit, nos omnino fugit.

CHRI-

## CHRISTOPHORVS MORSTINIVS (*Morsztyn*) A RACIBORSKO.

Eques Polonus, Satrapa s. Capitaneus Philippouiensis, cuius germanam *F. Socinus* in matrimonio habuit. Tanta eius in ciuitate Socinianorum fuit auctoritas, quanta vix vllius vmquam. Singularibus quoque celebratur elogiis, tituloque *Magni* insignitur, vir in patria inclytus, ob merita sua a Rege praefectura ditatus atque decoratus, nec minus in ecclesiastica, quam ciuili republ. clarus nominatur, cujus probitatem ipsi aduersarii, et diuinae gloriae promouendae Zelum, Ecclesiae ab eo erectae testatae fuerint. *Vid. vita Wissowatii Bibliothecae Sandii* adtexta p. 222. Idem auctor l. c. p. 229. notat, quod *Wissowatius Morstinii* memoriam grata recolens mente, hunc Senatorem Ecclesiae Dei, adpellare solitus fuerit. Dignae lectu sunt epistolae, quas ad eum dedit *F. Socinus*, in huius Opp. T. I. fol. 455. seqq. De *Morstiniorum* familia, quae ex Germania a *Montsterniis*, antiqua nobilitate inclytis deriuatur, duplex schema genealogicum Msscc. auctore *Paulo Crellio* ad manus nostras peruenit, cuius copiam in *Hist. Socin. Polon.* descripsimus.

SCRIPTA:

1. *Epistolae ad F. Socinum* (affinem) Msscc. ad quas *Socini* responsiones inter ipsius epistolas l. c. reperiuntur: quarum prima scripta est d. 5. *Iunii*, 1593.
2. *Litterae ad Senatum Gedanensem*, datae in conuentu Biecensi, cum Dn. IOH. WIELOPOLSKI praefecturam Biecensem iniret, d. 1. Mart. 1639. in quibus interceditur pro *Mart. Ruaro*, ne vrbe *Gedano* ob religionem suam eiiciatur. Legitur in *Ruari epp. Cent.* II. n. LI.

n. LI. quam XI Nobiles et Magnates subscripserunt, quos etiam *Sandius* p. 95. allegauit. v. HARTKNOCH *Hist. eccl. Bor.* p. 325.

## FLORIANVS MORSTINIVS.

Eques Polonus, Salinarum Velicensium praefectus, *Vid. Sandius* l. c. p. 83. De meritis eius in coetum plura exponunt *Acta synod. Msscc.*

SCRIPTA:

*Praefatio* ad STANISL. SZAFRANECIUM, *Castell. Sendomiriensem*, in *Mart. Czechouicii responsionem ad scriptum Stanisl. Farnouii, quo concordiam Luclauiensem subuertere nititur.* Scripta *Veliciae* d. 20. Mai 1581. et edita eod. a. 4. *polon.*

## FAVSTVS MORSTINIVS.

Aliquando in *actis* Msscc. dicitur *Ioannis Morstinii* ex fratre *Stephano* nepos, aliquando *Seuerini* filius. Ipse *Stephanus* filium habuit, praenomine *Faustum*, pro quo educando a. 1647. patri stipendium annuum 100 flor. statutum, idque adhuc 1649. eidem decretum est. Noster FAVSTVS A. 1646. in Dazuiensi consessu inter alumnos susceptus, et a. 1650. in consessu Raszcouiensi datus est *Ruaro* apud Gedanenses collaborator, quo loco sermones eccles. in lingua polon. habuit, illoque praelucente ex intentione Synodi maiores in studio theologico fecit progressus. A. 1652. in consessu Czarcouiensi, venia exteras salutandi regiones ipsi est concessa, cum stipendio 100 Ioachimicorum, quae summa pecuniae eidem adhuc peregrinanti a. 1655. a consessu Raszcouiensi est statuta. A. 1653. in Elbingensi Gymnasio sub *Henr. Nicolai* disputationem defendit.

IOAN-

## IOANNES MORSTINIVS.

A. 1647. Raciborſcenſi coetui miniſter praefectus, teſtantibus *Act Synod.* Msscc. A. 1648. vero adpellatur miniſter Luclauicianus, quem coetum a. 1647. *Seuerinus Morſtinius* docuerat.

## SEVERINVS MORSTINIVS.

Idem nobis videtur, qui in actis quoque *Serinus Morſt.* dicitur, filius *Chriſtophori*, huiusque haeres et praediorum et maximi pro grege ſuo ardoris, quamuis duos fuiſſe *Seuerinos* ex *Actis* Msscc. certisſimum ſit. Horum alter a. 1634. in Synodo Racouienſi ſignificauit, quod ob virium defectum impar ſit muneri ecclef. diutius ferendo. Idem iſte fortaſſis eſt *Seuerinus*, quem in Synodo Racouienſi 1630. inuitatum legimus, vt aduerſus *Zarnouecium* calamum ſtringeret. Vtrum vero id praeſtiterit, nec ne, a nobis dici nequit. Alter *Seuerinus* 1643. in Siedliſcenſi conuentu inuitatus eſt, ut ad coetum Racouienſem, qui erepta familiae huic *Racouia Radoſtouiae* locum concionibus eccles. deſtinatum habuit, miniſterio fungi velit, eiusque initiatio ad munus publicum, vel in generali conuentu Luclauiciano, vel Czarcouiano perficienda, decreta eſt; a. 1647. in conſeſſu Dazuienſi coetui Luclauiciano miniſter datus. A. 1650. cum aliis viſitatoribus *coetus IV. montanos* viſitauit. A. 1652. Raciborſcenſi coetui praefectus. Per aliquod tempus Robcouienſem etiam coetum antea docuit, in quo munere a 1652. ANDR. WISSOWATIVM habuit ſucceſſorem. Poſt vniuerſale Socinianorum exſilium SEV. MORSTINIVS adhuc in Polonia a. 1662. ſubſtitit, ſuperſtitumque ibidem exulum clam latitantium

et

et diſperſorum curam habuit, vna cum filio ſuo *Theophilo*, ex tenore decreti conſeſſus in Polonia vltimi. Adhuc 1668. eundem ſtationem ſuam in hoc regno tenuiſſe, ex *Actis Msscc.* conſeſſus *Cruciburgi* in *Sileſia* eodem anno habiti conſpicimus.

Plures praeter allegatos in Actis commemorantur MORSTINII, e. g. GABRIEL, BOGVSLAVS, qui a. 1687. in ſeniorum ſynodi numerum ſuſceptus, MAXIMILIANVS, SBIGNEVS, aliique. ANDREAS *de Raciborsko Morſtin*, Referendarius Regni, Kowalenſis et Zawichoſtenſis Gubernator, inter Legatos Plenipotentiarios Regis et Reipubl. Polonae ad pacem Oliuenſem 1660. celebratur. Idem fortaſſis, cuius mentio fit in litteris Senatorum regni Sueciae, ad Senatores Regni Pol. et M. Duc. Lith. ſcriptis *Holmiae* d. 8. Martii 1655. in Io. CHRIST. LÜNIGII *literis Procerum Europae* T. I. p. 534. qui p. 570. *Regius Cubicularius* nominatur.

## HIERONYMVS MOSCOROVIVS A MOSCOROW.

*Moſcorouium*, cum *Morſcouio* nonnullos commutaſſe, ſupra notauimus. In *actis Synod. Msscc.* ſaepiſſime nomen eius profertur MOSKORZOWSKI, ad quem modum ipſe quoque ſe nominauit. Eques Polonus, perhibente *Sandio*, antiqua illuſtri proſapia Ducum Sileſiorum de *Suidua*, comitum *de Dobczyce* (*) oriundus; praecipuis eum familiae Socinianae praeſidibus cognatione et adfinitate iunctum fuiſſe, manifeſtum eſt. Videtur HIERONYMVS circa annum 1595. vel paulo ante ad Socinianorum caſtra tranſiiſſe; iſto enim anno die 16. menſis *Iunii*, in epiſtola, qua F. SOCINVS ipſi dicauit *diſpu-*

(*) Nec Ducum, nec Comitum Sileſiorum huius nominis mentionem fieri apud ſcriptores meminimus.

*disputationem cum Erasmo Ioannis*, ita laudes ipsius celebrando ad eum scribit: „Iam vero tibi, *Moscoroui praestantissime*, hunc libellum potissimum inscribere placuit, quod quamuis, Dei benignitate noster iam sis factus; tamen vix vllum in toto hoc regno nouerim, qui incorruptius de hac inter me et ERASMVM IOHANNIS controuersia iudicare queat. Nam non solum ea eruditione atque ingenii ac iudicii acumine polles, quibus paucissimi sunt praediti; sed tanto animi candore ac sinceritate praestas, vt crediderim, facile fore, vt quicumque te nouerit, si inter te et ipsum aliqua de re contendatur, vbi, quid ipse pro se, aut contra te afferat, recte cognoueris, te vnum litis vestrae judicem libenter sit constituturus. Quid dicam de summa tua prudentia ac multarum, nec sane minimarum rerum vsu, unde ad graues controuersias dirimendas, etiam in iis, quae ad ipsa nostrae religionis dogmata spectant, plurimum adiumenti omnino comparatur? O felicem illum diem, quo te coetus noster suum esse, plane vidit. Nam, vt tu, ex eo tempore, huius mundi illecebris spretis, et vanis curis relictis, Dei Christique seruitio te totum consecrasti, aeternaeque tuae salutis, a qua alioqui facillime aberrasses, certissimam viam es ingressus; sic coetus noster te tanto viro auctus, iam sperare merito potuit, fore vt alii etiam praestantes viri, partim exemplo, partim cura tua ad ipsum se aggregent.„

Fuit is SBIGNEI SIENINII socer, et ANDREAE DVDITHII gener; ita enim SMALCIVS in *diar. vitae* apud ZELTN. p. 1166. a. 1593. die 2. Octobr. Dn. MOSCOROVIVS nuptias celebrauit secundas cum *Regina* ex *Horechouicza Dudithia*. Inter Socinianos sui temporis primum fere locum tenuit, qui ciuitatem hanc non tantum aucto-

ritate

ritate tuitus eſt, ſed opibus quoque, quarum copia abundabat, plurimorum enim praediorum Dominus exſtitit, ſuſtentauit, ac peregrinantes ſocios liberaliter excepit. Imo eandem publice etiam diſputando, ſcribendo ac docendo, nulla muneris ratione côactus, ſolo dogmatum ſuorum amore plus iuſto commotus propugnauit ac defendit, ad quae acceſſit vitae longaeuitas et canities, quibus multorum reuerentiam in ſe conuertit. Multa hinc inter ſuos laude et eruditionis fama conſpicuus eſt, quippe qui poſt alias ſcientias rei quoque *medicae* ac *chymicae* operam nauauit, cui propterea *Gittichius Iesmannum* morbo conſtrictum commendauit. Vid. ſupra p. 395. *F. Socinus* ad *Oſtorodum* ſcribens *Opp.* T. I. f. 450. eum vocat virum et medica ſcientia atque artis peritia, et amore erga ipſum non minus, quam virtute et pietate praeſtantem, ipſumque ab *Oſtorodo* valetudinario conſuli iubet. Vid. LVBIENIECIVS l. c. p. 241. 246. Quanta omnium de eodem fuerit exiſtimatio, ex epiſtola *Io. Crellii* in CRENII *animaduerſ.* P. V. p. 252. ſeqq. colligi poteſt, qui omnia eius colloquia de pietate fuiſſe praedicat. Ob pietatem quoque, EVSEBII cognomen tulit. Ad omnes prope Synodos coetus huius aduolauit, in conficiendo, vel potius in latinum idioma transferendo *Catechismo Racou.* non poſtremas partes tenuit, operam quoque ſuam in corrigendam *N. T. verſionem polonicam* collocauit. Coetus Czarcouiani fundatôr ac patronus, ad Comitia regni ex equeſtri ordine ſaepius delegatus. Obiiſſe eum 1625. 19. Iulii SANDIVS p. 105. notauit. Aduerſarios habuit IO. PETRICIVM, PET. SCARGAM, IAC. GVRSCIVM et MART. SMIGLECIVM. Quae cum his habuerit certamina, ſcriptorum index ſignificabit. Vid. Io. FABRICII *hiſt. Bibliothec.* T. II. p. 76. HEINSII *hiſt. eccl.* T. II. p.

 414.

414. LAVTERBACHIVS l. c. p. 305. ZELTNERVS l. c. p. 273.

SCRIPTA:

1. *Oratio, qua continetur breuis calumniarum depulſio, quibus premuntur illi, qui in doctrina Chriſti et Apoſtolorum ſtudium ſuum poſuerunt, et Patrem Dni Noſtri I. C. ſolum Deum Iſraelis, ſolum quoque Creatorem coeli et terrae eſſe adfirmant. Ad Regem et Senatores:* FIDELIS SVBDITI. 1595. Vid. PLACCII *Pſeudon.* N. 2593. p. 576. et FABRICIVS l. c.

2. Odpowiedz na Script Przeſtrogom nazwany, ktory X. *Ian Petrycy* Miniſter Zboru na Iodlowce wydal w Roku 1600. *Luc.* VI. 22. 23. w Rakowie Roku od narodzenia Syna Bożego. 1602. i. e. *Reſponſio ad ſcriptum*, PRAEMONITIO *adpellatum, quod Sacerdos* Io. PETRICIVS *a.* 1600. *edidit. Luc. VI.* 22. 23. *Racouiae, anno a natiuitate Filii Dei* 1602. 4. Alph. 1. pl. 5. PETRICII *opuſculum* P. STATORIO in ſpecie oppoſitum erat, hinc de illo ſub *Statorio.* Teſte *Dan. Clementino* l. c. ita *Moſcorouius* fol. 49. de Chriſti perſona ſcribit: "Chriſtus mortalis fuit homo, et humanae originis. Quod mortalis fuerit, nos docet Euangelium, Apoſtolo enim *Gal.* 4. ſcribente ex muliere factus, et *S. Lucas* teſtatur *Cap.* I. 35. quod Dn. Ieſus ex Sp. S. ortum habuerit et a virgine natus ſit." Et fol. 181. 182. Credimus, quod Dn. Ieſus ſit factus Chriſtus, quod idem omnino eſt, ac Filius Dei. De honore Chriſto praeſtando *fol.* 78. ita quidem iudicat: "Confitemur, quod I. C. Filius Dei verus Deus ſit, eúmque pari honore, quo Patrem colimus *fol.* 68. Confitemur, Dn. Ieſum, Regem, Dominum, Deum et Seruatorem noſtrum, celebramus et honoramus eum, ſicuti Patrem, con-

confidimus ei et ex eius manu ſalutem et auxilium exſpectamus, nec non vitam aeternam. Sed his aduerſatur, quae *fol.* 77. exponit: "Honor, qui altiſſimo Deo ſolum et proprie exhibendus, eius certe conditionis eſt, vt nemini Deus eundèm communicare queat. Dominum tamen noſtrum I. C. quoad particulam honoris eiusmodi participem fecit, tradendo eidem vniuerſale iudicium." Dubius ipſe eſt, vtrum Chriſtus natus ſit Dei Filius, an adoptiuus, paratusque videtur alterutrum ſtatuere. Ita *fol.* 67. mentem ſuam declarat: "Chriſtus Dominus, qui adoptiuus Dei Filius eſt, certis ex rationibus appropriatus Dei Filius vocari poteſt." *fol.* 69. "Ieſus Nazarenus, idem eſt homo, qui Nazarethi educatus, a Deo vero Filius Dei declaratus. Quia igitur Deus de coelo eundem pro tali declarauit, ex hac ratione eum Filium Dei adpellamus." Eodem loco ſtatuit: "Chriſtum Dominum poſt mortem perpeſſam Patri fuiſſe chariorem, quam ante eam." Item *fol.* 105. "I. C. Deus eſt ex gratia et dono altiſſimi Dei, qui ex ſe ipſo Deus eſt."

3. Znieſienie Zawſtydzenia X. Skargi etc. i. e. *Sublatio pudefactionis, quam inferre conatus eſt Eccleſiae Chriſti* P. SKARGA *Ieſuita. Racou.* 1607. Allegat libellum hunc *Dan. Clementinus* l. c. fol. G. 3. et alium quoque fol. D. 1. b. E. 4. b. ſub tit. Odpowiedz na Zawſtydzenie od P. SKARGI wydane etc. i. e. *Reſponſio ad pudefactionem a* P. SKARGA *editam etc. Moſcorouius* hoc libello refutare conatur *Petri Skargae* tractatum ſub titulo: *Pudefactionis Arianorum Racouienſium* in lucem emiſſum, quem quoque anonymus quidam ſub examen vocauit praemiſſo titulo: Od Szlachcica Polſkiego Zawſtydzenie X. Skargi etc. w Rakowie 1606. 4.

 Vid.

Vid. ſub *Smalcio.* Repoſuit huic *Skarga* (*) reſponſionem in lingua polonica, *Cracouiae* 1608. 4. quae inſerta eſt eius operibus, P. II. p. 238-293. MOSCOROVIVS vero iterum publicauit:

4. Znieſienie drugiego Zawſtydzenia X. Skargi etc. w Rakowie 1610. 4. i. e. *Sublatio ſecundae pudefactionis* PETRI SKARGAE *Ieſuitae.* Liber dicatus eſt SIGISMVNDO III. *Regi Pol. Skargae* interea vita defuncti cauſſam *Smiglecius Ieſuita* ſuſcipiens a. 1612. libro ſuo, ſub tit. *Noua monſtra noui Arianismi*, quaedam iunxit, praefixo titulo: *Adpendix, in qua obiecta* MOSCOROVII *Ariani refelluntur, et quam impie cum ſuis aſſeclis de Baptismo ſentiat, oſtenditur.* Huic MOSCOROVIVS oppoſuit librum, cui titulus:

5. *Refutatio appendicis, quam* MARTINVS SMIGLECIVS, *Ieſui-*

(*) De PETRO SCARGA, SIM. STAROVOLSCIVS de *ſcriptor. Polon.* p. 128. haec refert: "Artibus et moribus optimis in Acad. Cracou. inſtitutus, philoſophicaque laurea anno aetatis ſuae 19. ornatus, mox ſe in aulam IO. TARLONIS *Archiepiſcopi Leopolien.* contulit, et ab illo *Praepoſiti Rohatinenſis* titulo auctus, paſtor aliquot annos, — — — illi eccleſiae praefuit, atque breui poſt Collegio Canonicorum Leopolienſium, ſimul cum munere concionatoris ordinarii adſcriptus. — — — Sed non hic ſiſtendum ratus, — — in numerum Societatis Ieſu patrum (*Romae* a. 1569.) recipi curauit, exactoque in ſtudio theologico in Italia biennio, feliciter in patriam cum aliis Societatis patribus reuerſus eſt. Et primum *Cardinali* RADIVILLO, poſtea Regi STEPHANO Eccleſiaſtae functus officio, adhaeſit, ac multos ex Liuonibus, Litthuanis atque Roxolanis a ſchismate et haereſi velut poſtliminio ad Romanam eccleſiam reuocauit. — — — Multa volumina tam Romano ſermone, quam etiam natiuo, in vſum publicum et eccleſiae propugnationem erudite admodum conſcripſit etc." — — — Quae ſanguinolenta SCKARGA dederit conſilia de tollendis et trucidandis in exercitu Polonico militibus euangelicae religioni addictis, deque deneganda haereticis fide v. DAN. CRAMERI *Chronicon eccleſ. Pomer.* L. IV. f. 126. Praeter alia ſcripta eius *libri III.* extant *pro ſacratiſſima eucharistia contra haereſin Cinglianam, ad* ANDR. VOLANVM, *praeſentiam corporis D. noſtri I. C. ex eodem Sacramento auferentem.* Vilnae 1578. 8. Prodierunt eius OPERA *Vilnae* 1738. fol.

*Iesuita, Doctor Theologus, libro, cui titulum dedit:* NOVA MONSTRA NOVI ARIANISMI, *apposuit*, et HIERONYMO MOSCOROVIO *opposuit*, *scripta ab eodem* HIERONYMO A MOSKORZOW, MOSCOROVIO. *Racouiae. typis Sebastiani Sternacii.* 1613. 4. pagg. 68. et 6. dedicat. Vid. *Baumgartenii Recensio Biblioth. Halens.* T. VI. p. 403. Dicatus est libellus ab auctore e praedio Czarkouiano, absque temporis significatione IOANNI TILICZKI, *Episcopo Cracouiensi et Seueriae Duci.* In epistola hac inquit: "SMIGLECIVS cum ad impugnanda nostra accessisset, argumentis quibusdam, multas easque graues calumnias adiecit; vt contumelias insignes et acerba conuitia, aliaque literato homine indignissima praeteream; illaque sub illustri nomine tuo publicanda censuit. Ad calumnias, conticuisse, quid erat aliud, quam eas agnouisse? — — — At ea causa respondendi longe grauior, quod istae calumniae diuinam veritatem traducerent — — — vnde, si non honoris existimationisque nostrae cura, certe diuinae gloriae et Christi honoris ac salutis sempiternae studium, ad responsionem nos adigere, immo vero ardore quodam incredibili accendere, merito atque optimo iure debuit. — — Calumnias istas, quarum mentio a me facta, *Smiglecius* sub nomine tuo legendas aliis exhibuit. Quamobrem depulsio calumniarum, quas *appendix Smigleciana* continet, tibi, et sub tuo nomine, aliis offerenda videbatur; vt hac ratione, quicquid sinistrae de nobis suspicionis, calumniae in animo tuo et aliorum impressissent: — — illud depulsio calumniarum, si radicitus euellere et exstirpare non posset, saltem induceret et obliteraret."

Scriptum hoc iudice REIMANNO *Catal. Biblioth.*

 p. 649.

p. 649. "Graue potius est, quam suaue. Siquidem dictio aspera est aliquantulum et salebrosa et a dictione *Socini* mirum quantum diuersa, siue delectum verborum spectes, siue compositionem. Neque res ipsae ad veritatis regulam satis sunt exactae, quod vel sola p. 19. testatur, vbi IGNATIVS, patrum apud *latinos*, quorum scripta supersunt, dicitur antiquissimus." De *Smiglecii* libro vid. sub SMALCIO.

6. MOSCOROVIVM operam nauasse cum aliis *vertendis in linguam polon. N. T. libris*, alio loco a nobis expositum est ex *Act. MSSCC.* Vid. SMALCIVS. Nec non

7. *Catechismum Racou.* Regi Angliae *Iacobo* peculiari epistola dicauit, quod fusius in *Hist. Socin. Pol.* indicauimus.

8. *Dedicatio disputationis* F. SOCINI *de statu primi hominis ante lapsum*, MAVRITIO *Landgrauio Hassiae.* Scripta 1610. *Cal. Mart.*

9. *Responsio ad librum* GORSCII, *Pontificii Sacerdotis, cui titulum fecit: Reuelatio impudentiae Arianorum. Scripta* 1611. *edita* 1617. polon. Prodiit Io. GVRSKI opus, in quo MOSCOROVII libellum supra Num. 3. allegatum sub examen vocauit, et *Skargae* caussam defendit, *Cracouiae* 1608. 4. Alph. 1. pl. 4.

10. *Scriptum, quod simul cum* VAL. SMALCIO Mennonitis Dantisci tradidit 1612. 21. *April.* polon. vnionem his suadens et de ratione modoque eius, consilia exponens MSC. lectu dignum inseruimus latine redditum *Historiae Socin. Polon. ex act. Synod. MSSCC.*

11. *Epistola ad Mart. Ruarum, scripta Racouiae* in Synodo 12. *Maii* 1613. qua hunc inuitat, vt *Racouiam* excurrat. In RVARI *epp. Cent.* II. N. 34. ex edit. ZELTN. p. 572.

12. *Prae-*

12. *Praefatio in F. Socini explicationes rariorum S. Scripturae locorum* 1614. Iterum impreſſa et adtexta eſt collectioni operum quorundam *F. S.* quae ſub titulo: *Explicatio primae partis primi capitis* IOHANNIS, *ſcripta a F. S. Sen. Adiectae ſunt cap. 9. ep. ad Rom. et aliorum quorundam S. Scripturae locorum eiusdem auctoris explanationes*, *Racou. typis* SEB. STERNACII a. 1618. 8. pl. 8¼. prodiit, in quo opere *Moſcorouii* praefatio ſtatim poſt titulum, loco plane inconuenien- te occurrit.

13. *Refutatio libri de Baptismo*, MARTINI SMIGLECII, *Ieſuitae*, *ſcripta ab* HIERONYMO A MOSCOROW *Moſcorouio. Racouiae anno Domini* 1617. 4. pagg. 206. et 4. praef. Hoc ſcripto, quod IX. complectitur capita, *Smiglecium* refellere, inprimis vero argumentum pro SS. Trinitate ex verbis inſtitutionis baptismalis deſumtum oppugnare conatur. Prodiit MART. SMIGLECII *de Baptismo*, *aduerſus* HIERON. MOSCOROVIVM *Arianum*, *liber vnus*, *Cracou. in officina Andr. Petricouii*, 1615. 4. pl. 15. et *Colon.* apud ANTON. HIERAT. 1616. 4. quo maxime *Moſcorouii* errores in libro N. 5. allegato expoſitos refutauit. SMIGLECII obitus, qui a. 1618. accidit, certamini finem impoſuit. *Moſcorouium F. Socinus* in ep. ad illum ſcripta in *epp.* huius *edit. Racou.* p. 508. ita de hoc argumento inſtruit: "Ego ita ſentio, praeceptum generale ac perpetuum de aquae baptismo accipiendo Chriſti Eccleſiae nullum fuiſſe datum, praecipue vero quod ad eos pertineat, qui in ipſa Chriſti Eccleſia ſunt nati et educati, ſiue alia quacunque ratione Ieſu Chriſti nomen perpetuo ac publice ſunt profeſſi. Itaque eiusmodi homini, ſimpliciter ac per ſe rem adiaphoram ſiue indifferentem eſſe

ſtatuo, baptismum aquae accipere. Et paulo poſt: Quam ob rem vel curare, vel optare ſaltem debeo, vt Eccleſiae noſtrae, hoc, quod ego minime neceſſarium baptismi iugum et arbitror, et palam iam diu appello, fratribus, et ad ipſos accedentibus imponere aliquando deſueſcant." Plura de hoc argumento in *Hiſtoria Socin. Polon.* et in capite de F. SOCINO.

14. *Praefatio in* Io. STOIENSCII *Diſput. Lublin. cum* IOHANNE MARIA, *Carmelita Monacho habitam* 1616. 13. Iul. *de I. C. diuinitate et remiſſione peccatorum etc. Racouiae typis* STERNACII 1618. 4. *Vid.* ſub *Io. Statorio*, N. 2.

15. *Contra* HVGONEM GROTIVM *de ſatisfactione. MSC. Vid.* ſub Io. CRELLIO. N. 4. p. 140.

16. Videtur MOSCOROVIVS *auctor* eſſe *praefationis* praepoſitae SOCINI opuſculo: *Concionis Chriſti, quae habetur cap.* 5. 6. 7. *apud Matthaeum Euangeliſtam, explicatio etc. Racou. typis* SEB. STERNACII 1618. 8. alph. 1. pl. 1.

17. *Praefatio in* F. SOCINI *librum contra* EVTROPIVM 1618. Nomen eius eſt GABRIEL EVTROPIVS SADECIVS, eratque Canonicus Poſnanienſis. V. ſub *F. Socino.*

18. *Colloquium cum* DAN. CLEMENTINO, *miniſtro Reform. de Filio Dei I. C. habitum Boleſciniis* 1618. Ipſe *Clement.* huius mentionem facit in tr. polon. *Antilog. et abſurd. ex opin. Socinit. fol.* I. 2. a. b. narratque *Moſcorouium* defendiſſe: Duo iam eſſe regna diuina, alterum Patris, alterum Chriſti. Fideles, per quos Socinianismo maxime adſcriptos intellexit, conſtituere regnum Chriſti. Reliquos eſſe ſubditos Patris. Neuter ius quoddam habet in ſubditos alterutrius, praeter quod Filius ex conceſſa ſibi perfecta poteſtate in coelo et in terra,

terra, potentiam habeat ſubditos Patris puniendi in eo ſaltim caſu, ſi miniſtris ſuis quandam iniuriam et calamitatem intulerint etc.

19. De certamine, quod inter *Moſcorouium* et *Smiglecium* agitatum eſt, de MATERIA INCREATA, quam ille defendit; cui vero *Smiglecius* hunc Aphorismum oppoſuit: Omne ens increatum, neceſſe eſt, ex ſe infinitum et illimitatum eſſe, non habet enim, a quo limitetur; vid. BAYLII *Penſees diverſes etc.* in *Opp.* eius T. III. fol. 347. Idem in *Theſ. Philoſ. Opp.* T. IV. f. 132. ita de SMIGLECIO iudicat: "Vel vnus *Mart. Smiglecius* Ieſuita Polonus, Socinianorum oppugnator haud vnus e multis, fidem facere poteſt, fructum haud mediocrem capi poſſe ex vſu vulgaris dialecticae: Nam eius *in Logicam Ariſtotelis commentarii* prolixiores equidem, ſed docti et laborioſi, omnia continere videntur, quae ad naturam operationum intellectus, ad vim ratiocinandi, ad fundamenta et principia veritatis pertinent, et ſi ea exceperis, quae ipſi inhaerere neceſſe erat, vel falſa, vel abſtruſiora ab ingenio ſectae, quam ſequebatur, certat in eo ſoliditas iudicii cum ſubtilitate atque perſpicuitate.

## ANDREAS MOSKORZOVIVS, *ſ.* MOSCOROVIVS.

HIERONYMI filius, de quo in Synodo Racou. 1624. notatur, quod *hiſtoriam Eccleſiae in Polonia renatae* idiomate latino concinnaturus ſit; anno vero 1625. in Synodo Racou. eidem committebatur, vt aliud ſcribendi argumentum eligeret, nimirum aduerſus *Iac. Martinium* pugnaturus. Filium habuit *Andreas*, HIERONYMVM GRATVM MOSCOROVIVM, haeredem praedii Czarcouiani,

coetusque ibidem collecti Patronum. Vid. *vita* WISSOWATII, SANDII *Bibliothecae* adtexta p. 245.

Praeter nominatos, plures eiusdem cognominis occurrunt inter Socinianos Polonos. Ad menſam cuiusdam *Moſcorouii*, *Gittichius* et *Ruarus* a. 1642. collocuti ſunt de ieiuniis, quod exponit epiſtola *Ruari Cent. I.* N. 81. *Meminit* GITTICHIVS in ep. ad ERN. SONERVM Altorphium ſcripta, quam alio loco hiſtoriae noſtrae ex *Mſpto* communicabimus, *Moſcorouii iunioris (Hieronymi* fortaſſis filii) anno aetatis 27. defuncti, qui et Patri et omnibus ciuitatis huius ſociis multam ſpem fecerit. CHRISTOPHORVM G. Dni MOSCOROVII filium Czarcouiae a. 1624. dyſenteria eſſe exſtinctum, *Io. Crellius*, *Martino Ruaro* narrat in epiſtola CRENII *Animadu. Philol.* P.V. p. 253. inſerta. Qui epiſtolam ad Senatum Gedanenſem a. 1639. in cauſſa *Ruari* datam ſubſcripſit, *Andreas Chriſtianus Moſcorouius a Moskorow*, *Hieronymi* filius fuit. Celebratur quoque nomen STANISL. CASIMIRI MOSCOROVII, cuius ſub manu librum *F. Socini de Chriſto Servatore*, quem in pignus amicitiae cuidam a. 1600. d. 12. Aug. donauerat, poſſedit *Micraelius*. V. *Eiusd. Hiſtor. Eccl.* p. 967.

## MOSZOVIVS.

Praenomen eius in *actis MSSCC.* quantum recordamur, non allegatur a. 1648. miniſter Luclauicii ſubſiſtere iubebatur, vna cum *Ioanne Morſtinio*. A. 1654. et 55. ſcandali a *Moſzouio* dati in *actis* fit mentio, de quo poenitentiam et dolorem ſuum teſtatus eſt, veniamque a coetu efflagitauit. IOANNIS MOSCHOVII, (quod quoque nomen MOSCHOVINVS ſcribitur) fit mentio in GEORGII ZAVODSKY *Diario*, quod ex MSC. inſertum eſt MATTH.

BELI

Beli *Adparatui ad hiſt. Hungar.* Decad. I. Monum. VIII. et de eo narratur, fol. 371. quod a. 1616. Socinianismum in Hungaria ſpargere conatus fuerit; de quo alio loco.

## PAVLVS MYSLICIVS.

Circa a. 1635. ſcholae Racou. praeceptor exſtitit. In Synodo Kiſielina a. 1639. animum ſuum ad obeundum miniſterium eccleſ. propenſum declarauit, cuius quoque aliquando obtinendi ſpes ipſi facta; attamen Synodus eidem hoc anno ſcholam Czerniechouianam commendauit regendam. A. 1643. coetui Siedliſcenſi miniſter et cooperarius *Chriſt. Lubieniecio*, a. 1648. vero ad Dobrinenſem coetum *Paulo Riniouicio* ſucceſſor conceſſus ex decreto conſeſſus Dazuienſis. A. 1652. Dnae Podlodoviae et coetui Lazinenſi datus, ex ſtatuto conſeſſus Czarcouienſis; anno autem proximo 1653. dimiſſionem a munere eccleſ. a conſeſſu Siedliſcenſi ſibi expetiit, quam quoque obtinuit, cum ſtipendio quodam.

## SAMVEL NAERANVS.

Patria *Dordracenus*, *Sedanenſis Gymnaſii* a. 1608. *Rector*, deinde *Amersfortenſis*, Remonſtrantium placitis addictus, inter primos Arminii, dum viueret et Lugd. Batau. cum applauſu doceret, adſtipulatores atque diſcipulos. Inter caeteros ad Synodum Dordracenam comparens, cauſſaque dicta paulo poſt cum reliquis, decreto Ordd. a. 1619. 5. Iul. Hagae Comitum ſcripto, nominatim e patria eiectus; atque hinc, poſtquam aliquamdiu in Friſia vicina latuiſſet, incertis ſedibus, maxime tamen omnium ad Balthici maris littora peregrinans; donec rebus paululum mutatis reuertendi in Belgium venia ipſi daretur. Ex hoc tempore perpetuum ipſi cum *Ruaro* inter-

tercessit litterarum commercium. Obiit 1642. quod filius *Ioannes Ruaro* nuntiauit in huius *epp. Cent. I.* N. 83. ex edit. ZELTN. p. 320. Eximius fuit poëta, sed adeo Belgii foederati Proceribus ob approbatas ab ipso Remonstrantium sententias exosus, vt carmen aliquod ab eo sibi aliquando dicatum, hanc solam ob caussam indignabundi ne receperint quidem, sed illi reddi iusserint.

SCRIPTA:

1. *Carmina* eius, nominatim *epigrammata*, iam a. 1610. in publicam lucem emissa, cum orbis eruditi adplausu excepta sunt. V. CASAVBONI epistola inter *Epp. Remonstr.* N. 142.
2. *Duae epistolae ad Ruarum* scriptae, insertae huius epistolis ex edit. ZELTN. p. 307. et 312. In hoc opere tres quoque *Ruari* ad SAM. NAERANVM exstant p. 304. 309. 521.
3. Ondervysinge in de christelyke Religie, gestelt by vragen en andwoorden nae de Bilydenis der Remonstrants Gereformirte Christenen, te Rotterdam. 1640. 8. Quaedam alia eius scripta allegantur, quae videre non contigit.

## IOANNES NAERANVS.

SAMVELIS filius, Remonstrantium doctrinae addictus, Veteramnensium in Batauis pastor, et Socinianorum patronus atque promotor, qui circa annum 1663. coetus huius commodis summo studio inuigilauit. Eodem enim anno in Consessu *Cruciburgi* in *Silesia* habito, statutum, vt *Naerani* commercium epistolicum ex Belgio, fratribus in Borussia degentibus inscriberetur. Ad ipsum exstat PRZYPCOVII epistola a. 1663. *Regiomonte* scripta. Eundem publicandis Socinianorum scriptis obstetrices admouisse

mouiſſe manus conſtat. V. ſub PRZYPCOVIO N. 21. qui etiam *cogitationes ſuas in primam Seruatoris concionem* IO. NAERANO ſacratas voluit, teſte epiſtola allegata, et ipſa dedicatione cogitationibus iſtis praemiſſa in *Opp.* PRZYPCOVII.

SCRIPTA:

1. *Epiſtolae tres*, extant in *epiſtolis Remonſtr.* N. 604. 608. et 610. Harum vna ad ABRAHAMVM HEYDANVM 1656. 16. *Kal. Febr.* ſcripta, quae l. c. p. 853. edit. Amſtel. 1660. 8. legitur, intenſiſſimam *Naerani* curam pro exſulibus Polonis commonſtrat.
2. *Epiſtola ad* RVARVM, ſcripta 6. Id. Febr. 1642. apud Doccumenſes, et inſerta huius *epp.* l. c. p. 319. Duae RVARI ad eum datae ibidem leguntur p. 319. et 599.

## ADAMVS NEVSERVS.

Monſtroſi hominis fata alio loco ex ſcriptis fide dignis fuſius a nobis expoſita ſunt. V. HOORNBECKIVS l. c. T. I. p. 49. ERDM. VHSEN Hiſt. Eccl. ſec. XVI. et XVII. p. 220. qui allegat OSIANDRVM Cent. XVI. L. III. p. 818.

SCRIPTA:

1. *Epiſtola* SELYMO II. *Turcarum Imperatori ante annum* 1570. *ſcripta*, qua Muhamedismum profitetur, ſeque tutelae illius committit, in extenſo inſerta eſt *Monumentis pietatis et literar. virorum in republ. et literaria illuſtrium, ſelectis. Francof. ad M.* 1701. 4. P. I. p. 337.
2. *Theſes de perſona Chriſti*, quas in carcere Ambergenſi circa finem anni 1570. concinnauit, quibus *Secretarium Elect. Palat.* ad eundem errorem, quem ipſe tenebat, fere auertiſſet. Vid. HENR. ALTINGII *hiſt. eccl. Palat.* in *monumentis* allegatis l. c. P. I. p. 210.

3. *Epi-*

3. *Epiſtola MSC. ad Illuſtr. Dn.* BEKESIVM, IOHANNIS SIGISMVNDI *Tranſyluaniae Principis Legatum ad* MAXIMILIANVM II. *Imperatorem : ſcripta Heidelberga* 1571. quae epiſtola intercepta occaſionem ſuppeditavit, vt NEVSERVS cum *Syluano* in vincula coniiceretur.

4. *Scopus VII. Capitis epiſt. ad Romanos*, ſcriptus 1572. et editus quaſi *Ingolſtadii* 1583. 8. Particula eſt operis, cui titulus praefixus: *Tractatus aliquot Chriſtianae religionis etc.* de quo vid. ſub GLIRIO, *Num.* 2.

5. *Epiſtola ad* STEPH. GERLACHIVM, *Legati Caeſarei ad aulam Turcicam a Sacris, ſcripta* 1572. 2. *Iul.* in qua de occaſione apoſtaſiae ſuae ad Mahomedismum agit. In eadem teſte D. Io. GERHARDO in *harmonia Calvino-Photin. diſp. I. §.* 30. haec legebantur: "Nullus noſtro tempore mihi notus factus eſt Arianus, qui non antea fuerit Caluiniſta. SERVETVS, BLANDRATA, PAVL. ALCIATVS, FRANC. DAVIDIS, GENTILIS, GRIBALDVS, SYLVANVS, et alii. Igitur, qui ſibi timet, ne incidat in Arianismum, caueat Caluinismum." Qui ex his verbis aduerſus coetum Reformat. male ſentiendi anſam arripuerunt, ab ALTINGIO l. c. p. 211. virgula haud immerito notantur, inprimis IAC. ANDREAE, qui libellum euulgauit ſub tit. *quod Caluinianismus viam aperiat Arrianismo et Mahumetismo.*

## HENRICVS NICOLAI.

*Dantiſcanus*, quo loco a. 1605. 7. Maii patre *Henrico* Magiſtratus Secretario, natus. Comparauit ſibi haud mediocrem eruditionis multiplicis theſaurum, partim in Gymnaſio patrio, partim in Academiis exteris, praecipue *Vitebergae*, *Lipſiae* et *Ienae*. Abſoluto per varias regiones itinere, redux in patriam ad Gymnaſium Dantiſcanum con-

conſtitutus eſt *Profeſſor Logices et Matheſeos*, quo munere aliquot annos functus, heterodoxiae maculam ſibi contraxit ſcriptis editis, et maxime iſto, cui IRENICI, titulum fecit, quemque occaſione *Colloquii Charitatiui Thorunenſis* concinnauit. Hoc libello cum inter alia viam Socinianis ad communionem cum Euangelicis parare ſtuduiſſet, maximo cum periculo orthodoxae veritatis, *miniſterium Dantiſcanum* ad requiſitionem Magiſtratus eius opinionibus poſitiones quasdam ſiue *cenſuram* oppoſuit ad quas HENR. NICOLAI reſpondit, cauſſamque ſuam defendit. *Vid.* ANDR. CAROLI, *Memorab. Eccleſ.* Saec. XVII. T. I. p. 1181. et *Chriſt. Frid. Charitii ſpicilegium* ad *Andr. Charitii Comment.* de viris eruditis Gedani ortis, p. 111. Cum hac ratione ſibi aduerſarios haud paucos Gedani contraxiſſet, a. 1649. dimiſſionem a munere ſibi expetiit, qua, vna cum ſtipendio annuo impetrata, aliquamdiu priuatus vixit. *Calouius* ex odio concepto ita in *iudicii theologici* epiſtola dedicatoria rem enarrat: *De quo, vbi ſpes reductionis ad mentem ſaniorem decollaret, omniaque fruſtra tentarentur, S. Miniſterium vnanimi ſententia a communione ſacra hominem excludere neceſſum habuit. Magiſtratus vero ampliſſ. Gedan. cum nullis repagulis coerceri poſſet effrenis licentia, ſpargendi ſcripta heterodoxa, pernitioſa, iniurioſa, modum tandem inuenit, quo ab homine noxio liberaretur Gymnaſium.* A. 1651. *Elbingam* conceſſit, ibidemque ad Gymnaſium *Profeſſoris Theologiae et Philoſ. honorarii* munus obtinuit. Inſignitum eum ſimul titulo *Conſiliarii Eccleſ. Elect. Brandenb.* fuiſſe, ſcriptores narrant. Ipſe in praefatione *apologiae ſuae pro methodo Trinitatis* praefixa haec habet: "*Sereniſſimus Elector Brandeburgicus*, GEORGIVS WILHELMVS, auguſtae memoriae, et *Illuſtriſſ. Cattorum Princeps*

*ceps* GEORGIVS, gradum Doctoratus Theologici suo sumto ante vicennium (*scripta est epistola* 1657. 3. *Cal. Nouemb. Gedani*) mihi obtulerunt. Gratiam Principum agnoui, gradum abnui. Haud facile libertatem vendidi; et sectis iuramentis illigari nolui. Nondum poenitet, etsi magnorum Principum gratiam subinde reuoluam." Tandem Elbingensi Gymnasio vale quoque dixit, iterumque a. 1657. *Gedanum* semet contulit, quo loco caelebs a. 1660. 29. Decemb. obiit, cum paulo ante mortem, errorum in theologicis conceptorum veniam petens, exhibitam sibi a Confessionario suo NATHAN. DILGERO eum placitorum, quae defenderat, admonente, formulam reuocationis subscripsisset. Vid. PRAETORIVS *in Athen. Gedanens.* p. 80. et HARTKNOCHIVS in *Hist. eccl. Pruss.* L. III. C. X. p. 835. seqq. Qua ratione ad munus *Professoris Theologiae in Acad. Regiom.* a quibusdam commendatus fuerit, et quid Ministerium Regiomontanum aduersus ipsius promotionem egerit, exposita sunt ex *MSC.* in den Fortgesetzten Samml. von A. und N. Theol. Sachen. 1745. p. 91. seqq. sub tit. des Königsbergischen Ministerii Schreiben an die Preuss. Herren Landräthe, wegen des zur Beförderung nach Königsb. vorgeschlagenen Heinr. Nicolai. Magnum in lucem emisit scriptorum numerum, quae raro admodum nostro tempore comparent. Infrequentiae huius rationem adfert ex WENDLERI diss. *de libr. rarior.* §. XI. VOGTIVS in *Catal. libb. rar.* p. 419. nimirum quod flammis exusta fuerint; quod de omnibus in genere dici non poterit. Libellum, cui *Quadrigati expensi* titulum fecit, *Elbingae* fuisse prohibitum, ipse auctor exponit in *Apologia pro methodo Trinitatis*, his verbis: *Ad Suecorum edictum super Quadr. meo Elbingae appensum respondere forte opus foret. Dudum paratum mihi, ex quo*

*de*

*de edicto cognitum. Principem tamen Palatinum, cuius nomine affixum, parum de eo nosse, pro vero accipio. Alios eius nomine id ausos. Ab initio id mihi ita creditum: iam vt compertum narratur. Sistam pro tempore, et commodiori momento responsum seruabo &c. Vid.* infra N. 29. Inprimis, iuxta *Irenicum*, libellis suis, *de medio religioso et theologico, de methodo Trinitatis, de coniungendo Philosophiae studio cum Theologia, de notitiis naturalibus, de symbolo Athanasii* etc. suum cum Antitrinitariis quibusdam consensum testatus est. SANDIVS in *Nucleo Hist. Eccles.* p. 431. eum *Arianum* fuisse tradit. In Mscpto quodam anonymi, sed sine omni dubio *Sociniani*, *Henricus Nicolai* sectatoribus IOANNIS PHILOPONI, tres φυσεις in Deo statuentibus iungitur. Plura ipsius placita in *Historia Socin. Pruss*, ex Mscpto magnae molis in *Bibliotheca familiae gener. Wallenrodianae*, quae Regiomonti est obuio allegabimus. Exhibet illud LXVII. momenta ex libris ab HENR. NICOLAI editis, et ipsius verbis a *Reu. ministerio Dantiscano* proposita. Ex his, satis euidenter colligitur, non iniuriam ipsi fieri, si Antitrinitariorum castris adnumeratur. Inter alia enim defendit: Patrem esse Deum, Filium vero et Spiritum S. esse aliquid Dei. Filium Dei non esse absolute aeternum &c. Iniuriam tamen ipsi esse factam in LAETI *compend. Hist.* p. 583. quo sibi prae *Mose* ac *Christo* praerogatiuam tribuisse accusatur, credimus. Haud pauca etiam de ipsius placitis exposuit *Erdm. Vhsen* l. c. p. 666. seqq. TOLCKEMIT *in memor. ministrorum Elbingens. germ. script.* p. 332. Ex libris ipsius istos tantum allegabimus, quos vel ipsi tractauimus, vel ab aliis aliquo modo sufficienter recensitos deprehendimus. Admittere proinde indicem hunc supplementa concedimus.

SCRIPTA:

1. *Compendium Logicae Aristotelicae*, *Gedani* 1635. 12.
2. *De doloris natura et constitutione*, *ibid.* 1637.
3. *De cognitione humana vniuersa*, *ibid.* 1640. 4.
4. *Exercitationes* IX. de *Esse alicubi*, s. *vbietate*, *ibid.* 1641. 4.
5. *Exercitationes* VII. de *multipraesentia rei finitae*, *ibid.* 1643. 4.
6. *De Contradictionis natura et principio*, *ib.* 1643. 4.
7. *De oppositione enunciatorum*, *ibid.* 1645. 4.
8. *Disquisitio magnetica succincta*, *ibid.* 1646. 4.
9. *Irenicum*, *de differentiis religionum conciliandis*, *ib.* 1645. 4. Opus, ex sententia *Abr. Calouii* exitiosissimum, variis erroribus impletum et colloquio Thoruniensi, contra Magistratus interdictum vafre ingestum. Censebat in eodem cum *Arminianis*, sufficere ad salutem ea, quae in Symbolo Apostolico continentur, accepta atque intellecta communi omnium, qui Christiani adpellantur, assensu. Hoc nomine non tantum tres de religione in Polonia pugnantes coetus, *Pontificium*, *Lutheranum et Reformatum* insigniri; sed etiam *Antitriniarios*, *Arianos*, *Samosatenianos*; *Socinianos*, *Anabaptistas* comprehendi, quos fundamenta salutis seruare salua asseruit, et in societatem spiritualem recipiendos iudicauit. Dispiciendum nimirum in religionis negotio esse, quid creditu ad salutem obtinendam maxime sit necessarium, et fidei basin constituat: reliquas speciales determinationes et explicationes ad scholasticas controuersias esse ablegandas, quo tandem orbis Christianus ad antiquam, simplicem et apostolicam fidem reuertatur. Libelli huius censuram

ram *Senatus Gedanensis* a *Ministerio* huius reipublicae requirebat, quae durante adhuc *Colloquio Thoruniensi* exhibita, nec a *Calouio*, quod *Nicolai* suspicabatur; sed illo inscio, et tum *Thorunii* in colloquio charitatiuo agente, a Collegis ipsius adornata erat. In hac Ministerium nonnullas quidem auctoris cogitationes non simpliciter ac in se spectatas esse reiiciendas; sed in adplicatione, et quoad exempla ab eodem adducta, plane esse damnandas iudicauit. Maxime auctor erroris accusabatur, quod statuerit: Esse quidem fundamentalem et essentialem fidei Christianae articulum, quod Christus vnigenitus Dei filius sit; an vero Patri coessentialis et coaeternus, a nemine posse intelligi, ac proinde ad subliniorem Academiam spectare. *Censura* haec a Magistratu cum *Nicolai* communicata, ab hoc non tantum typis diuulgata, sed etiam animaduersionibus castigata, sub titulo *Irenici defensi et explicati*. Defensio haec duabus absoluta partibus, cum iterum quibusdam dubiis impugnaretur, horum solutionem instituere conatus est auctor peculari tractatu, sub tit. *Irenici defensi continuati* qui *Num.* 18. allegabitur.

10. *Pansophia liberalis. Tabellis succincte ordinateque comprehensa et repraesentata. Obiecta disciplinarum liberalium omnium, naturalium et spiritualium, principalium et instrumentalium, adaequate determinans, principia, media, fines, partes, et species distincte assignans, vt commode summa disciplinae hauriri, ordo perspici, decursus notari et memoriae comprehensio eius infigi possit. Authore H. N. Ph. apud Gedan. Prof. Dantisci. Ex typographeo Ge. Rhetii* 1646. 4. pl. 7 et $\frac{1}{4}$. Exhibentur in hoc tractatu 35. tabulae,

 harum.

harumque fingulae vniuerfum vnius difciplinae liberalis confpectum vno obtutu repraefentant. Nimirum 1) *Totius Panfophiae liberalis delineationem*, 2) *Gnoftologiae*; 3) *Philofophiae*, 4) *Noologiae*, *f. intelligentiae*, 5) *Metaphyficae*, *f. Ontologiae*, 6) *Pneumaticae*, 7) *Phyficae*, 8) *Arithmeticae*, 9) *Pofometriae*, *f. Geometriae*, 10) *Geodefiae*, *f. Hylometriae*, 11) *Sphaerographiae*, 12) *Cofmographiae*, 13) *Aftronomiae*, 14) *Chronologiae*, 15) *Aftrologiae*, 16) *Geographiae*, 17) *Opticae*, 18) *Muficae*, 19) *Staticae*, 20) *Architectonicae*, 21) *Ethicae*, 22) *Oeconomicae*, 23) *Politicae*, 24) *Scholafticae*, 25) *Hiftoricae*, 26) *Theologiae*, 27) *Iurisprudentiae*, 28) *Medicinae*, 29) *Paediae difciplinaris*, 30) *Grammaticae*, 31) *Logicae*, 32) *Mnemonicae*, 33) *Rhetoricae*, 34) *Oratoriae*, 35) *Poeticae*. In tabula 26. p. 32. quae Theologiae delineationem tradit, principium cognofcendi eiusdem *primarium* conftituit S. Scripturam, *fecundarium*, Hiftoriam Eccles.

11. *Michaelia*, *Pafchalia*, *Pentecoftalia et Natalitia*, *ibid.* 1645 et 1648. 4.

12. *Metaphyfica contracta*, *f. Metaphyficae compendium. Ex Ariftotele, Interpretibus aliisque fcriptoribus contextum, ad abftractionem entis generaliter repraefentatum, diuinis materiis fubordinatum, et canonibus appofite limitatis adornatum, vt generaliter citra diffufas exceptiones in materiis procedere liceat. Pro vfu Gymnafii Gedanenfis concinnatum. Authore* HENRICO NICOLAI, *Philof. apud Gedanenfes Profeffore. Dantifci, litteris viduae Georgii Rhetii exfcriptum, Anno a nato Chrifto.* M.DC.XLVIII. 8. pl. 5. In praefatione haec leguntur: Scio, quid in Concilio Nicaeno

no ſubtili Philoſopho contigerit, qui ſimplice fidei confeſſione ab idiota confuſus abiit, apud RVFFINVM L. I. c. III. Sed et id ſcio, aliud eſſe, de fide quaerere, aliud de variis rerum inter eruditos explicationibus ſollicitum eſſe. — — — In illo ipſo concilio, cum tres in Deo perſonae, vnica natura, in Chriſto duae naturae, vna perſona dicerentur, nemo, quid perſona eſſet, explicare potuit. Primus BOETHIVS definitionem moliri auſus eſt, vt CHEMNITIVS tradit, l. de *Trinit.* c. 4.

13. *De magicis actionibus*, *ibid.* 1649. 4. Abſoluitur ſcriptum hoc aliquot *exercitationibus*, quas auctor in Gymnaſio Dantiſcano ad publice ventilandum propoſuit. Exercitatio VIII. *de actioniibus magorum in bruta*, pl. 3½ et IX. *de actionibus magorum in hominem* magis naturalibus, pl. 3½ habet. Reliquae in conſpectum meum non venerunt.

14. *Gymnaſium ethicum*, 1649. 4. Videre hoc mihi non contigit. Venit tamen ad manus meas pars ſcripti, cui *Nicolai* titulum fecit, *Gymnaſium logicum repetitum*, et quidem eiusdem *Diatribe* XV. *De ſyllogiſmo Elenchtico*, *ſiue fallace*, *Diſputatio ad ſententiarum collationem in Gymnaſio Gedanenſi propoſita*, 1640. 4. pl. 2½. Habent vero plagulae ſignaturam Zz. Aaa et Bbb. et paginarum numerus eſt a 309 - 326.

15. *De cauſſa per accidens*, *Ged.* 1650. 4.

16. *De pane*, *ibid.* 1651. 4.

17. *Curſus Philoſophicus. A Gnoſtologia ad Paediam diſciplinarem*, *vniuerſas diſciplinas Philoſophicas*, *theoreticas et practicas*, *adaequate et ordinate*, *ſed ſtrictim breuiterque intellectui repraeſentans. Vt quid in Philoſophia tradi debeat*, *quid ab ea expectari poſ-*

 *ſit*,

*sit, quibus finibus stringatur, quibus obiectis partes eius determinentur, facile aperteque constare queat: Disputatoriis quibusdam gymnasmatibus, in Gymnasio Elbingensi decursus. Authore H. N. Theol. et Philos. apud Elbing. Prof. honor. Elbingae, typis Achat. Corellii*, 1652. 4. pl. 15. Continentur in hoc tractatu XIV exercitationes; 1) De Gnostologia, 2) De Philosophia, 3) Noologia; s. intelligentia, 4) De Metaphysica, 5) De Pneumatica, 6) De Physica, 7) De Mathematica abstracta, 8) De Mathematica concreta, 9) De Ethica, 10) De Oeconomica, 11) De Politica, 12) De Scholastica, 13) De Historica, 14) De Paedia disciplinari.

18. *Irenicum defensum et explicatum continuatum. Vlteriora dubia, obiectiones, calumnias, effugia aduersus illud occurrentia aut mota, et censuram parum solide censentem, resoluens, quae momentum habere videntur, refellens; vt Irenici hypotheses solide constitutas esse intelligatur. Quae Apologiae continuatae vicem praestare queant. Elbingae typis Achat. Corellii*, 1651. 4. pl. 5½. Ita p. D. 2. inquit: *Non omnes sectas in vnam conferruminare, aut ex illis nouam aliquam educere proprie intendo, cuius caussam in meo intento non habeo: sed ostendere, veterem illam christianam fidem, prout ab Apostolis et antiquissimis Patribus praedicata est, omnium purissimam, certissimam et tutissimam, eoque merito omnibus religionibus praeferendam esse, et ideo hodierna disceptata, hypotheses, sectas, religiones ad illam inprimis iure reuocandas ac conformandas esse, prout omne posterius ad prius, et imperfectius ad perfectius, vt mensuram suam reuocari solet, inutiles contentiones, quales in schola-*

*ſcholaſticis infinitae ſunt, a fide reſecandas, nimias curioſitates et ſubtilitates e ſpiritualibus amouendas, multitudinem quaeſtionum vitandam, rixis ſcholaſticis modum et terminum tandem ponendum, fundamentalia fidei puncta inprimis inquirenda ac reſpicienda eſſe moneo. — — — Inquirendum eſt, quae, quot ac quanta dogmata pro fundamentalibus punctis habenda ſint, eaque firmiter et inconcuſſe conſtituenda ac retinenda, et in his, vt conſentiatur, inprimis ac praecipue laborandum eſt. — — Sic Chriſtum ad dextram Dei ſedere, hoc eſt in coeleſti gloria et maieſtate regnare, punctum fidei eſt. Secundum deitatem, humanitatem aut vtramque naturam ſedere, determinatio aliqua praedicati in puncto eſt, de qua diſceptatur, quae paris cum praecedente neceſſitatis non eſt. — — Chriſtum paſſum, mortuum, crucifixum eſſe, fides eſt, et hoc quidam haeretici negarunt. — — Pro omnibus aut quibusdam paſſum, determinatio praedicati in enunciato eſt.* Hanc tamen determinationem momentoſam eſſe, magisque aliis neceſſariam, quippe quae cardinem ſalutis, ac fundamentale Chriſtianorum ſolatium concernat, auctor in ſequentibus docet.

19. *De medio religioſo et theologico*, *Elbingae* 1653. 4. pl. 10. Aſſertiones quaedam in hoc tractatu defenſae allegantur in Fortgeſ. Samml. von A. u. N. ꝛc. a. 1745. p. 87. ſeq. ex *Msscc.* ſuntque ſequentes: 1) In Trinitate eſſe vnam numero eſſentiam non liquet, p. 5 et 6. 2) Non liquet, an Filius eandem numero cum Patre eſſentiam habeat, nec tamen ea eſſentia negari debet. p. 6. 3) Filius Dei verus et eſſentialis Deus eſt: an Patri ſit aequalis, non liquet, p. 6. 4) Tutiſſimum eſſe putat p. 7. in quaeſtione: An Sp. S. ſit per-

persona? pios Christianos sistere in eo, quod Sp. S. sit pignus et arrha haereditatis nostrae, etc. A termino personae, quia tricosus est, abstinendum putat, quamuis negari nolit. 5) Omnipraesentiam carnis Christi ad coelestem Academiam — — remittendam esse, p. 7 et 8. 6) An Filius Dei sit αυτοθεος? dubitat p. 9 et 10. 7) An Christus clauso sepulchro resurrexerit, non liquet, pag. 13. 8) Deus est caussa per accidens peccati p. 15. 9) An ob solum peccatum originis infantes sine baptismo decedentes damnentur, non liquet p. 7 et 24. 10) Primus homo, qua homo in statu integritatis mortalis fuit, p. 19. 11) Vtrumque verum est, quod sola fide, et quod ex operibus iustificemur, p. 32. 12) Bona opera merentur, i. e. consequuntur salutem, p. 35. etc.

20. *Miscella Theologica. De sanctimonia, bonis operibus, loquendi et sentiendi modis in illis, et superstitiosis quibusdam festis, vt corporis Christi, conceptionis et assumptionis Mariae, et similibus, peculiari exercitatione theologica strictim repraesentata. Subiecta ad calcem operis appendix philologica, de methodo latinitatis pro prouectioribus, quomodo commodius illis procedendum, ordine lectio authorum occupanda, notata digerenda, vt ad vsum ac prudentiam ciuilem aut spiritualem apparatus inde comparari queat: Auth. H. N. Th. et Ph. Prof. Elb.* 1653. 4. pl. 7. Dedicauit auctor Miscella haec *illustri ac conspicuae indolis adolescenti, Dn.* CHRISTOPHORO *in Lachowce* SIENIYTAE, *haeredi in Tychomel, Kamien, Kobelin, Zduny, Iutrosin, Rudno* etc. amico suo singulari. Videtur praeter hanc collectionem scriptorum, alia eaque antiquior lucem vidisse, siquidem in catalogo Bibliothecae

theceae *Io. Ern. Seileri*, *Ged.* 1709. p. 195. N. 956. inter libros formae quartae allegatum lego: *Henrici Nicolai ſcripta varia, Philolog. Theol. Philoſ. et Hiſtorica, Dantiſci*, 1646. Niſi forte opuſcula ſeparatim ad hunc vsque annum euulgata, vno volumine compacta notentur.

21. *Henrici Nicolai Theologiae epitome, Elbingae* 1653. 4. Quaedam ſupplementa ad eandem praepoſuit tractatui de methodo Trinitatis.

22. *De Ahasuero Eſtherae*, *ibid.* 1653. 4.

23. *De Methodo Trinitatis, exercitatio peculiaris, delineationem modi exhibens, quo controuerſia de Trinitate inter Chriſtianos commodius et compendioſius pertractetur, vt facilius finem obtineat, ſuperflua, aut nimiae ſubtilitatis reſecentur, cunctaque ad Apoſtolicam antiquitatem et ſimplicitatem reducantur, etc. Elb.* 1654. 4. pl. 8½. In epiſtola, qua tractatum *Car. Ramſaeo*, ciui Elbingenſi primario tribuit, ita inquit: *Argumenti, quod tradit opuſculum, dignitas ea, vt nulla maior. Deum et Trinitatem ſaeculis diſceptatam in curam aſſumpſit. Tratatio ipſa non exigua, ſi animi magis, quam breuitatis aeſtimatione cenſeatur. Aliquid etiam reponi aequum fuit, ſi qui in Arianiſmos deſpument. Silere vltra non ſecurum, Amyclas ſilentio conuolui, aut perdi, indecorum fuit. Innoxiae veritati, cum queas, ſuppetias negare, in Deum ipſum iniurium eſt. Cum vocem in cauſſam Dei magis, quam ſilentium, conductam eſſe deceat.* In praefatione ad lectorem, haec habet: *Praecipue ſequentibus occupari Lectorem exoptem. Non prius cenſere, quam intelligere. Non ad haereſes ſtatim prouolare. Inter errare et haereſin fouere, ingens diſcri-*

 *men*

*men attendere. Ad primam et antiquiſſimam fidem ſubinde reſpectare. Academiae coeli aliquid committere. Ita ſecurius in fluctibus, felicius in negotio promouebitur. — — — Arianismos hic crepari, ad rem non quadrat. Primi Patres pleraque ſenſerunt, cum nec nomen, nec dogma Arii in orbe auditum. Omnia aliena obtinuerunt.*

Praemiſſis quibusdam in puncto de S. Trinitate contra aduerſarios obſeruandis, quae omnino aequitatis praeſidium habent, ſtatus et membra controuerſiae, nec non certae de myſterio hoc poſitiones, in quibus omnes diſſidentes vt arbitratur, conueniunt, exponuntur. In ipſa methodo explicanda, ſpeciem quidem orthodoxiae et optimi finis prae ſe ferre videtur; haud raro tamen ſemet ipſum implicat, et neutri parti probata profert. P. IV. inquit: *Inter omnes conceſſum eſt, longe aliud eſſe myſteria ipſa, et fidem eorum, et notitiam explicandi, confirmandi aut defendendi fidem. Myſteria ipſa cognita eſſe poſſunt, fidemque ipſam ad ſalutem prorſus neceſſariam eſſe, certum eſt. Notitia explicandi et defendendi fidem, doctoribus Chriſtianorum magis neceſſaria eſt. Chriſtiani per fidem multi eſſe poſſunt: defenſores et explicatores per artem, pauci. Sic vnum Deum eſſe, et in illo trinum quid, P. F. et Sp. S. fides eſſe poteſt. Sed iſta tria perſonas eſſe, et quid perſona, quid eſſentia, natura, ſubſiſtentia, ſit, quid differant, aut conueniant, longe ſpecialior, vberiorque notitia et explicatio eſt, quae in multis fidelibus abeſſe poteſt. — — Myſteria fidei ſufficienter quantum ad fidem verbis ſcripturae contineri, illisque pro fide proponi, deduci et confirmari poſſe, vtcunque termini rationis humanae,*

*nae, philosophiae, Patrum ecclesiae, traditionum, similes non adhibeantur aut intelligantur. Mysteria enim fuerunt, antequam tales termini inuenti, exculti, adhibiti, aut vsu recepti fuerunt, rebus ipsis posteriores, — — saepe tricosi, incerti et varii sensus sunt, et rem ipsam non constituunt. — — Pro fide satis est, rem ipsam, scripturae verbis expressam pie credere, deuote amplecti, in Christiana simplicitate acquiescere, et ad praxin pietatis vita exprimendam contendere, quam de variis terminis philosophicis odiose in infinitum disceptare.* P. 22. *Veteres Patres saepius ad hunc modum hic procedunt. — —* DAMASCENVS, *diuinum ens incomprehensibile prorsus et nomine destitutum est. Ignorantes igitur essentiam, nomen essentiae eius non perquiramus.* CYRILLVS HIEROSOL. *quod Deus filium habeat, crede. Quomodo autem, ne sis curiosus.* RVFFINVS *de Deo etiam vera dicere, periculosum ait.* P. 24. IVSTINVS *M. in dial. c. Tryph. alium quoque in sacris esse et vocari Deum ait praeter Creatorem, eumque angelum, seu nuntium vocari dicit, quod hominibus nuntiet, quicquid eis nuntiari vult creator ille omnium, quo nullus alius Deus est superior.* P. 28. et seqq. pluribus Patrum eloquiis stabilire conatur, quod, Patrem filio antiquiorem esse, antiquior ARIO sit sententia, minime ipsi, vt primo auctori tribuenda. P. 32. *Christus ens merae reuelationis mysticae est, — — nec directe Creator, sed Creatoris filius, per quem omnia a Deo creata; et sic* ALIQVID DEI *et ad Deum pertinens, vocatur.* P. 42. *Etiam tres isti vnus Deus esse possunt, quia Deus et Dei sunt, eoque aliquid in vno illo Deo sunt. Sed Pater principium, fons et origo omnium est, et ab*

*hoc*

*hoc proxime velut processiones eius sunt, F. et Sp. S. qui etiam Deus, ut tamen a Patre distinguantur. Sed de vna numero essentia non statim hinc constitui potest, cum inter non determinanda id referri queat. Sic tres homines pari modo homines dicuntur, Gabriel, Michael et Raphael, pari modo angeli: nemo eandem numero essentiam inde colliget aut deducet. Pater Deus dicitur, sed vt a nullo alio sit. Filius Deus, sed vt Deum adhuc habeat: Sp. S. Deus, sed vt a Patre procedat, quomodo Pater nunquam Deus vocatur.* P. 47. *Christus hodie a Patre genitus dicitur,* Ps. II, 7. *quod hodie ad tempora N. T. accommodatur, vbi Deus ita praedicari facturus dicitur, quod iste ex Maria per Spiritum Dei genitus, Christus, filius eius sit, quem hodie, id est, in plenitudine temporis, sub N. T. Gal. IV,* 4. *genuerit.*

24. *De conciliatione enunciatorum, exercitatio peculiaris, logica, philosophica et theologica, theologicis exemplis maximam partem illustrata. Modos et media conciliandi logica, noologia, metaphysica et theologica, in enuntiatis in speciem aduersis, distincte subministrans, exemplis theol. illustrans, et quae conciliandi negotio in iisdem obduci queant, vniuersa resoluens; etc. Elb.* 1653. 4. pl. 9. In hoc opusculo iterum auctor conciliandi partes dissentientes media adferre studuit, quae tamen, vt vere ominatus est, bellorum incitamenta fuerunt. Sunt interim nonnulla in eodem omnino digna, quae a neutrius partis hominibus expendantur.

25. *De Symbolo Athanasii, Dant.* 1655. 4.

26. *De subiecto et adiuncto,* 1656. 4.

27. *De modis praedicandi, Dant.* 1656. 4.

28. *Delineatio Colloquii inter* VALERIANVM MAGNVM, *Capuccinum, et Legatum, vt ferebatur, Caesarium, et* HENRICVM NICOLAI, *Philos. Profess. in Gymnasio Gedanensi, die* 1. *Febr. Anno M. DC. LVI. horis antemeridianis. Francofurti ad Moenum, Typis Wendel. Moewaldi, Anno* 1682. 4. pl. 3. Palmarium colloquii thema fuit de primatu PETRI et consequenter Pontificis Romani, quod *Capucinus* hoc syllogismo complectebatur: Cui primatus inter Apostolos a Christo 1) insinuatus, 2) Cui promissus, 3) Datus et exhibitus, 4) Confirmatus, et 5) A quo actu ipso exercitus fuit, is iure Apostolorum primus creditur ab Ecclesia catholica. A. E. Praeter VALERIANVM alius quidam Monachus, cuius nomen non innotuit, invocationem sanctorum adstruere voluit, vtriusque obiectiones auctor strenue et erudite dispulit.

29. *Quadrigatus expensus. Siue consideratio quadrigae quaestionum theologicarum de Syncretismo nonneminis Wittebergae hoc anno emissae* (ab ABR. nimirum CALOVIO). *In qua quaestionum status iuste conformatur, argumenta adducta examinantur, satisne solida, et ad rem sint, vera firmantur, falsa confutantur, et Syncretismi negotio non opus esse ostenditur, dum ad conciliandum in quibusdam diuersitatibus religionum iuste logiceque proficere datum fuerit. Praemissa et alia philosophica ac theologica authoris exerrata, in scriptis eius subinde occurrentia. Authore* HENRICO NICOLAI *Phil. et Theolog. Prof. emerito. Setini, typis Goetzianis, impensis authoris. Anno Domini* 1657. 4. pl. 6. *Calouius, qui iudicium theologicum repetitum* libello huic opposuit, hunc typis *Gœtzii Stetinensis typographi* esse publicatum, negat, imo nunquam

*Steti-*

*Stetinum* vidiſſe, adfirmat. *Adſcripſit Nicolai* tractatum ſuum *Senatui*, *Populoque Elbingenſi*, *ciuitatem repraeſentanti*, *Auguſt. confeſſionem eiusque Apologiam profeſſo.* De hoc opuſculo *Andreas Caroli*, *in memorab. Eccl. ſaec.* XVII. p. 194. inquit: Scriptum aeque maledicum atque profanum, quo *Irenicum* ſuum, iam ante pluſculos annos damnatum, aliasque ſimilis commatis rhapſodias iterum defendit. Sed acri cenſura iſtum tractatum notauit et fiſco adiudicauit Sueciae Regis locum tenens in Boruſſia, Dux *Adolphus Ioannes*, ſeuera hac addita comminatione, vt ſi deinceps vel vnicum exemplar alicubi reperiatur, illico per manum carnificis publice comburi debeat.

30. *De Aſtrologiae veritate*, licitaque apud Chriſtianos ratione. 1658. 4.

31. *De Obedientia.* 1659. 4.

32. *De Prudentia theologica. Elbingae* 1660. 4.

33. *De notitiis naturalibus tractatus*, 4. Allegat auctor hunc ſuum tractatum in *Apologia pro methodo Trinitatis*, p. 35. vna cum opuſculo *de conuerſione*, quod tamen nondum editum eſſe ſignificat.

34. *Oratio de Philoſophiae ſtudio cum Theologica coniungendo*, *habita in introductione ad Profeſſionem honorariam in Gymnaſio Elbingenſi ipſis Calendis Iuniis*, *a.* 1651. *Elbingae*, *typis Achatii Corellii* 1651. 4. pl. 4½. Ad hanc audiendam nouus Profeſſor honorarius programmate *Patronos*, *Fautores*, *Antiſtites*, *Clientes*, *Sectatores*, *Cultores aduocauit ac inuitauit.* 4. pl. 1.

35. *Habit. Theol.* Msc. allegatur in *Msc.* miniſterii Gedanenſis, quod *Regiomonti in Bibliotheca Wallenrodiana* ſeruatur, ex quo etiam miniſtri Dantiſcani pluri-

plurima accuſationis momenta aduerſus auctorem formarunt. Circa illud auctor in exculpationibus et defenſionibus ſuis, allegato Mscto ſubtextis notauit, quod libellus iſte, cui plenior titulus praefixus non eſt, ſit ſcriptum priuatum, cum duobus tantum amicis communicatum, nondum reuiſum, fortaſſis etiam mendoſe deſcriptum, quod proinde in ſuum praeiudicium allegari non debuiſſet. Sed plura de his in *Hiſt. Socin. Pruſſ.*

36. *De quotidiana telluris reuolutione, exercitatio peculiaris, philoſophica, mathematica et theologica, veritatem motionis in terra, rationibus et authoritatibus demonſtrans, et quae ei vel e ſcriptura, vel natura, vel experientia obuerti videntur, vniuerſa reſoluens. Elbingae* 1653. 4. Reſpondentis in conflictu diſputationis, vices ſuſtinuit *Fauſtus a Raciborko, Morſtinius, Eques Polonus.*

37. Pro *methodo Trinitatis aliisque materiis, Apologia, ſiue exercitatio apologetica. Aduerſus inſulſas quorundam calumnias, peruerſiones et impoſturas. Veritatis, antiquitatis priſcaeque in fide ſimplicitatis gratia ſuſcepta et neceſſitate extorta. Vindicatis Patrum et ſcripturae teſtimoniis, et ex ipſis Lutheranis quandoque illuſtratis. Praemiſſa ſylloge variorum erratorum et inaccurationum cuiusdam, plenius adornata, atque in* QVADRIGATO *factum. Authore* HENR. NIC. *Phil. et Theol. Profeſſ. emerito. Amſterdami, Literis Fablianis, Anno a partu virginis* 1657. 4. pl. 10. Defenſionem *methodi* ſuae *de Trinitate* molitur auctor, inprimis aduerſus *Calouium*, quem nouum e *Morunga* cenſorem adpellat, huncque aduerſarium ſuum pleraque fallacia, detorta et corrupta contra ſe protuliſſe arguit,

arguit, ipſumque multorum in philoſophia et theologia errorum et inaccurationum poſtulat, quales quoque iam antea in *Quadrigato* ſuo eidem obiecerat. Imputatum ſibi a *Calouio* cum Socinianis conſenſum, ita p. 37. declinat: *Cum hoſte res eſt, qui Dei filium nihil, antequam ex Maria editus eſt, fuiſſe aſſerit. Eum ergo ab antiqua fide prorſus aberrare cenſeo. Vt ad illam reducam, non ad alterum ſtatim extremum trahendum arbitror, Chriſtum ſummum et altiſſimum illum Deum eſſe, quod abſurdiſſimum et impoſſibile habebit: ſed paulatim per media et gradus ducendum, donec ex illis ad maiora commodius proucbatur. De extremo ad extremum non niſi per medium proceditur. Oſtendendum, Dei filium ante Mariam et in V. T. iam extitiſſe, varia ibi pro Patre ſuo adminiſtraſſe, veteribus in nomine Dei ſe manifeſtaſſe, per eum mundum et omnia creata eſſe, hoc vetuſtiſſimos Patres, vt Antenicaenos, conſentienter profeſſos eſſe. Hos enim ſolos tandem recipiat* SOCINISTA, *reliquos omnes poſt eos hic reiiciat, vt Trinitarios. Huc deductus altiora de filio Dei ſentire incipiet. Illis receptis vltra ducendus erit, et Deum ipſum eſſe, talemque in ſacris repraeſentari — immote oſtendendum, et ſic ad antiquam fidem deductum habeam, Deum de Deo et lumen de lumine credentem faciam, et acquieſcere inducam. Antenicaenos Patres vt admittat, elaborabo. Vt mecum acquieſcat, nec rationis ſpeculationibus indulgeat, ex antiquiſſimis Patribus monebo, etiamſi nec omnia ſpecialia ego explicare valeam, nec ipſe requirere debeat. Arcanis coeli ut cum Patribus aliquid committat, hortabor.* Et p. 73. inquit: *Aiunt aduerſarii, me nimis multa Sociniſtis concedere. Reſpon-*

*Respondeo: In fide nihil, in variis rixis et scrupulis aliquid, nihil vltra, ac par est, et res ipsa vetusque et simplicior ecclesia postulat, ad quam totam hanc de Trinitate litem redigendam censeam, si fructuose contra aduersarium duci debeat. Omnes superfluae rixae in spiritualibus, quantum fieri potest, rescindendae sunt. Dicta minus solide rem intentam inferentia, potius omittenda, quam adhibenda, aut nimis vrgenda, et solidiora, propiora ac apertiora praeferenda duco.*

Pari quoque modo *Arianismi* maculam a se abstergere allaborat §. 40. p. 39. ita tamen vt *subordinationem* statuisse videatur: *Pater maior, in quantum Pater. Ipsa paternitas, auctoritas et maioritas quaedam est*, quod testimoniis *Brochmandi*, *Dorschei*, *Hunnii*; idem enunciantibus, adstrui posse credit. Qui male tulerit auctorem amarissime in hoc scripto conuitiantem aduersus magni nominis Theologum, illum aliquatenus excusatum habebit, quod CALOVIVS primum inuectiua et obiurgatoria oratione aduersarium suum fuerit adgressus.

Calamum aduersus hunc auctorem maxime strinxit ABR. CALOVIVS, variis scriptis e. g. in *quadriga*, et *Arminismi consideratione*, in cuius capite 3. *methodum de Trinitate*, et *Irenicum a Nicolai* euulgata confutare aggressus est, maxime vero I) In libro, cui titulus: *Vindiciae Arminianismi*, HENRICO NICOLAI *oppositae, cum syllabo errorum Nicolaitanorum, Vitteb.* 1658. 8. Nec non in eiusdem *consideratione Arminianismi, edit.* 3. *cum vindiciis huius operis*, contra HENR. NICOLAI, *Vitteb.* 1671. 4. II) *In iudicio Theologico repetito, de quaestionibus IV. practicis, 1)*

*De dignoscendis haereticis acatholicis;* 2) *Sectariis et nominibus discretiuis;* 3) *Admissione Reformatorum ad S. Synaxin Lutheranorum;* 4) *Vsu Eucharistiae apud Papistas; aduersus Syncretistarum nouissimum, eundemque omnium, quos sol vmquam inter Christianos vidit, facile pessimum, M.* HENRICVM NICOLAI, *Exprofessorem Gedanensem et Elbingensem. Subiunctae ad calcem sunt vindiciae scriptorum auctoris, tum Philosophicorum, tum Theologicorum, aduersus eundem malesanum Aristarchum. Elbingae*, typis Corellianis, a. 1658. 4. pl. 12. Vid. Scripta *Nicolai Num.* 29. Dicauit *Calouius* tractatum suum *Senatui et Ordinibus reipublicae Elbingensis* prolixiori epistola, *Vitteb.* Cal. Octob. 1657. scripta, quam ita inchoat: "Grandis coram *Vobis* dica mihi scripta est; sed quae parum me adficiat. Quia ab homine scripta nullius fidei, et ita scripta, vt nullam a quopiam fidem mereatur. Ex mera animi impotentia et criminandi libidine. Qui caussae alienae se immiscere voluit, vt suam longe deteriorem, aliud agendo, insinuaret. Fidem neque Deo, neque Magistratui seruauit. Per suum illud *Non liquere* eo vsque impietatis progressus, vt nec id amplius ipsi liqueat, quemnam pro Deo colere debeat (*): *Vnica ne sit, an vero tripla numero essentia P. F. et Sp. S.* cui vni Deo fidem dedit. Pro *extremo scabioso* habeat, *Spiritum S. esse personam*, ad cuius cultum Sacramento se obstrinxit: *Patrem, Filium et Spiritum S. esse vnum ille Deum*, in dubium reuocet. *Tres illos esse, qui Deus dicantur, sed modo tamen aliquo diuerso*, afferat: Denique *fidesne catholica de SS. Trinita-*

(*) Ad tractatum *Henr. Nicolai, de non liquendo*, haec *Calouii* verba respiciunt, qui nondum mihi in conspectum venit.

# CONSPECTVS

## TITVLORVM IN PRIMA BIBLIOTHECAE ANTITRINITARIORVM PARTE OCCVRRENTIVM.

*NB.* Nomina a *Sandio* inique in hunc numerum ſuſcepta *aſteriſco* notata ſunt.

Geiza-

ſti ante natiuitatem e MARIA tuebatur; deinde vero in Racouienſium, ſeu SOCINI ſententiam conceſſit. Obiit *Lublini* a. 1598. d. 8. *Martii* teſte *Smalcio* l. c. apud ZELTN. p. 1169. non autem d. 5. *Maii*, quod *Sandius* prodidit.

SCRIPTA:

1. *Epiſtola ad F. Socinum contra eius explicationem Cap. VII. ad Rom. ſcripta* 1581. 12. *Febr.* Belgice prodiit 1664. 8. teſte *Sandio* p. 50. Inſerta eſt PROSPERI DYSIDAEI, ſub quo nomine *F. Socinus* latitat, opuſculo *de loco Rom. VII.* V. *Sandius* p. 70. et quae nos aliquando ſub *Socino*.
2. *Diſputatio cum Ieſuita, Lublini habita* 1581. V. ſub *Czechouicio* Num. 12.
3. Scriptum contra *Pouodouium*, Canon. Posnanienſem: quod ſcriptum opponitur *Czechouicii Dialogis Chriſtianis* a. 1575. in lucem emiſſis. Hoc modo *Sandius* p. 50. corrigendus eſt. Nam *Pouodouius* ante annum 1582. nihil aduerſus *Czechouicii* dialogos edidit; huius vero dialogi eodem anno 1575. lucem adſpexerunt. Videtur igitur *Sandius* digitum intendiſſe ad ſequens opus polon. NIEMOIEVII, quod vero ipſe nec allegauit, nec vidit: Obrona przećiw nieſprawiedliwemu obwinieniu y rozlicznym potwarzam, ktoremi Xiondz *Powodowski* Kanonik Poznanſki, w ſwoim wendzidle ludzy niewinnych w podeyrzenie y w brzytkie pohanbienie przywieſc uſyluie. Przez Iana Niemowiewſkiego napiſzana. Drukował Alexius Rodecki. Iaſnie Wielmozn. Pana P. Iana Kiſzki, Staroſti Zmudzkiego, Podczaſzego W. X. Litewſkiego Typograph. R. P. 1583. i. e. *Defenſio aduerſus iniuſtas criminationes variasque calumnias, quibus Dn.* POWODOWIVS,

*Canon. Posnanienſ. in libro ſuo* WENDZIDLO *(Frenum) dicto, hominibus innocentibus malam ſuſpicionem atque peſſimam infamiam contrahere ſtuduit. Per* IOANNEM NIEMOIEVIVM *ſcripta. Impreſſit* ALEXIVS RODECIVS, *Illuſtr. et potentiſſ. Dn. Dn.* IO. KISKAE, *Staroſtae Samogit. et M. D. Litthuan. Pincernae, typographus. Anno Domini* 1583. 4. pl. 22½. De *Polwodouii* opere ſupra ſub *Czechouicio* dictum. Aduerſus hoc defenſionem ſuam *Niemoieuius*, vt ipſe in praefatione ſignificat, in V. Partes diſtribuit, quarum argumentum ita exponit: 1) *Conſideratio feruidi et exaeſtuantis Zeli Dn. Canonici, an is ſit ordinatus et a Deo, an carnalis et cum imprudentia coniunctus.* p. 7. 2) *De Colloquio Lublinenſi cum aduerſario* 1581. (V. Num. 2.) *breuis, ſincera et ſolida narratio.* p. 21. *Argumentum colloquii erat, de ſuprema Pontificis poteſtate, quam* NIEMOIEVIVS *oppugnat, et de putatiis Petri praerogatiuis agit, dictaque Matth.* XVI. 18. *Io.* XX. 1 *Cor.* XII. *Matth.* XXVIII. *vindicat, praeterea conſequentiam a Petro ad Pontificem R. in dubium vocat, huncque illius eſſe ſucceſſorem negat.* 3) *Solida demonſtratio inſuperabilis fundamenti, quo fides ſaluifica nititur, nimirum Prophetarum et Apoſtolorum ſcriptis; et de fabuloſo fundamento humanorum inuentorum, quae licet antiquiſſima fuerint, concidunt.* p. 67. Hac occaſione de perfectione et certitudine S. Scr. agit, et p. 82. ſeqq. epiſtolam paſtoralem STAN. CARNKOVII (*) p. t. *Archiepiſcopi Gnesnenſ. qua populum a lectione et diligente S. Scr. tractatione dehortatur*, ſub examen vocat. 4) *Sincera*

(*) Inſerta haec eſt libro, qui titulum prae ſe fert: *Conſtituones in Dioeceſana Synodo Vladislauienſi, praeſidente R. Patre D.* STAN. CARNCOVIO. *Acceſſerunt admonitiones V. circa Sacramenta facienda. Colon.* 1572. 8.

*nitate*; an vero *Arrii*, aut *Valentini Gentilis et Tritheitarum heterodoxia vera sit?* penitus ambigat, omnesque ambigere velit, et in coelis id primum nos experturos, orbi persuasum eat etc. Fuere tamen praeter *Calouium* alii *Anonymi*, qui *Nicolai* scripta, potissimum vero ipsius *Irenicum* ad examen vocarunt.

THEOPHILVS NICOLAIDES, *vid.* VAL. SMALCIVS.

## SAMVEL NIECIECIVS.

Rector scholae Racou. A. 1610. coetui Hoyscensi vel Hostiensi (Hoyszczce) in Volyhinia minister et cooperarius ANDR. LVBIENIECIO datus est, quo ipso anno ministerio eccles. initiatus. SMALCIVS in *diar. vitae* l. c. p. 1199. eum adpellat *spem ministrorum gregis magnam*, eumque d. 14. Ian. 1613. e vita excessisse, et post octiduum ipsius quoque coniugem, narrat.

SCRIPTA:

*Responsio ad* PAREVM non absoluta. MSC. Vt PAREO Profess. Heidelb. ad ista commentarii eiusdem in *ep. Pauli ad Rom.* momenta, quibus Vnitariis pugnam intulit, responderet, in Synodo Racou. 1611. statutum; quam quoque responsionem ab ipso esse inchoatam ex decreto Synodi a. 1612. colligimus, quo admonitus est, vt coeptum laborem perficeret; eundem vero non plene absoluisse, consultationes a. 1613. institutae euincunt. In Synodo Racou. 1615. *Val. Smalcius* rogabatur, vt inchoato a NIECIECIO operi vltimam manum admoueret.

## GEORGIVS NIEMERICIVS *a Czerniechow.*

Eques Polonus, *Archicamerarius Palatinatus Kiioviensis*

*viensis etc.* cuius ad exteros et HVG. GROTIVM praecipue, qui isto tempore in metropoli Galliae Lutetiis commorabatur, profectionis suscipiendae meminit *Ruarus* in ep. ad GROTIVM 1631. 12. *Kal. Decemb.* scripta, ex edit. ZELTN. p. 128. Desciuisse eum postea ad Graecos s. Ruthenos, atque apud *Cosaccos* Ducis campestris munere functum esse, a quibus, cum diffiderent, ipsum in sacris suis stabilem fore, miserando modo esse trucidatum, 1659. *Sandius* l. c. p. 145. significat.

SCRIPTA:

1. *Scriptum, quo omnes a Religione Romana dissidentes, vt sese in Ecclesiae graecae gremium recipiant, hortatur.* Argumentum pluribus exposuit *Sam. Przypcouius*, vtpote qui, responsione ad illud publicata, quae operibus huius s. 535. seqq. inserta est, inuitationem istam sub examen vocauit.
2. *Preces et hymni* polon. 1653. 12.
3. *Periphrasis et Paraphrasis panopliae Christianorum.* MSC. Videtur esse commentatio in *Ephes. VI.*
4. *Oratio, quam habuit coram Rege Varsauiae in Comitiis.* 1659. MSC. pol.
5. *Epistolae* MSSCC.

## IOANNES NIEMOIEVIVS.

In *actis MSSCC.* aliquando et apud *Sandium* l. c. p. 49. adpellatur NIEMOIOVIVS. Eques polonus, iudex terrae Inouladislauiensis, quo tamen munere ad Vnitariorum coetum accedens, se abdicauit. Disputauit inter praecipuos aduersus S. Trinitatis mysterium in *colloquio Petricouiensi* 1565. et *Lublini* cum Iesuitis *Warszycio* et *Iodaco*, nec non cum *Seuerino*, Dominicano a. 1581. Aduersus reliquos Vnitarios in initio praeexistentiam Christi

*fol.* C. 3. b. Hh. 3. b. In hoc ſcripto Deitatem Chriſti omnino negat. Fol. 27. ſcribit: *Chriſtus homo, non Deus eſt, Deus enim non indiget Baptiſmo;* et *fol.* 88. 90. *Poſtquam mortuus erat, in vitam rediit, quod non de Deo efficto, ſed de vero homine dici poteſt.* De Sp. S. *fol.* 113. inquit: *Poſt Apoſtolorum tempora* 300. *annis Chriſti ciues nec Spiritum S. nouerunt, nec in eum crediderunt. Pacis cauſa admitti poſſent verba: Credo in Sp. S. quo ipſo nullum fidei Chriſtianae inferretur detrimentum, nec ideo Sp. S. euaderet Deus vel tertia deitatis perſona. Fol.* 134. *Quemadmodum alius Dei Filius non exſtitit ante Ieſum hominem, ita hic quoque antequam homo factus nullam gloriam habuit etc.*

10. *Oratio ad* SIGISMVNDVM III. *R. Pol.* in qua expoſtulat ac queritur de Eccleſiae Cracouienſis euerſione, quae horrendo ac inaudito modo, a. 1591. accidit. V. FABRICIVS, l. c. Hac occaſione ex parte Rom. Catholicorum prodiit *ſcriptum pol.* in quo euerſio coetuum Euangelicorum Cracouienſium defenditur, ſub tit. Upominanie do Ewangelikow, y do wſzyſtkich ſpolem Nie-Katolikow, iż o ſkarzenie zborow Krakowſkich gniewać ſię y nie nowego y burzliwego zaczyniac nie maiom. W Krakowie, w Archytypographii Krola I. Mci, y Koſcielney, Lazarzowey, Roku Pańſkiego 1592. i. e. *Admonitio ad Euangelicos omnesque Non-Catholicos, ne de euerſione Cracouienſium coetuum iraſcantur, nec eam ob cauſſam noui quid et inquieti moliantur. Cracouiae, in Architypograph. Lazarienſi, Reg. Mai. et Eccleſ. anno Domini* 1592. 4. pl. 11. Auctor eſt *Pet. Skarga*, cuius operibus, *Vilnae* ex typograph. Acad. Soc. I. 1738. fol. editis P. II. *fol.* 105-114. libellus inſertus eſt, aduerſus quem ex parte Euangelicorum, poli-

politici ordinis auctor in lucem emiſit: Reſpons w poryweczom dany na upominanie do Ewangelikow o zburzeniu zboru Krakowſkiego: y na przeſtroge do Katholikow od kogos uczynionom, w Roku 1592. i. e. *Reſponſio feſtinanter data ad admonitionem Euangelicis factam de euerſione Cracouienſium coetuum, et praemonitio ad Acatholicos, ab anonymo facta, anno* 1592. 4. pl. 14. absque loci, quo impreſſum eſt indicio.

11. *Diſputatio Leuartouiae habita* 1592. cum *Hadriano Radziminio Ieſuita, qui propoſuerat theſes contra Ebionitas, Samoſatenianos et Arianos, probans, I. C. non tantum verum hominem, ſed etiam verum eſſe Deum: Item contra Sacramentarios, de Sacramento corp. et ſangu. Chriſti. Quas oppugnauerunt* ALB. CALISSIVS, *Rect. Leuartou. et* GREGORIVS, *Miniſter Leuartou.* FRANC. KVROWSKI et IO. NIEMOIEVIVS. *Sandius* l. c. p. 94. ſcriptum hoc *Alberto Caliſſio* tribuit; *Daniel Clementinus* vero l. c. fol. Kk. 3. expreſſe *Niemoieuium* auctorem eius nominat, cui id optime cognitum eſſe potuit.

## FRANCISCVS NIGER.

Vicentinis Italorum Collegiis de religione inſtitutis interfuiſſe narratur a *Lubieniecio* et *Sandio*, quamuis ab hoc nulla in *Bibliotheca Antitrinit.* illius facta ſit mentio. Quae de eodem ſciſcitantibus nobis innotuerunt pauca, in *Hiſt. noſtra* alio loco P. H. Cap. II. expoſuimus.

## GEORGIVS NIGRINVS, *vel etiam* Schwartz, *dictus.*

Non infimae ſtationis vir exſtitit in Socinianorum ciuitate, ab alio eiusdem cognominis bene diſtinguendus. Famo-

*Sincera fidei christianae confessio ex vero et vnico Dei verbo, vna cum refutatione contrarii erroris ex S. Scr. aduersariorum propriis doctoribus et historia Synodorum.* p. 91. In hac sectione auctor Socinianismum aperte prodit, sibique persuadet, doctrinam orthodoxam de persona Christi eiusque essentiali diuinitate non in S. Scr. esse fundatam; sed ex scriptis *Athanasii, Cyrilli* et *Augustini* etc. esse mutuatam, hinc omnia S. Scr. oracula Socinianorum placitis aduersa, more sectae suae contorquet. Ex *Io.* VIII. p. 110. monstrare conatur, quod omnia V. T. dicta de vnico Deo, nimirum de Patre Dn. N. I. C. solum, non autem de Trinitate personarum in diuina essentia sint explicanda. De honore diuino Seruatori nostro praestando dubia mouet p. 116. omnem praecellentiam humanae naturae in Christo inficiatur, illamque in phrasibus, quibus Sp. S. de Christo in S. Scr. vtitur, esse fundatam inficiatur. P. 122. seqq. quaedam Patrum e. g. *Ignatii, Iustini Martyr. Theophili Antioch. Irenaei, Tertulliani* et *Lactantii* sub examen vocat. P. 128. *Athanasium* et *Conc. Nic.* in ius vocat, mysteriumque S. Trinitatis sequiorum saeculorum esse inuentum, eadem, qua reliqui Sociniani chorda oberrans, perhibet. P. 145. Paedobaptismum in S. Scr. non esse fundatum euincere studet. 5) *Certa Criteria, ex quibus Antichristus veri nominis cognosci potest* p. 151. qua occasione aduersario suo, compluribus ex historia adductis monumentis multum laboris facessiuit.

4. *Scriptum polon. aduersus Eman. Veiae theses latinas de transsubstantiatione.* Oppositum illud est EMAN. VEIAE, *S. I. assertionibus theologicis de Eucharistiae Sacramento. Antuerp. ex off.* PLANTIN. 1586. 4. Ad-

versus *Niemoieuii* opusculum *F. Socinus* quasdam animaduersiones scripsit, quae comparent in eiusdem tr. breui *de Coena Domini* p. 81. Iam isto tempore valde rarum fuisse *Niemoieuii* scriptum *Socinus* l. c. p. 17. testatur. Esse vero ante annum 1588. concinnatum, exinde colligitur, quia in epistola, *Num.* sequente 5. allegata, citatur. Conf. Epp. *F. Socini* p. 494.

5. *Epistola ad Ge. Schomannum de F. Socini scripto, in quo de vsu et fine coenae Domini breuiter disputatur, polon.* scripta 1588. 8. *Martii.* In latinum idioma translata, et inserta est *Socini* tractatui *de coena Domini* p. 17. seqq. vna cum antithesibus et refutatione *Socini.*


6. *Epistolae II. ad F. Socinum de Sacrificio et inuocatione Christi:* quarum *prima* scripta est 1587. vlt. *Febr. altera* eod. anno d. 25. *April.* Insertae sunt *F. Socini* operi, cui tit. *Breues de diuersis materiis ad religionem Christianam pertinentibus tractatus etc.* vna cum vtraque *Socini* responsione, scripta 20. *Mart.* et 20. *Mai.* 1587. V. *Sandius* l. c. p. 71.

7. *Scriptum contra partem quandam disput.* SOCINI *de I. C. Seruatore*, polon. a *Ge. Schomanno* latine redditum. Legitur loco allegato, vna cum SOCINI *animadu. extemporal.*

8. *Demonstratio, Ecclesiam Pontificiam non esse Apostolicam, neque Sanctam, neque Vnam, neque Catholicam: simul et responsum* ad calumnias D. *Casp. Wilkouii,* polon. V. *Fabricii Hist. Biblioth.* P. II. p. 76.

9. Krotkie okazanie na Pochodniom X. Powodowskiego (czemu Pan Chrystus bywa nazywan synem Bożym) etc. i. e. *Breuis demonstratio ad Dn.* POWODOVII *ita dictam lucernam, (quare Christus Dn. vocari solet Filius Dei) etc.* Titulus polon. adcitatur in CLEMENTINI tract. alleg.

*fol.*



ACTA

Famoſum enim eſt *Bartholomaei Nigrini* nomen, Gedanenſis, Euangelico-Lutheranae Eccleſiae primum addicti, deinde Reformati coetus in templo Petrino Paſtoris, ac denique ad Pontificios transfugae, quorum diſciplinam a. 1644. d. 25. Martii in comitiis publice et ſolemni ritu profeſſus eſt. Huic in religionis negotiis temporario et ad quoscunque coetus procliui, primum de Colloquio Thorunienſi inſtituendo conſilium, VLADISLAO *Pol. Regi* ſuggeſtum vulgo adſcribitur, qui quoque inter Colloquentes, addito *Secretarii Regii* titulo comparuit. Et hunc *Socini* vexillum ad tempus ſectatum eſſe, teſte *Hartknochio* Hiſt. Eccl. Bor. p. 824. nonnulli putarunt, ad quem quoque *Ruarus* epiſtolam dedit, quae legitur in huius epp. *Cent. I.* N. LX. ex edit. *Zeltn.* p. 223. ſeqq. Quemadmodum vero ex hac *Ruari* epiſtola non obſcure colligi poſſe cum *Zeltnero* l. c. p. 228. Not. e. arbitramur, *Bartholomaeum* ſaltim eo tempore a Socinianismo fuiſſe alienum, ita probabile nobis videtur *illum* cum *Georgio Nigrino*, Rectore deinceps *Gymnaſii* Racou. eſſe commutatum. Facile nobis perſuademus hunc eundem eſſe, quem a. 1621. albo ſtudioſorum *Acad. Regiomontanae* ita inſertum animadvertimus: *Georgius Nigrinus*, *Treptouienſis Pomeranus.* Quae, expleto curſu academico habuerit fata, quibus ſeductoribus et motiuis, et quo praeciſe tempore ad has partes fuerit allectus, a nobis exponi nequeunt. Munere tamen publico ante ipſius ad Socinianos tranſitum functus eſt, nimirum Paſtoris coetus Lutherani Meſericenſis, quo a. 1630. exutus, poſtea nomen *Nigrini* cum germanico Schwartz commutauit. Vid. Fortgeſetzte nützl. Anmerk. Coll. XIX. p. 595. A. 1633. dignus habitus eſt, qui Meſericenſi coetui Sociniano praeficeretur, niſi hoc tempore eiusdem promotio ad ſcholam Racou. Synodo magis ne-

ceſſa-

cessaria ac proficua visa fuisset. Statutum enim est eodem anno vt *Nigrinus* pxoxime aduenturus Racouiam, Rectoratum scholae Racou. susciperet, cui *Franckius* in Transyluaniam concessurus, valedixit. Sed *Nigrinus* tantum per vnius anni spatium a. 1633. et 1634. Rectoris vices in se deuolui passus est, ipsique Synodus a. 1634. oblato dono gratias exsoluit, quod neglecta coniuge, familia, domo, imo posthabitis facultatibus suis per vnum annum munere hoc scholastico fungi non detrectauerit. A. 1635. *Mesericensi* coetui minister concessus est; sed cum paulo post tristia Sociniani in hoc loco experirentur fata, ipsi a. 1637. in Synodo consilium dabatur mutare locum, quo ipso tempore *Mesericio* excessisse videtur. Qualem cum praeposito Mesericensi habuerit litem, cuius in *actis MSSCC.* Synodi Kisielinae a. 1638. mentio fit, indicari nequit. Commemoratur quoque in *actis MSSCC. Nigrinus* iunior a. 1640. ex statuto Synodi, in *schola Luclaviciana* sumtibus publicis litteris imbuendus, quique fortassis GEORGII filius fuit. De scriptis illius, nihil adhuc nobis innotuit, quod dici possit.



